





R. DN̄. PATRIS
DIDACI NISSENI
TOMVS QVARTVS
DE SANCTIS.

FASCICVLVS
Floridissimorum, & gemmeorum
CONCEPTVVM,
QVOS EX SYLVA
PVLCHERRIMARVM COMMENTATIONVM
Reuerendissimi Patris
DIDACI NISSENI
ABBATIS ORDINIS S. BASILII
MAGNI,

Jn vitam ABRAHÆ, ISAAC, & IACOB, & POLITICI Christiani ex eorum moribus effigiati,

In pleraq; Domini nostri IESV CHRISTI, *& magnæ illius Parentis, aliorumq; Sanctorum Festa, quæ per anni circulum Catholica cultu religioso celebrat Ecclesia;*

Collegit,

Et in vsum Concionatorum digessit Interpres Latinus

Fr. IOANNES FREYLINCK REIMBACENSIS,
ORD. PRÆD. SS. THEOL. MAGISTER.

CRACOVIÆ,
Apud LVCAM KVPISZ S. R. M. Typographum,
Anno Iubilæi Magni M. DC. L.
Cum Priuilegio S. R. M. Pol. & Suec.

AMICO LECTORI.

IN hoc Fasciculo Abrah. *Vitam Abrahæ*, PPP. *Primam Partem Politici Christiani*, PP2. *Partem Politici Secundam, numerus Paginam*, c. *columnam*, o. *totum Caput significat. Quoniam Festa Domini nostri pleraq; mobilia sunt, & certum non obtinent diem, certo, hoc est, primo loco illa constitui. Festa Serenissima Dei Matris in postremum reieci, nam per temporis angustias non licuit recto ordine collocare. Paucula ex aliorum quorundam, nonnulla etiam ex proprijs lucubrationibus Interpres inseruit, quæ adiectæ suis locis notulæ, tibi indicabunt.*



FESTA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, ET SANCTORVM DECEMBRIS.

De Gaudiosissima, & Expectatissima Natiuitate Domini nostri IESV CHRISTI.

PRope erat natalis Domini nostri dies hodiernus, quando beatus Ioannes Chrysostomus in Oratione de Sancto Philogonio sic aiebat: *Appetit festum omnium festorum maximè venerandum, tremendumque, quod si quis appellet omnium festorum metropolim, haud quaquam aberret: Quod autem hoc est? Christi iuxta carnem natiuitas.* Sed quamobrem cætera festa sunt velut coloniæ quædam, vnus verò nati Domini nostri dies tanquam matrix ciuitas? Luculenta est Chrysostomi responsio dicentis: *Ab hoc enim festum Epiphaniorum, sacrum Pascha, Ascensio, & Pentecostes originem, ac fundamentum ducũt, itaq; ab hoc, ceu fonte quopiam diuersi orti fluuij, nata sunt nobis hæc festa.* Ex nati Saluatoris nostri festo die dies festi alij, quibus eundem colimus, omnes sunt nati. Sacratissima ergo illa solennitas meritò vocatur metropolis omnium earum festiuitatum, quibus verbi æterni temporalium in carne humana gestorum memoria celebratur, suntq; hæ illius quædam velut suffraganeæ, siue coloniæ. PP2. 444. c. 2. His docemur, quàm conducibile sit, paratum ad rem aliquam suscipiendam accedere, strenuèq; & fortiter eam adoriri, cùm veluti in semine fructus, & in fonte riuus, sic in principio felix successus actionis contineatur. Igitur cùm proximus immineat nouus annus, qui per illius decursum Deo nouo, ac enixiore quàm hactenus studio cupit seruire, is quàm enixè potest, contendat, vt obfirmato ad deuotionem pectore strenuè illum exordiatur. Nam ad facilem, felicemq; cuiusuis operis etiam ardui prosecutionem plurimùm iuuat, si magno animo illud suscipias, & aggrediaris, cùm rei cuiusque principium sit pars illius potissima, & dimidium facti habeat, quisquis benè cœperit. Ibid. 441. o.

Hodie natus homo Christus Iesus in hunc mundum venit saluare populum suum à peccatis eorum. Verum ergo hominem egregiè se demonstrauit. Nam ille se hominem esse grauissimo argumento asserit, qui aliorum ærumnas hominum miseratur, & quantùm potest, leuat. Sic hominem se ostendit Abraham, quando Gen. 14. numerauit expeditos vernaculos suos 318. & persecutus est inimicos reges, donec consobrinum suum Lot è manibus eorum cùm ingenti suo tum labore, tum periculo erueret. Abrah. 50. o. Sic & Moyses, quando ait: *Vadam, & reuertar ad fratres meos in Ægyptum.* Exod. 4. nimirum vt eos à dura sua seruitute vindicaret. Ibid. De illo ait Paulus Heb. 11.

maluiſſe *affligi cum populo Dei, quàm temporalis delicti habere iucunditatem.* Quam vocat temporalis delicti iucunditatem? Conuerſationem illius inter aulæ delitiàs per id tempus, quo inter anguſtias illius contribules degebant. Ibid. 52. col. 2. *Non affligi cum aliis, peccatum putauit,* inquit Primaſius ibid. Nec qualecunque peccatum, ſed contra naturam agere videtur, qui non omnia, quæ poteſt, agit, vt fratrem ſuum, aut quemuis alium naturæ neceſſitudine coniunctum iuuet. Certè perindignũ eſt homine, iacenti fratri non offerre manum. Quare & Magdalena à pedibus Domini meritò repulſa fuit, cùm apud eos dulciter conquieſcere voluit, quando potius debuit curare, & currere, vt triſtes Apoſtolos annuntiatione dominicæ reſurrectionis refocillaret. Ibid. 51. col. 1.

Tranſeamus vſq; Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum eſt. Lucæ 2. S. Bernardus mutuatus illa à Paſtoribus Iudæis verba ad fratres ſuos vertebat quondam, dicens: *Tranſeamus vſq; Bethlehem, ſed non pertranſeamus.* Si quis illi obieciſſet: Cur tranſeamus eò, & non pertranſeamus? Reſpondiſſet, credo: Quia in Bethlehem eſt redemptor mundi, ille verus Deus, nemo ergo pertranſire aliò, aliud nemo quærere, vel appetere debet. Abrah. 63. co. 1. Anima n. quæ Deum habet, omnia habet. Ibid. 50. o.

Apud Lucam c. 2. *Remanſit puer IESVS* duodennis in Ieruſalem, parentibus inſciis, quem illi per viam perdidiſſe arbitrati tanto ſtudio requiſierunt, quantùm illius modi boni iactura merebatur. Poſt triduum, quo illum vbi vbi comperire poſſe putabant, inueſtigaſſent, inuenerunt in templo, quando illum dulcis mater ſimulac vidit, hac verborum blandiloquentiâ appellauit: *Fili, quid feciſti nobis ſic?* hoc eſt: Quid tam grauiter in te peccauimus, vt nos deſtitueres? Quo piaculo commeruimus, vt te nobis ſubduceres? *Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Quomodo potuiſti facere, vt illam nobis ex te adferres tam acerbam mœſtitudinem? Cùm ad hæc ille reuerenter reſpondiſſet. *Quid eſt, quòd me quærebatis? Neſciebatis quia in iis, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? ipſi non intellexerunt verbum, quod locutus eſt ad eos.* At ſi non intellexerunt, quare non rogârunt ſibi exponi? Reſpondet eruditus Nouarinus: *Quid quærerent ſibi verbum explicari, Verbo ipſo inuento? Præſentia IESV, quem perdiderant, tantâ eos lætitiâ affecit, vt nihil quærerent præter IESVM.* Dictum ſapienter. Nam qui Deum habet, omnia, vt diximus, habet, nec quidquam, quod adhuc requirat.

Paſtoribus in illa Bethlehemitica regione gregẽ ſuum paſcentibus primùm annuntiari gaudioſam ſuam natiuitatem voluit Dominus. Cur non Herodi regi? Cur non principibus Sacerdotum, ſummo Pontifici, Scribis, Phariſæis? Vigilantibus perferri natalis ſui euangelia optabat. Quem autem vel Regum, vel Principum, vel Phariſæorum, ſacerdotumq́ue non ſomnus per eas horas tenebat? *Paſtores* autem *erant vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis in ea regione,* vt inquit B. Lucas c. 2. v. 8. cùm rex, & Principes, & cæteri, quos dixi, magis inuigilare non pecorum, ſed hominum ſubditorum ſaluti deberent. Communis hic morbus eſt, vt ſua officia curent negligentiùs, qui deberent diligentiùs. Abrah. 33. o.

Ita tempore ſancti Ioannis, cùm fæx populi, Publicani, milites, vilis plebecula ab illo remedia ſuæ ſalutis, & vitæ emendandæ modum doceri cuperent, qui talium rerum negligentiſſimi eſſe ſolent, plùs Herodes rex, qui exemplo bono præire omnibus debebat, obſcœnæ libidini deditus omnes improbis ſuis moribus offendebat, & Ioannem benè monentem carceri, ac neci addicebat. Perſæpe hoc in mundo videas, quòd impientiſſimi ſunt, qui pro felicitate terrena, quâ eos prolixus Deus cumulat, ſanctiſſimi eſſe deberent. Quare ſapientiſſimè cogitauit ſeruus Abrahæ ſenior, quando putauit faciliùs ſe reperturum in virginibus vulgaribus, & mediocribus quampiam diuitem virtutum, & dignam Iſaaco ſponſam, quàm in aliis, quæ intra magnificas ædes deſident, & vitiis plerumque ſunt oneratæ, quantùm ornatæ monilibus. Ibid. 34. c. 2.

De eadem Natiuitate Domini noſtri.

Autore Interprete.

Vſquequò delitiis diſſolueris, filia vaga! quia creauit Dominus nouum ſuper terram, fœmina circumdabit virum. Jerem. 31. 22.

AViditas ſciendi peruetus eſt, quæ primam Parentem noſtram intra paradiſum inuaſit. Quòd Eua in ſerpentis colloquium incidit, hoc Rupertus lib. 3. in Gen. cap. 2. factum putat, quia *corpore & oculis vaga, dum incontinenter deambulabar,*

bat, fortè prospectauit, qualis extra paradisum mundus haberetur.

Sanctus Thomas in 2. sent. d. 21. ait, *toto animo, & auiditate intentam fuisse magnificis serpentis promissis.* Vtrumque curiositas fuit, quod scire voluit siue quid extra paradisi septa ageretur, siue quid ex tantis serpentis pollicitationibus secuturũ esset. Prima ergo hoc vitio laborauit fœmina, sed viros deinceps etiam pestis hæc corripuit. *Athenienses omnes, & aduenæ hospites ad nihil aliud vocabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid noui*, inquit S. Lucas Act. 17. *Athenienses omnes*, ait, non mulieres tantùm, sed etiam viri, iique & incolæ, & cõuenæ. Nescio an ætati alicui tam ægrè ex hoc morbo fuerit, quàm huic nostræ, quæ noua quælibet, tametsi hoc sint, quod etymologia sonat, *non vera*, & vel adiectione aucta, vel omissione diminuta, vel prorsum commentitia, & vel ab odiosis, vel otiosis ad ludum confićta, stylo tamen, & typo, & idiomate vario sparguntur, perque omnem latè patriam vicinam, absitamque promulgantur, & manibus ambabus cupidissimè acceptantur.

Si quis ergò noua ex vmbone recenseat Ecclesiastes, is certè & frequentes, & perattentos habeat Auditores. Quidni ego itaque vobis noua hodie ex hoc loco narrem, quæ habeo & plurima, & admirabilissima, & tàm vera, quàm nihil falsum, nihil etiam dubium dicere veritas æterna potest? Dum hoc facio vos ea tenaci memoriæ indelebiliter inscribite, sed meam simul lubricam memoriam alto silentio iuuate.

Creauit Dominus nouum super terram, &c.

HÆreo in primo statim limine orationis, Auditores, nec enim video, quæ prima, quæ posteriora noua producam, tanta habeo quæ proferam.

Magnus Pater Augustinus Ser. 9. de temp. vocat hunc, quem decurrimus, *exoptatissimum diem, dierum omnium nouitatem*, fortè quia hæc dies vidit noua, quæcunque vllus antehac, fortè quia vidit, quæ alius ante illum nullus. Et quanquam mihi sensus Augustini sit dubius, huc tamen propendeo, vt putem, hunc diem dierum omnium nouitatem appellasse, quòd huic visa sint noua, quæ nulli diei antè. Hodie ex stabulo factum est cœlum, *Vbi* enim *Christus, ibi & cœlum*, inquit S. Epiphanius Serm. de laud. Deiparæ.

Nullum tale stabulum vidit dies superior. Hoc die sol ad obsequium lucidior venit, & nocturnis horis aduentu maturiore aliquantulùm decerpsit, & præter consuetudinem matutinus illuxit, vnde factum est, vt hodieque ab hac luce lucis incrementa dies sumere incipiant. Ita ferè S. Ambrosius serm. 16.

Nullum talem solem vidit dies superior. Hodie splendidus, ac multâ luce illustris apparuit Angelus, cuius claritas pastores circumfulsit, neque in totis Bibliis alium tam conspicuum antehac visum inuenies Angelum. Ita noster Caietanus in c. 2. Lucæ, atque vt fertur, ante illum venerabilis Beda. Nullum talem Angelum vidit dies superior. Hodie enixa est filium Mater, nec virgo esse desiit. Hoc fides habet ex verbo Dei tradito, vt videas non posse ex solo Dei verbo scripto accipi omnia, quæ credi oportet. *A sæculo* autem *non est auditum, vt aliqua Mater esset, & Virgo*, inquit mellitissimus Virginis Matris cliens S. Bernardus homil. 1. super missus est. Hæc nimirum est, quæ sola potuit hodie dicere suo filio, quando nato adgeniculata, quod illa suo Salomoni: *Omnia poma noua, & vetera, Dilecte mi, seruaui tibi.* Cantic. 7. Poma vetera erant matres ex commixtione, & corruptione grauidæ, pomum nouum puerpera semper intacta. Poma ergo noua, ac vetera Dilecto suo sola inter mulieres seruauit, quæ sola intemeratum seruauit pudorem, & diuinissimi filij Mater esse meruit, neqꝫ talis filij, suo voto, futura Mater, si non esse simul virgo potuisset.

Nullam talem matrem virginem vidit dies superior. Hodie natus est sine Patre homo, qui ante omnia sæcula genitus sine matre Deus. Nullum talem filium vidit dies superior. Hodie verbum actiuum (per quod omnia facta sunt) passiuum factum est, factum caro. Nullum tale verbum vidit vel dies, vel Grammaticus superior. Hodie duas naturas hypostasis, seu persona vna sustentare cœpit, coieruntque caro, & spiritus, mortale, & immortale, simul in vnum diues, & pauper. Nihil tale vidit vel dies, vel Metaphysicus superior. *Hodie creator omnium de creatura sua procreatur*, Ita S. Augustinus Ser. 9. de temp.

Nihil tale vidit vel dies, vel Philosophus superior. Hodie pumilio infans, verbum abbreuiatum delectat, mouet, suadet, Regumque ad se corda cõuertit. Nihil tale vidit vel dies, vel Orator superior. Hodie, *qui terra, mari, cœloque non capitur, intra vnius corpusculi membra suscipitur.* Ita rursum D. Augustinus ibidem. Nihil tale vidit seu di-

es, seu Geometra superior. Hodie cœlis effusi Angelorum exercitus aërem cantibus impleuerunt. Nullus tale melos vel dies, vel musicus superior audiuit. Hodie numerari inter homines, & esse hominum nouissimus cœpit, qui ab æterno Dei Patris, ac spiritus sancti medius, nec secundus tamen, nec primus, neque nouissimus Deus numerari potest. Nihil tale vidit vel dies, vel Arithmeticus quispiam superior. Hodie rorarunt cœli desuper, & nubes pluerunt iustum. Nihil tale vidit dies, vel Astrologus superior. Hodie aperta est terra, & de inseminato vtero, vt Augustinus loquitur, germinauit saluatorem. Nihil tale vidit vel dies, vel Agricola superior. Hodie expansum in stabulo vellus agnum Dei peperit, qualem nullum vel dies, vel pastor superior, nec Papa posterior alium vidit. Hodie mercatus est à nobis Christus viles merces terrenas, nasci, & mori, & terrestribus, attulit peregrinas, & cœlestes, resurgere, & æternum viuere. Ita ferè iterum S. Augustinus Serm. 13. de temp. Talia nulli dies, nulla vnquam emporia viderunt commercia.

Coronabo hæc noua quodam dicto S. Ambrosij, tum gradum ad alia faciam. *Mirum est*, inquit ille, *quòd prius redemptionem sæculi potuerunt scire Pastores, quàm Principes, non enim Angeli annunciauerunt Regibus, non Iudicibus, sed hominibus rusticanis.* Hæc ille Serm. 13. Vtique mirum, si ad sæculi nostri mores rem æstimes, quo nihil ferè tam secretò agitur, quod non per Oratores, & exploratores, & Commissarios, vel Emissarios suos Principes nostri conscifcant, & intelligant. Sed ego mirius aliquid vobis dicam. Quale illud? inquis. Quòd cùm omnia innouata, hoc est, noua facta sint, postquam Antiquus dierum factus est Adam nouus, nos veterem hominem pertinacissimè retineamus, ob oculos tantæ humilitatis constanter superbi, ob oculos tantæ paupertatis vsque auari, & iuxta incendium ardentissimæ illius claritatis semper frigidi, ac gelidi. Ieremiæ nouum videbatur, quod ætatis suæ hominibus etiam dum in mentem veniret cogitare de corporis luxu, & voluptatibus, tantum quia ab illo acceperant, fore vt aliquando Dei filius in corpore humano homo inter homines, sed pauper, sed humilis, sed in magno corporis sui neglectu viueret, ideò singulos thematis mei verbis compellabat: *Vsquequò dissolueris, filia Vaga,* ac velut illi quispiam dixisset: Et quod me cohibeat, quo minùs dissoluar, & effundar? subiungit: *Quia Dominus,* &c. velut apertiùs dixisset: Patietur se Deus vteri materni compendiis circumdari, & vos dissoluimini? mirum si ita facitis: Et non videatur hodie mirissimum, quòd nos tantum beneficium iam adepti, sumus post humilem Christum elati Christiani, post continentissimum Dominum effusissimi serui, post modestissimum magistrum petulantissimi discipuli, solo nomine Christiani, serui, discipuli.

O mei Auditores, *simus sicut Christus, quia ipse sicut nos, efficiamur dij propter ipsum, quoniam ipse propter nos factus est homo.* Ita perurbanè Nazianzenus monet: Orat. 4. At dulcis Bernardus suauiùs ista. Serm. 1. in Natiu. Dn. *Obsecro, & plurimũ rogo, fratres, non patiamini sine causa tam pretiosum exemplar vobis propositum esse, sed conformamini illi, & renouamini spiritu mentis vestræ. Studete humilitati, quæ fundamentum est, custosq; virtutum. Quid enim magis indignum, quid detestandum ampliùs, quid grauiùs puniendum, quàm vt videns Deum cœli paruulum factum, vltra apponat homo magnificare se super terram? Intolerabilis impudentia est, vt vbi sese exinaniuit maiestas, vermiculus infletur, & intumescat.* Iam verò & Augustinus, tanquam nos videat nihil his precibus cõcedere, videtur mihi illa ex Dauide arripere verba: *Filij hominum vsquequò graui corde:* iisque nos vehementiùs obiurgare, ac dicere: *Saltem vsq; ad aduentum filij Dei error vester durauerit, quid vltra graues corde estis? quando habituri finem fallaciarum, si veritate præsente non habetis?* Hæc ille.

Qui finem non faciunt vanitatum veritate præsente, neque exemplo Christi ad vitæ melioris studia permouentur, iidem sunt magis duri, quàm saxa, magis feri quàm feræ bestiæ, & faciunt impossibilia, & totam Christi Oeconomiam, quantum in illis est, euertunt, nec sperare cœlum possunt. Hæc pauca, si tamen pauca, vbi scripturæ, ac Patrum suffragiis testata fecero, simul dicendi finem faciam. D. Gregorius Magnus in lachrymarum consideratione defixus, earum quas scelerum suorum, & turpiter anteactæ vitæ exanimitùs pœnitens Magdalena tantâ copiâ fudit, vt tantùm non oculos, venâ effunderet, dicere ausus fuit, potuisse tali exemplo vel lapideum cor in fletum liquari. Sed audite quanto verborum pondere hanc rem exprimat: *Cuius vel saxeum pectus illa huius peccatricis lachrymæ ad exemplum pœnitendi non emolliant?* Si tantum potuerunt, ex tanti Pontificis sensu, apud saxea pectora lachrymæ mulieris pœnitentis, saxei adamantinos animos in chalybeis pectoribus ge-

gunt,

runt, & saxis omnibus magis sunt saxei, apud quos non vel tantundem valent lachrymæ pueri Iesu, filij Dei inter glacialia frigora, & duras stipulas palpitantis ac vagientis.

S. Ambrosius lib. 2. offic. c. 4. magni prodigij loco habet, quòd Daniel Leonibus obiectus sumere cibum inter famelicas bestias ausus fuerit, *nihil veritus, ne ad pastum exemplo sui feras prouocaret.* Verba sunt pleraque illius. Tantas nimirum vires ad similia suadenda exemplum habet, vt eas vel in bruta exerat.

Ergò bruto quouis magis brutus, & omni ferâ magis ferus est, apud quem non hoc obtinet exemplum filij Dei, quod apud Leones obtinuisset, nisi Deus miraculo prohibuisset, exemplum hominis. Dicam id etiam luculentiùs ne quis tam sit tardo ingenio, qui non penetret, quò sensus Ambrosij præiuit. Cogita mihi hinc Danielem, inter Leones, illinc puerum Iesum in medio bouis, & asini. Esuriebat ille ex longa inedia, huic fames erat, quia virgini matri primis partus horis inopia lactis. Credite hoc interim sanctis Epiphanio, & Vincentio Ferrerio, quorum verba aliàs dabo. Ille allatum aliunde pulmentum comedit, & pertimescere non solùm potuit, sed etiam debuit, ne si comedere videretur Leonibus, suo exemplo ad edendum ij inflammarentur, nisi inconcussa spes illius certum sibi de bonitate Dei miraculum promisisset, quo illos à deuorando coercendos sciuisset. Filius Dei in stabulo simul viuere, & esurire cœpit. Ergo si illius fames non hoc apud nos agit, vt vel temperantiæ mensuram in cibo, & potu non prætereamus, velut pransus Daniel suo exemplo ad comedendum Leones permouisset, nisi miraculum obstitisset, Leonibus magis animales sumus.

Dicebat in Oeconomicis suis Aristoteles: *Impossibile est diligentes Domini seruos non esse diligentes.* Quòd si ita est, vt tam sapiens Philosophus pronunciauit, etiam istud fieri nequit, vt sit humilis Domini superbus famulus. Talia verò impossibilia hodie plurima fiunt, quia & sine numero sunt, qui sub humili Deo sublimes alunt spiritus.

Venerat Christus in mundum, vt mundo vitam suâ morte afferret. Res quidem certa, sed illud tunc obscurum, quare mortem inter vitæ primordia sibi oblatam dum Herodes quæreret puerum ad perdendum eum, declinare fugâ maluit, quàm dicere, *quod facis, fac citiùs.* Ratio est, quòd non ad moriendum tantùm, sed & signatissimè ad egregia nobis humilitatis, patientiæ, mansuetudinis, pietatis, cæterarumque virtutum exempla proponenda huc aduenerit, eamque ob causam diuturniorem tot annorum Oeconomiam inter nos exercendam duxerit. S. Petri Chrysologi est hic cogitatus, verbaque illius ex Serm. 151. ista: *Christus totam causam nostræ salutis occideret, si se paruulum permisisset occidi. Christus venerat, vt quos præceptis docuerat, firmaret exemplis, & ipse faceret, quæ facienda mandauerat, & visu probaret possibilia quæ impossibilia videbantur auditu.* Hæc ille.

Potuit ergò sibi superbe mori Christus, & occidi mox vbi cœpit viuere, qui nullum assumis ex illius humilitate exemplum: frustra tibi helluo, frustra tibi auare, frustra tibi lasciue, ac de nihilo tam longam duxit in terris œconomiam, qui nihil tibi ex illius abstinentia, ac jeiunijs, nihil ex prodiga liberalitate, nihil ex castitatis studio vsurpas, vnde mores tuos ad similes virtutes componas, & efformes, & omnia illius consilia irrita facis, quibus ille tibi ad cœlum faces præluxit. Et inter hæc speres posse fieri beatus?

Nolo vos hîc fraudare meditatione aliquâ S. Augustini, quam hoc solo sui Autoris nomine satis prædicaui. Veritas vt de terra oriretur, & sursum emergeret, primùm de cœlo descendit. Vt de thalamo suo sponsus procederet, & assurgeret, à summo cœlo egressio ejus prior fuit. Etiam hodie nasci Christus voluit, quo die nullus minor dies in terris, sed à minimo die tamen dies incrementa sumunt, & fiunt majores. Qui ergo inclinatus est, & sic nos erexit, qui minimum elegit diem, sed vnde lux crescit, & augescit dierum cæterorum, ipso suo tali aduentu nos & tacitus tanquam sonitu magni clamoris exhortatur. Quid illud? *Vt quia ille propter nos pauper factus est, nos in illo diuites esse discamus.*

Putabam diceret, hoc magno clamoris sonitu monuisse tacitum, vt discamus cum illo descendere, & minima eligere, quotquot volumus per illum in beatitudinis fastigium ascendere, & quæcunque ille maxima habet, adipisci. Immò hoc est, quod dicit Augustinus: Nam diues in Christo nemo est, qui pauper sensu: pauperrimus autem sensu est, & stultissimus, quantùm, qui prorsum obbrutuit, quisquis aliunde, quàm quâ via ducit, venire in cœlum sperat. Cœlorum via Christus est, hæc via per humillimum stabulum, & abjectissimam crucem fert in cœlorum sublimitatem, nimisquam inops sensuum fueris, quantumuis fortè diues cen-

ſuum, ſi alio compendio ad ſuperos aſpiras. Quouſque ergo *diſſolueris*, (ita ſucclamare ex cunis ſaluatorem puta) *quouſq; delicijs diſſolueris, filia vaga*, anima leuicula, neque tantiſper conquieſcis, vt attenta videas, quòd mulier circumdedit virum, Virgo Mater Dei filium, vt fluxa deſideria tua vel tandem cohibeas, dum coram te, vides totam Dei immenſitatem intra vnius corpuſculi anguſtias arctatam. Chriſtus intra vteri virginalis compendia ſe concluſit, & tu ſoluta in omnes delicias effunderis: Pone laxam viuendi rationem, lubrice, mitte inconceſſas corporis voluptates, memor quòd Chriſtus corpus ſuum ſimul & habere cœpit, & malè haberi permiſit. Pone criſtas, ſuperbe, cùm vides quòd Chriſtus è cœlo in humiles ſtipulas ſeſe demiſit: Eſto cum puero Chriſto puer, vt creſcas in illo in virum perfectum, & redemptorem mundi ſic lætus ſuſcipe, ſic deuotus imitare, vt venturũ etiam judicem ſecurus videas. Amen, Amen, dixi.

De Sacroſancta Circumciſione Domini noſtri Ieſu Chriſti.



ET *vocatum eſt nomen eius IESVS.* Nomen Dei tam eſt venerabile, & ineffabile, vt qui per illud jurare velit, tantâ præparatione quodammodo egeat, quantâ probatione opus habet, qui eundem Dominum in diuiniſſimo Altaris Sacramento ſumpturus. Abrah. 56. o.

Abraham Gen. 14. ſublatâ in cœlos manu jurauit regi Sodomorum, quòd de rebus ipſius, quas armis recuperarat, neque corrigiam caligæ retinere vellet, jurauit autem coactus neceſſitate, vt nempe ſeriò, & ex animo loqui crederetur. Ita & nos nonniſi cum magna cautione, & vrgente neceſſitate nomen Domini ad jurandum adhibeamus.

S. Chryſoſtomus totum decalogum per Quadrageſimam exponendum ſuſceperat, & ſolam hanc de non leuiter jurando chordam per tam longum tempus pulſauit, tam momentoſam arbitratus hanc doctrinam, vt quadraginta continuis diebus nihil aliud egerit, quàm vt auditoribus reuerentiam nomini Dei debitam inculcaret.

Philo Iudæus ſuadebat, vt qui jurare deberet, eſſet cunctator, & procraſtinator, ſi fortè differendo poſſet vitare, ne iuraret. Iuramentum poſtulati faciamus quod mali debitores, dilationemque, quod ille ſolet, ex die in diem tam diu petamus, donec pertæſes petendi faciamus eos, qui exigunt.

S. Paulus ex obſeruatione Magni Auguſtini, ſcribens jurabat, loquens non jurabat. Quid ita? Quia conſiderabat quòd præceps, & procliuis ad lapſum eſſet lingua, idcircò inter loquendum jurare formidabat, quod tamen inter ſcribendum non metuebat, quia ſtupor manus, & calami ſcriptorij tarditas moram adferunt, vt pennâ attentiùs exarari verba, quàm promi linguâ poſſint.

Iudæorum quædam receptiſſima traditio habet, *totum orbem in illa hora tremuiſſe*, in qua lex illa, *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum*, promulgata fuit. Id Hebræi olim ſuis, quoties juramentum ab eis accipiebant, in memoriam reuocare ſoliti. Quid ergo nunc fiet, quando tam vanè ſæpè juratur, tam perfidè, ſacrilegèque blaſphematur?

Pallidus dictus fuit veteribus jurandi Deus. Quamobrem? *Quia jurantes trepidatione palleſcunt*, inquit Seruius, ſcilicet ex conſideratione periculi, cui ſe exponunt, ſi non vt decet, jurant? Vt hoc periculum S. Gregorius Nazianzenus, caueret, legem ſibi ipſi tunc, cùm baptizaretur indixit nunquam jurandi, quamdiu viueret, ſeruauitque.

Chryſoſtomus non ita gemebat audiens quoſdã in vijs jacere jugulatos, vt horreſcebat videns quẽpiam propè altare attactis Euangeliis jurantem. Ibid. 57. c. 2. *Hæc omnia & plura ibidem, fructuosè prædicari poſſunt, & commemorari ſæpè debent huius ſæculi hominibus, qui ad omnem ferè ſermonem de nihilo perſæpè iurant.*

De eadem Circumciſione.

Autore Interprete.

Deus noſter Deus ſaluos faciendi, & Domini Domini exitus mortis! Pſal. 67. V. 21.

VT piæ matres, & ſedulæ nutrices, cùm fortè pupulos ſuos prouocare ad quietem volunt, in gremijs poſitos complecti brachijs, & ſuauiter conſtringere, & apprimere dulciter ad vbera, ac tunicâ operire ſecundùm faciem, atque oculos ſolent, vt obſcurior eis aër redditus ſomnum per quietem faciliùs inuitet; Ita & beneuolentiſſimus Deus

Deus tanquam velamen quoddam per vniuersum mundum tenebras expandens, & obducens, hominum genus ad silentium gratissimæ quietis inuitat. Habent hoc communiter omnes ex nocte beneficium, auari verò etiam illud peculiariter, quòd pro intemperante quæstus libidine, & immodica, immoderataque lucri cupiditate laboribus, operibusque seipsos conficerent, & consumerent, nisi Deus noctis tempus tenebris aduersùs insatiabilē auri famem ita obmunijsset. Sic ferè sanctus Ioannes Chrysostomus *lib. 2. de compunct. cordis ad medium.*

Ego verò tertium inuenio, nimirum quòd homini liberali, & prolixo, & ad benefaciendum propenso sæpè opportunissima nox venit, tuncque vel maximè, cùm benefaciendi voluntatem facultas destituit, nec dare valet, quod vellet.

Sol occubuerat, quando apud Lucam c. 4. ℣. 40. adducebantur Christo varijs languoribus infirmi, quibus ille morbos ademit, simul ac manus imposuit. Obseruabat scilicet prudens medicus ad curationes adhibendas occasum solis, ait quidam sed quid? Impediebantnè illum à benefaciendo solares radij?

Aut fortè opportunior erat illa hora reddendæ sanitati? Erat opportunior non remedio hominū, nec beneficio, sed pudori Christi, qui vt effusissimè in homines liberalis erat, sic omnes semel per vniuersum terrarum orbem ægrotos sanare cupiebat, erubuissetque quòd paucos solos curabat, nisi velum vultui eius nox obtendisset, nigrisque tenebris obsita facies ruborem bibere non potuisset. Nocte ergo incolumitatem restituit paucis, ne suppudefieret per diem, si ob solis oculos paucis solis redderet.

Si nouum est, quod dixi, subijciam aliud ex sancto Petro Chrysologo admirabilius. Ille Serm. 64. dicere ausus fuit, quòd Christus *fremuit spiritu, & totâ se viscerum commotione conturbauit, quia solum adhuc Lazarum, & non tunc omnes mortuos suscitabat* apud Ioan. 11. c. Si illachrymauit, & infremuit, quòd non omnes in vitam reuocaret mortuos, quando vnum solum Lazarum redanimauit, quomodo non vel erubuisset, quòd paucis tantùm præstabat beneficium sanitatis, nisi nox atra ruborem prohibuisset?

Ergo noctem ego nunc optare possem, quæ frontem meam, oculos, vultumque suâ obscuritate tingeret, ac tegeret, quòd nullam strenam confero, quam erogare in auditores queam, cùm omnes Ecclesiastæ ex solenni patriæ nostræ more Xenia è loco superiore dispertiri hoc die soleant. At si strenæ loco excipere vultis, si quid pulchrum, si quid exquisitum, & vtile dixero, perdifficilem Psalmi 67. versum, quem præfatus sum, vobis explanatum dabo, sed in præsens festum aptè, & in mores vestros opportunè, & commodè.

Post illum explicatum ad amabilissimum nomen IESU progrediar, tum artem quæstuosissimam tradam, quâ proficere in angelos, & inter omnia corporis, & animæ discrimina perennare salui atque incolumes possitis. Vos me interim (nisi hoc superfluè rogo) vel pro venerabilissimi nominis illius obseruantia, & reuerentia taciti, atque attenti auscultate.

Deus noster Deus saluos faciendi, & Domini Domini exitus mortis!

PErspicuè hunc versum, quantùm nescio an Expositorum aliorum quispiam, exposuit sanctus Augustinus lib. 17. de Ciuit. Dei, in cujus libri c. 18. sic habet: *Quid apertius diceretur? Deus enim saluos faciendi Dominus est IESVS, quod interpretatur saluator, siue salutaris, cuius ratio nominis reddita est, quando priusquam ex virgine nasceretur, dictum, Paries filium, & vocabis nomen eius IESUM, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. In quorum peccatorum remissionem quoniam sanguis eius effusus est, non vtique oportuit eum de hac vita exitus alios habere, quàm mortis.* Hæc ferè ita magnus Pater.

In his illud acutè notauit, cum admiratione dictum à Dauide: *Et Domini Domini exitus mortis!* tanquam Propheta pœnitens præscius, quòd Christus officium saluatoris & nomine præferre, & reapse exercere deberet, nec alium tamen, quàm mortis exitum per sanguinis effusionem habere, attonito similis inde suo clamare cœperit: *Deus noster est Deus saluos faciendi*, id est, Deus noster non ob aliud veniet in mundum, quàm vt homines saluos faciat à peccatis eorum, & ab æterna morte seruet, & huius *Domini*, huius, inquam, *Domini* non alius ab hac vita *exitus* erit, quàm *mortis*, siue per mortem!

Omnino, sancte Dauid, Domini, qui est Deus saluos faciendi, Domini, qui in mundum veniet peccatores saluos facere, exitus nō alius erit, quàm mortis, qui ægrè in octauum vitæ suæ mortalis diē hodiernum continere se potuit, quin sanguinem,

quem vix acceperat fundere inciperet, hocque nobis certissimum pignus jam tunc daret reliqui sanguinis, quem posthæc fundere cum ipsa vita sua vellet, quando per ætatis incrementa auctiorem factum majore copiâ fundere posset.

Vultis magnum hîc aliquod mysterium in parvulo huius festi Euangelio vobis enudem? Accipite Lucam attenti, & ille suis verbis ingens secretum vobis aperiet: *Postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum est nomen eius IESVS*, inquit ille. Itaque pueri Dei nomen vocatum est JESUS, sed non antè, quàm circumcisus sanguinem fundere, & JESUS esse, hoc est, officium JESU, siue saluatoris exercere cœpisset, tanquam nomen priùs, quàm rem habere noluisset, sed ante omnia esse, tum appellari IESUS voluisset, non passus nimirum IESUS dici, nisi opere primum, ac dato sanguine JESUM probasset, nomenque commeruisset.

Quid ita? Quia qui nomen officij alicuius admittit, neque officium ipsum exercet, is probroso titulo gaudet, quo dedecoretur, & honorificam habet ignominiam, quâ defœdetur. PPP.318.o.

Hanc ob causam non tantùm ipse Dominus hoc nomen saluatoris antè quàm rem vsurpare sibi noluit, sed neque olim cuiquam permisit, vt diceretur Iesus, priusquam opere se Iesum exhibuisset.

Duas habeo hanc in rem Patrum obseruationes, easque tales, vt cuiuis sacrarum literarum amanti pro diuite strena esse possint. Prima est sancti Augustini Serm. 93. de Temp. nempè *tunc primùm factam esse mentionem beati nominis IESV, cùm Moyses* eo tempore, quo Amalecitarum exercitus imminebat Israëlitis, *vocauit Iosue*, siue Iesum, *& dixit ad eum: Elige tibi viros, & egressus pugna contra Amalec* 1. Exod. 17. 9. Itaque nec Iosue figuram huius nominis præferre potuit, vt saluator typicus diceretur, nisi primùm in pugnam descendere, & pro subditorum salute caput periculis obijcere, & in discrimen vitæ pro tutanda suorum vita se dare vellet.

Theodoretus q. 25. in Numeros acutiùs hanc in rem illud sciscitatur, quare filio Naue, siue Nun (sic enim perdiu vocatum fuisse habes in vita Abrahæ 166. c. 2. ad finem) nomen Iosue, vel Iesu tunc datum sit, cùm explorator missus fuit. Respondet verò, propterea hoc factum *quoniam erat figura veri Iesu, qui imitatus est exploratores in peragenda salute nostra. Sicut enim exploratores præseferebãt habitũ, & vocẽ gentiũ, quas explorabãt: Ita Deus verbum humanam induens naturam, illi utens linguâ salutem nostram procurauit.* Hæc ille.

Octiduum est, quòd in stabulo inter brutas pecudes Dei Filius habitu inuentus est vt homo: At hoc die, quo circumcisus, non hominis solùm, sed & peccatoris formam habuit, factusque est sui tam dissimilis, vt *si quo modo potuisset Pater non agnoscere Filium, in quo ei bene complacuit, ex hoc maximè signo potuerit ignorare eum, inuentâ in eo circumcisione*, vt ferè inquit mellifluus Bernardus serm. 3. de Circumcisione.

Ergo humanorum cordium explorator, & salutis nostræ procurator, vt officio suo pro more exploratorum probè fungeretur, hominem induit, & sic induit, vt penè exuisse Deum videretur, quando exinaniens semetipsum, & formam serui, & similitudinem carnis peccati accipiens, circumcisionis etiam velut stigma quoddam admisit, *meritò* sub eam horam *Saluator vocatus, quòd videlicet ex hoc iam cæperit operari salutem nostram, immaculatum illum pro nobis sanguinem fundens.* Ita rursum S. Bernardus serm. 2. de circumcisione. *Meritò*, inquit, *vocatus saluator*, quia iam esse cæperat.

Sic ab initio creaturæ factum est. Nam postquam animalibus suum esse Conditor eorum dederat, tum ea ad Protoparentem adduxit, *vt videret quid vocaret ea.* Gen. 2. 19. quasi non antè nomine digna fuissent, quàm essent, quòd vocarentur.

Angelorum omnium primus fuit ille, qui cum plurimis lapsus cælo excidit, de quo Iob ex sententia sancti Gregorij lib. 32. Mor. c. 25. in fine, dixit: *Ipse est principium viarum Domini.* Vias Domini creaturas illius vocat, per quas in cognitionem ipsius peruenimus. Harum creaturarum principium, id est, supremus vertex, præcipuus, & princeps fuit angelus ille apostata. Si præstantissimus, ergo Seraphin fuit, ij enim primum dignitatis ordinem inter angelos obtinent, vt habet sanctus Dionysius de cælesti hierarchia c. 7. Immò vero Seraphin fuit, & angelorum princeps, qui nunc dæmonum caput. Apud Ezechielem nihilominùs Cherubin dicitur. Quamobrem? Seraphin esse desierat, itaque nec vocari eo nomine ampliùs debuit. Seraphin dicuntur ardentes ab incendio charitatis, quo erga Deum flagrant. Refrixerat, immò tota prorsum extincta in Lucifero fuerat per superbiæ flatum charitas, adeò cùm non esset Seraphim, etiam vocari non debuit. Ista in hunc sensum S. Thomas 3. p. q. 36. art. 7. ad 1. notauit.

Solenne

Solenne hoc eſt hodieq; orbi Chriſtiano, vt nomine Chriſtiano neminem donent, qui non priùs ſalutaribus aquis tinctus, eſſe homo Chriſtianus cæperit.

Libet hîc interrogare aliquid Auditores, vt quæ hucuſque dixi, in vſum noſtrum transferam, & conuertam. Tranſierunt nobis ex menſib. menſes, atque ætatum profectu alii ex adoleſcentia in iuuentutem aſcendimus, alii ex iuuenibus in viros euadimus, alii tacitis annis ſeneſcimus. Quotus verò quiſque eſt, qui ſuos ita decurrerit dies, vt iure nomen Chriſtiani ſibi hominis vſurpet. *Num tu illum Chriſtianum putas, in quo nullus Chriſtianitatis actus eſt, nulla conuerſatio iuſtitiæ, ſed impietatis, nequitiæ, & ſceleris?* clamat S. Auguſtinus in lib. de vita Chriſtiano. c. 11. & c. 14. ita; *Tu Chriſtianum illum putas, cuius nunquam pane vllus ſatiatur eſuriens, cuius potu nullius ſitis extinguitur, cuius menſam nemo pauper cognoſcit, ſub cuius tecto nec aduena, nec peregrinus, aliquando ſuccedit, cuius nemo nudus tegitur velamentis, cuius pauper nullus fouetur auxilio* Et c. 6. rurſum: *Nemo ſibi de nomine Chriſtiani blandiatur, ſed propter hoc etiã iudicandos nos credamus, ſi nobis fruſtrà nomen ven dicemus alienum*, à qua inani talis nominis vſurpatione ſi non gehennæ metus nos abſterret, pudor ſaltem de humanæ conſuetudinis recordatione natus coërcere deberet. *Quis enim tam brutè inſipiens eſt, vt aduocatum ſe, cùm neſciat literas, audeat profiteri? Quis tam inſanus, & excerebris, vt ſe militem iactet, arma ferre neſcius? Nemo enim qualecunque illud nomen ſine cauſa ſortitur. Sutor vt quiſquam dicatur, neceſſum calceamenta nôrit conficere, vt vocetur quis faber, artis peritia facit, vt negotians nuncupetur quis, cariùs diſtrahit, quod emerat viliùs. Et tu igitur quomodo Chriſtianus diceris, qui opus Chriſtiani nullum exerces? Chriſtianus iuſtitiæ, bonitatis, integritatis, patientiæ, caſtitatis, prudentiæ, humilitatis, humanitatis, innocentiæ, pietatis eſt nomen, & quomodo tu illud tibi defendis, cui de tam plurimis rebus nec pauca ſubſiſtunt?* Chriſtianus eſt, qui dicere poteſt. *Viuo ego iam non ego viuit verò in me Chriſtus*, Gal. 2. 20. Chriſtianus eſt, qui nemini vult malè, facit autem etiam omnibus, ſi poteſt, bene, pièque, ſobriè, ac iuſtè viuit, erga Deum piè, ſobriè erga ſeipſum, erga proximum iuſtè. Penſate ergò veſtræ erga Deum pietatis pondera, penſate veſtræ in victu ſobrietatis, in veſtitu modeſtiæ, in coërcitione carnalium appetentiarum, & voluptatum momenta, videte quanta iuſtitiæ ergà priximos ratio à vobis habeatur, videte ne vacuum Chriſtianorum nomẽ inaniter præferatis, videte ne perſonati, ac laruati magis, quàm veri, ac ſynceri Chriſtiani inueniamini ab eo, cuius omnia nuda, & aperta ſunt oculis, nec vlla fraudem facere ſimulatio poteſt, curate eſſe, nec ſolùm vocari Chriſtiani, qui eſſe poteſtis, ſi vultis, etiam Angeli. Quî iſtud?

Volo magnæ artis non exiguum vobis didaſcalũ dare. Sanctus Gregorius Doctor Magnus, & Pontifex etiam maximus vos docebit, quod non dubito quin perdiſcere cupiatis omnes. Concionabatur ille quondam Romæ in baſilica SS. Marcellini, & Petri, & ſic aiebat ho. 6. *Vtinam fratres chariſſimi non ad iudicium noſtrum dicamus, quia omnes, qui ſacerdotii nomine cenſentur, angeli vocantur, prophetâ atteſtante, qui ait: Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam; & legem requirunt ex ore eius, quia angelus Domini exercituum eſt*, Malach. 2. 7. Tum ad populum conuerſus inquiebat: *Sed huius altitudinem nominis poteſtis etiam vos, ſi vultis mereri.* Sed quomodo fiet, beatiſſime Pontifex, vt in angelum homo proficiat? *Vnuſquiſque veſtrum*, ait, *in quantum ſufficit, in quantum gratiam ſupernæ aſpirationis accepit, ſi à prauitate proximum reuocat, ſi exhortari ad benè operandum curat, ſi æternum regnum, vel ſupplicium erranti denuntiat, cùm ſanctæ denuntiationis verba impendit, profectò angelus exiſtit.* Hæc ille, quæ non imprudenter de nihilo effutiuit, ſed propter exemplum ſancti Ioannis Baptiſtæ meritò pronuntiauit. Hic enim beatiſſimus Chriſti Præcurſor cùm ob alia, cùm ob id vel maximè angelus appellatus fuit, quòd cùm in peruigilio mortis poſitus propediem ſe moriturum ſciret, nihil quidem de vitæ ſuæ iactura ſolicitus, de hoc verò plurimùm anxius fuit, quâ ratione diſcipulos ſuos errones reducere in veritatis viam, hoc eſt adducere ad Chriſtum, qui via, & veritas erat, & cui illi non ſatis credebant, poſſet.

Curate ergo, Auditores, vt veſtro quà verbi, quà exempli hortatu fiant alii pii, ac deuoti, ſic nomen habebitis angeli & meritum. *Et nemo dicat*, ſubiungit Gregorius, *admonere non ſufficio, exhortari idoneus non ſum, quantùm potes, tantùm exhibe, ne malè ſeruatum, quod acceperis, talentum in tormentis pendere exigaris.* Non plùs vno talento quidam acceperat, cumque illud abſcondere maluit, quàm erogare, *ſeruus nequam* apud Lucam 19. 22. *Seruus malus, & piger* apud Matthæum 25. 26. dictus, adeò magni ſceleris damnatus fuit, vbicunque

quæ enim voluit Dominus monstrare magnum aliquod peccatum, à contumelia incepit, sicut ibi: *Serue nequam omne debitum dimisi tibi*, & ibi: *Hypocrita eiice primùm*, *&c.* Ita Chrysostomus apud sanctum Thomam in cat. in c. 7. Matth. Vt nemo putet, leue delictum esse, si intermittat proximum modis, quibus potest, ad Dei cultum, & bonam frugem adducere. *Nemo ad forum, aut ad balneum pergit* (sic pergit Gregorius) quin vt secum veniat, inuitet, si quem otiosum esse consideret: *Ipsa ergo terrena actio vestra vos conueniat*, & erudiat, quid in spiritualibus facere deceat, *etsi ad DEVM, ad locum*, conuentumque sacrum, aut qualemlibet Dei cultum *tenditis*, *curate ne ad eum soli veniatis. Hinc enim scriptum est*: *Qui audit, dicat, Veni, vt qui aliquam in corde superni amoris vocem acceperit, foris etiam proximis vocem exhortationis reddat.* Quando sola in horto Christum Maria Magdalena conuenit, voluit dissuauiari pedes eius, sed repulsam passa audiuit: *Noli me tangere*, Ioan. 20. 17. At quando alias nonnullas mulieres adduxit socias, & cum illis cursu abiit, vt etiam aduocaret Apostolos, tunc *ecce IESVS occurrit illis*, tunc ad luculentam singularis suæ ergà illas beneuolentiæ ostensionem, *auete*, comiter dixit, tunc autem & *accesserunt*, & non solùm osculatæ sunt, sed etiam *tenuerunt pedes eius*, Matth. 28. 9. Hanc pridem apud Sanctum Augustinum legi obseruationem.

O quàm multi sæpè sub eam horam, quâ alii dant religiosam operam officiis diuinis, ambulant vias non bonas, curruntque ad malum & vel inerti otio earum tempus miserè prodigunt, vel student quidem, sed calicibus epotandis, & si manè fortè consurgunt, id faciunt, vt sectentur vinum, aut certè quæstum, qui aliud facerent, si modò humanus angelus aliquis verbo suauiore auocaret, ac diceret: *Veni, & vide* contribules nostros, vicinos nostros, cognatos nostros, quàm ardenter verbum Dei accipiant, quàm frequenter sacram Domini mensam adeant, quàm crebrâ exomologesi conscientiam suam emaculent, quàm reuerenter magnam Christi matrem colant, quantam salutis suæ curam habeant!

Auditus est vnus aliquando Angelus, qui pastoribus Iudæis gaudiosa nati Saluatoris nuntia attulit, *& subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis*, Luc. 2. 13. vniusqué exemplo plurimi è cælo euocati in communes DEI laudes certatim proruperunt, vt velut ex contentione succlamarent: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, ibid. v. 14. Quid fecisset vnus ille angelus, si exemplo voces addidisset, ac dixisset: Egredimini, filii Dei, ephebi cælorum, & videte regem sæculorum in diademate, quo coronauit illum mater sua domina nostra in die desponsationis eius, & in die lætitiæ cordis eius.

Pastores ipsi, homines rudes, & agrestes, & ab omni humanitate tam alieni, quàm brutarum pecudum curæ, & custodiæ dediti, *loquebantur ad inuicem: Transeamus vsq; Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis*, ibid. v. 15. Putatis effecit aliquid apud tales homines illa mutua exhortatio & inuitatio? Plurimùm effecit. *Nam venerunt festinantes*, nec sine præsenti remuneratione promptæ obsequelæ. Inuenerunt enim, vt Lucas narrat, Mariam & Ioseph, & Infantem positum in præsepio, quem videre prophetæ, & reges tam multi ante illos voluerunt, nec valuerunt. Quid tale vidissent ruri, si alii aliis non fuissent obsecuti? O quoties dulcissimus Iesus cum Virgine matre animis vestris se per aures insinuaret in loco, vbi sacræ ex more habentur conciones, quorum corda, dum alibi replentur sermonibus detractoriis, lasciuis, mendacibus, iniuriis, congregant iniquitatem sibi, & fiunt socii dæmonum, qui possent esse collegæ angelorum.

Parentes ego, & patresfamiliares, & magistros hoc ex loco conuenio, & magnum in modum rogo, ne sint tam ignaui, vt angeli esse, quod possunt, nolint, sed filiis suis, ac domesticis, & discipulis, quoties fert occasio, illud succlament: Transeamus vsque in locum, vbi sacri conuentus celebrantur, & ad verbi DEI prædicationem, ad sacra, ad synaxin, ad confessionem concurritur, & audiamus hoc verbum, quod fecit, aut dixit olim Dominus, quodque ex illo pro concione referet nunc alius. Facite hanc eleemosynam spiritualem omni aliâ opulentiorem, qui non potestis facere corporalem. Iuuate diuite linguâ proximos, qui non potestis inope manu. Et qui non valetis morituræ carnis inanem ventrem terreno pane explere, pabulo verbi, ac bonæ exhortationis victuram in sempiternum mentem reficite, & vos ipsi vitam temporalem dignam æternâ viuite.

(*)

De Epiphania Domini.



Vm natus esset Iesus in Bethlehem in diebus Herodis regis. Posthæc ait Lucas, Israëliticam monarchiam in partes sectam varios habuisse moderatores, puta alterum quemdam Herodem, Philippum, & Lisaniam. Quamobrem cœlestis Magister tunc ipsus huc aduenit, quando patriam ipsius extranei Principes, ac tetrarchæ tam multi obtinebant? An fortè vt prædicaret? Sed Prophetas, vt superioribus sæculis fecerat, etiam tunc mittere poterat, qui tale munus obirent. Cur ergò? Respondet Chrysostomus: *Quamdiu gens Iudaica quamuis sub malis, tamen Iudaicis regibus tenebatur, Propheta mittebantur ad remedium eius. Qualis necessitas, tale & auxilium. Nunc autem quando lex Dei sub potestate regis iniqui tenebatur, id est, iustitia Dei sub dominatione Romana premebatur, nascitur Christus, quia magna, & desperabilis infirmitas medicum artificiosiorem quærebat.* PPP. 278. c. 2.

Ibi maiore semper auxiliorum vi succurrendum, vbi grauiores necessitates opem vehementiùs postulant. Ibid. 278. o.

Ecce Magi ab Oriente venerunt. Cur Magi, siue sapientes dicti, qui reges erant? Respondeo, sapientes dictos, eò quòd non quamuis ciuitatem, sed vrbem Ierosolymorum petierunt, cùm intelligere vellent, vbi esset, qui natus Rex Iudæorum. Ierosolymis quippe oraculum erat, ibi veri Dei notitia florebat, sedemque regiam habebat. PPP. 285. c. 2.

Insignis quippè prudentia, & sapientia permagna est, relicto riuulo pergere ad fontem, vti vana, & turpis, ridiculaq; est illius diligentia, & solicitudo, qui cùm pellucidum, abundantemque fontem ad manum habeat, turbidos, & cœnosos operosè consectatur riuulos. Ibid. 284. o.

Sic Rebecca cùm geminos concepisset, eorumq; in suo vtero colluctationem sentiret, neque sciret, quid illud tam insolens duellum vellet, *perrexit, vt consuleret Dominum,* Gen. 25. vbi Chrysostomus: *Vide mulieris sagacitatem. Quoniam viderat, quòd is, qui vuluam eius reserauerat, natura esset dominus, & infœcundum ventrem repentè ita fœcundum effecisset, & videbat vteri sarcinam magna quadam promittentem, perrexit vt consuleret Dominum. Quid est,* perrexit vt consuleret Dominum? *Cucurrit ad veram scientiam. Non ad humanum confugit subsidium, nec se exposuit deceptioni curiosorũ, & eorum, qui polliceri audent, quæ sunt supra humanam naturam, sed perrexit vt consuleret Dominum.* Ibid.

Non sic hodie agitur in media luce Euangelij vt tunc fiebat in illa obscuritate legis naturæ. *Cùm tribulatione quadam affligamur, ad omnia potiùs, quàm ad ipsum Deum nostrum recurrimus. Vnus tibi pusio ægrotat? Quaquà versùm circumfers oculos, requirens incantatorem, vel ad postremum ad medicum venis, & medicinas, eo interim contempto omisso, qui restituere potest sospitati.* Ita Magnus Basilius, quæ vtinam non verè in tempora nostra quadrent. Ibid. 286. c. 2. *Fructuosè apud populum vbiuis tractari possunt, quæcunq; de tali argumento habet hoc Caput.*

Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus, &c. Chaldæi, ex communi Patrum annotatione, diligenter obseruabant illud Balaami prophetæ alioquin falsi verum vaticinium. *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga ex Israël*, Num. 24. Cùm ergò Reges magi, qui erant Chaldæi, nouam, insolentemq; hanc stellam vidissent, & prophetiæ Balaami permemores essent, statim abierunt exploratum, quid ea sibi vellet, secutique sunt splendidum viæ ducem, stellam, inquam, quæ in medio sole refulgens in illorum animas suos diffudit radios, vt inuenirent, & adorarent salutis suæ autorem, quem suspirabant.

S. Maximus monet non mirari, quòd Chaldæi Dominicam Natiuitatem agnouerunt: *Nam si reuelante Deo gentilis Balaam potuit eam prænuntiare, potuit vtique & gentilis Magus agnoscere.* Hæc ferè ille PP 2. 616. c. 1.

Sic neminem excusat sua imbecillitas à faciendo eo, quod fecerunt multi, & facere potuerunt omnes. Ibid. 614. o.

Si *Esau currens obuiam fratri suo Iacob amplexatus est eum stringensq; collum eius, & osculans fleuit,* Gen. 33. si ante euangelium fuerunt homines tam strenui ad exercitandam hanc virtutem condonandi inimicis, in quibus Ioseph, Dauid, Iob, Ieremias, Daniel, Moyses, & alij sine numero, quis post euangelium promulgatum, & tot præcedentia exempla excusare se de intermissione similis operis queat? Ibid.

Multa vtilia, & formandis moribus commoda habet hoc caput.

Turbatus est rex, & omnis Ierosolyma cum illo. Si assentatio abfuit, benè factum, quòd cum turbato rege conturbati fuerunt subditi. Debent enim

subditi miserari suos reges, qui quanto in loco superiori, tanto in periculo maiore versantur, nec miserari tantùm, sed etiam iuuare quibuscunq; rebus suis. Tam iustum autem, & sanctum opus est subsidium ferre regibus inter angustias positis, vt ex altari accipere possis, quo illorum necessitatem leues, si aliud desit, quo opitulari queas. Abrah. 38. o.

Neq; subditi homines solùm, sed etiam sensibus destitutæ creaturæ, vt videtur, tenentur miserari suum Principem. Quære enim ex S. Ambrosio, cur Dauid malè precatus fuerit montibus Gelboe, in quibus Saul, Ionathas, & alij viri principes cæsi occubuerunt, 2. Reg. 1. respondebitque, pro regiæ necis spectaculo pœnam elementa soluisse. Spectatores aderant montes illi, quando Saul Rex, & dominus eorum occidebatur, & quanquam absque sensibus essent, videntur nihilominus sensum aliquem doloris, & miserationis demonstrare debuisse. Quia verò id non fecerunt, meritò emarcuerunt, & in suo virore sepulti iustum pro neglecto debitæ pietatis officio supplicium dependerunt. Ibid. 38. c. 2.

Primi Reg. 6. percussit Deus quinquaginta millia plebis, quòd pro Arca, quæ ipsis pro duce erat, & ignominiosè habebatur ab hostibus, adire periculum noluerunt. Et Abimelech Sacerdos Dauidi Panem sanctum, & Deo sacrum dedit, idq; pro reuerentia regis Saulis, ex quo ille secretum nuntium habere dixerat. Ibid 39. c. 2.

At si bonorum subditorum est ferre opem indigis regibus, debent econtra reges plurimùm attendere conseruationi suorum subditorum. Ibid. o. Et tributa ab eis expetere, quæ dependere possint: Moderata namq; tributa sunt concessa, quæ idcircò etiam Deus miraculis comprobauit, cùm prægrandia, & nimis grauia stragem Rebuspublicis, ruinam Imperijs, interitum Regnis adferant, & sint multorum aliorum malorum seminaria. Ibid. 42. o.

Et tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te enim exiet dux, &c. Matth. 2. Apud Michæam ista verba sic habent: *Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda.* S. Ambrosius obseruat. 1. in Michæam de his verbis ita disserit: *Nemo de remedio diffidat. Ecce vbi domus furorem videntis* (hoc enim significat Ephrata) *erat, ibi domus panis est* (hoc est Bethlehem) *vbi crudelitas, ibi pietas, vbi pœna innocentium, ibi vniuersorum redemptio.* Hæc S. Ambros. Ibid. 138. c. 1.

Et quis diffidat, tametsi peccandi consuetudinē insaniet, & furat, quando in Ephrata domo furoris, siue in qua furor Herodis tam atrocem innocentium puerorum stragem edidit, editus in mundum est Redemptor omnium? Abrah. 138. c. 1.

Non sunt ægritudines animæ, quales carnis infirmitates. Nam sint licèt quidam corporis morbi incurabiles, animæ tamen nullum est insanabile malum. Ibid. 137. o.

Non frustrà dixerunt Angeli sancto Lot: *Delebimus locum istum*, Gen. 10. Factum id, vt per illum imminentis excidij, & desolationis noua apud Sodomitas percrebescerent, intelligerentque ij, spem salutis esse reliquam, si erubescerent modò, & dolerent, dimitterentq; turpes obscœnitates suas. Nullus in tantam profunditatem scelerum se ingurgitare potest, quin erui queat, dum ex parte sua, quod potest, faciat.

Blasphemabant scribæ, & Pharisæi, cùm Christum dicentem paralitico, *remittuntur* tibi peccata tua, blasphemare aiebant. His ille contra dicebat: *Vt sciatis quia filius hominis habet in terra potestatem dimittendi peccata &c.* Matth. 9. Pulchrè monet Theophilactus: *Vide autem quòd super terram remittuntur peccata, quamdiu enim super terram sumus, poterimus dolere peccata nostra.* Spes est veniæ, quamdiu anima in carne.

Extendisti manum tuam, & deuorauit eos terra, hoc est, Ægyptios in mari suffocatos, Exod. 15. At si terra iam deuorârat, & mare in suo ventre iam sepultos habebat, quare Dominus extendit manum tanquam eam porrigere, & ferre opem mersis vellet? Vt discamus, de nullo penitùs desperandum esse, etiam qui submersus videatur, *possibile namq; est, vt si fortè resipiscat, qui deuoratus est, rursum possit euomi.* Ita Origenes.

Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Matth. 25. Hoc dicet Christus, quando causarum mundi extremarum iudex sedebit. Ergonè verò funestum illud barathrum soli diabolo, & angelis eius, neque hominibus simul paratum? Causa cur diabolo, eiusq; affeclis potiùs, quàm homini præparatus infernus dicitur, ea est, quòd homo emendabilis sit, dæmon incorrigibilis. A quo dæmon semel peccare cæpit, voluntatē suā anchorā obstinationis ad peccandum sic fixit, vt discedere à malo proposito nunquā possit, quare illi dicitur paratus ignis inferorum, non homini, qui quamdiu viuit mortalis, resipiscere à mortalibus peccatis suis ad vitam gratiæ potest.

Non

Non est desperandum de malis, sed pro ipsis, vt boni fiant studiosiùs supplicandum, quia numerus sanctorum semper de numero impiorum auctus est. Digna Augustino sententia, digna, quam tristes peccatores ad animi refocillationem identidem lectitent, & ruminent.

Ite, & interrogate diligenter de puero, & cùm inueneritis, renuntiate mihi, vt & ego veniens adorem eum. Sancti Augustinus, & Leo Magnus, alijque cùm secum reputarent tantam Herodis murmurationem, & solicitudinem, & ingens illud studium, quo Magos ad capessendam celeriter viam versùs Bethlehem perurgebat, & ab illis, quomodo res se haberet, certior fieri cupiebat, seq; adorationis cultum recens nato puero exhibiturum affirmabat, sic ferè aiebant: Quis ea omnia videre, & audire potuisset, neq; simul cogitare, à religiosissimo, & pientissimo animo profecta hominis, qui pulcherrimam veritatis lucem vnicè, ardentissimèque cuperet videre? Verùm multò seciùs res habet, nam malus dolus, & fraus, & mera impostura, & perfidiosa machinatio fuit, quidquid Herodes seu dixit, seu fecit: *Herodes deuotionem promittit, sed acuit gladium, malitiam depingens colore humilitatis finxit se vultu, & verbis adorare eum, quem iniquâ mente cogitabat occidere.* Sic Glossa.

O quàm simulabat infamis tyrannus adorandi noui regis cupiditatem, contorquens, ac submittens collum, attenuans vocem, extollens in cœlum oculos, identidemq; velut exanimitùs suspirans, atq; interim sanguinem innocentem intolerantissimè sitiens! PPP. 406. c. 2.

O quot habet mundus tales Herodes, quorũm dicta, factaq; plurima ab animo officioso descendere videntur, & ad imposturas, atq; offucias tendunt, aliudque sæpè machinantur, quàm præseferant! Ibid. 404. o.

Crebro hac ex vmbone magnis vocibus declamari deberent, quia plenus est mundus Politicis parùm Christianis, hominibus fictis & versipellibus, quorum si qua est argà alios humanitas, & beneuolentia, ea simulata est, & commentitia, qui nihil syncerè, & ex integro animo, sed omnia dolo, & arte agunt.

Stella antecedebat eos. Stellæ lumen adduxit Magos ethnicos ad Christum eiusq; fidem, & solis fulgor obscuratus, terraq; concussa permouerunt Centurionem, eosque qui cum illo Dominum custodiebant, vt in illum credentes dicerent: *Verè Filius Dei erat iste,* Matth. 27. Quid sibi vult, quòd nouæ stellæ splendor Persas Magos, & veteris Solis obscuratio milites illustrauit. Cur Deus effectum eundem per causas tam differentes operatur? Vt videas, quòd bonum, malumué non in rebus ipsis, sed in vsu earum bono, vel malo est positum. PPP. 348. o. Nam in omnibus rebus & pertimescere bona, & formidare mala possumus, eademq; lux & illuminauit Magos, & cæcauit scribas, ac Pharisæos, eisdemque tenebris obscurati fuerunt Iudæi, & illustrati ad fidem ethnici milites, quos dixi. Ibid. 349. c. 1.

Obtulerunt puero IESV *thus & myrrham.* Magno mysterio factum, quòd Christo infanti talia obtulerunt. Myrrha significat amaritudinem pœnitentiæ, thus orationem, iuxta illud. Psal. 140. *Dirigatur oratio mea sicut incensum, &c.* Christo puero ergo oblata fuerunt thus, & myrrha, vt discamus, pueros à primis diebus quibus sapere incipiunt, ad orationis studium & amorẽ excitandos, ætatemque illam mortificatione, & disciplinâ indigere, quia mollis est, & facilè vt virga flectitur in quamcunque partem velis. Ita ferè doctissimus Salmeron. Abrah. 170. col. 2. & 171. col. 1. *Vide ibid. pulchram Caietani quorundam verborum Salomonicorum expositionem, & commodam admonitionem.*

Obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Sanct. Ambrosius ait: *Aurum regi, thus Deo, myrrha defuncto* offertur. Si dixisset tanquam mortali, aut morituro oblatam myrrham, obuius esset verborum sensus, sed quòd defuncto exhibitam ait, quomodo rectè intellligi potest, cùm tam procul à sepulchro abfuerit puer, cui donorum suorum tributa sancti Reges pendebant, vt in cunis ab eis repertus fuerit. Præclarè tamen, & acutè locutus est Ambrosius. Quid enim de sacro cælorum Infante ait Euangelista, cùm ei oblatam myrrham narrat? *Cùm natus esset*, inquit, *ecce magi venerunt* adorare eum. Ergo vt agnouerunt hominem, vt viderunt natum, mox obtulerunt ei myrrham (quod mortuis dicari solet donum, quia myrrha defuncti perunguntur) vt indicarent, idem esse nasci, quòd denasci, quia quòd morimur, ex eo nascitur, quòd nascimur, & ortus noster nostri occasus est causa. PPP. 249. c. 1.

De eisdem muneribus, & regibus sic vaticinabatur Isaias: *Omnes de Saba venient, aurum, & thus deferentes,* Isa. 60. Quinam omnes? Magi siue sapientes, primores Sabæorum, qui omnium instar sint. Et quid deferent? *Aurum & thus,* inquit. Cùm tria fuerint à regibus Magis oblata do-na,

na, aurum, quo regem testarentur, thus, quo Deū assererent, myrrha, quâ mortalitatem illius significârunt, quare myrrham vrbanus Propheta prætermisit? Respondet Hugo Cardinalis: *Quia eius mortalitas erat satis aperta, sed diuinitas, quæ per thus, & regia dignitas, quæ per aurum designatur, erant latentia.* Deitatis maiestas, & regia dignitas Christi in tenera illa, tenuique ætatula latentissimè abscondebantur. Quis enim cogitare poterat in tam angustis arcti, & duri præsepis spatiis, in tam neglecto, & squalido stabulo potentiam regalem, & immensitatem Dei diuersari? Ergo prophetiâ opus fuit, quæ talia totis sæculis prædiceret, antequam fieri viderentur: Verùm de myrrha, quæ moriturum illum denuntiaret, nihil fuit necessum commemorare: Perquam manifestum enim erat, quòd ex more communi moriturus esset, qui per natiuitatem, vt cæteri solent, oriturus. Ibid. 248. & 249.

Omnes namque ex eo malo morimur, quòd nati sumus, & vt homo lethaliter infirmetur, sola vita ei satis est, nec alius morbus huc requiritur. Ibid. 248. o.

Mutuum debitum est inter se natiuitati cum mortalitate. Forma moriendi causa nascendi est, inquit Tertullianus. Et Seneca: *Quisquis ad vitam editur*, ad mortem destinatur. Ibid.

Obtulerunt ei munera. Verbo *obtulerunt* latino respondet græcum, quod etiam de manus iniectione dicitur, vnde rectè vsurpatur in munerum oblatione: Hanc enim vim habent oblata dona, vt manus iniicere, ac velut deuincire eum videantur, cui offeruntur. Ita Nouarinus. Certè muneribus nulla siue ad efferatissimos leones subigendos, siue ad arces adamantinas expugnandas, validiora sunt arma. Abrah. 158. o.

Vt Abimelech *inclinaret Abrahamum ad rogandum pro se, dedit ei munera*, inquit Abulensis. Tantùm valet aurum, vt eo solo, nec aliter obligari potuisse videatur sanctissimus ille patriarcha.

Munera, qualiacunque sint, quæ offerantur, gemmæ videntur ei, qui accipit. *Gemma pretiosissima expectatio præstolantis, quocunque se vertit, prudenter intelligit*, inquit Salomon Prou. 17. Chaldæa versio habet: *Lapis muneris gratia est in oculis eius, qui tollit eum, ad omnem locum, quò se vertit, prudenter agit.* Picturæ elegantiores certū requirunt situm, ac positionem, vt eam accipiant lucem, quæ detegere artificium illarum satis queat. Verùm qui munera defert, ad omnem locum, quò se vertit, prudenter agit, faciuntque dona ex homine picturam tam venustam, & admirabilem, vt ad qualemlibet lucem, ex quauis parte videatur decens, ac formosa.

De leone aiunt, quando ardens ira venit, faciliùs cicurari non posse, quàm si ei pallium, aut quodlibet velum inijcias. Tanquam insanus, fremens, ac frendens leo mouebat Esau in fratrem suum Iacob. Et quid hic? *Placabo illum muneribus*, aiebat, quod alii ex hebræo vertunt: *Operiam faciem eius velamine*, atque ita faciam, vt sæuire desinat, & mitescat. Ibid. 158. c. 1. & 2.

Denique illud solùm inexpugnabile videtur, quod potens munerum, siue donorum tyrannis non subigit. PP2. 581. o. *Vbi multa de hoc argumento.*

Sancti reges magi in somnis ab Angelo moniti sunt, ne redirent ad Herodem. Sed cùm ignari essent illius patriæ, cur non simul indicatum ijs iter, per quod ad sua reuerterentur? Herodes peccatū significat, vt ait S. Bruno. Superuacaneum ergo fuisset indicare illis certum iter, quib. prohibitum redire ad Herodem, siue peccatum, quia si vnam, quæ ad peccatum ducit, viam deuites, omne aliud iter bonum est. Abrah. 36. col. 1. Immò nihil malum præter peccatum, nihil bonum nisi vna, & sola Dei gratia. Ib. 35. o. *Multa habent in hanc festiuitatem Centones 2. Tomi, non etiam nulla primi.*

De Gloriosa Resurrectione Domini nostri.



Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalena, & altera Maria videre sepulchrum. Et ecce terræ motus factus est magnus. Duo in his notat Sanctus Petrus Chrysologus. Primum, quòd vespere vel serò venerunt mulieres ad sepulchrum, in quo vita posita fuerat. Alterum, quòd horrendo motu concussa est terra, cum illæ eo in itinere positæ Dominum requirerent. *Serò mulier currit ad veniam, quæ maturè cucurrit ad culpam, vespere quærit Christum, quæ in matutinis se nouerat perdidisse Adam*, inquit ille. Post meridiem olim venit Dominus exactum rationem ab Adamo violati præcepti. Ante meridiem ergo illud transgressus fuerat, multoque mane & serpens fraudem struere mulieri, & illa marito suadere præuaricationē cœpit. Cùmq; ambo contra

tra legem dominicam vetitis vescerentur fructibus, tam fuerunt omnia tranquilla, & quieta in illo amænissimo loco, vt solus Dei pedum sublenis strepitus auditus transgressoribus fuerit. Itaque ad mortem, ad culpam, ad venenum prima mulier primo mane festinauit ad arborem vetitam, in qua erat ferale sepulchrum, diluculò, & ante solem properauit: Ad sepulchrum verò Christi, in quo fuerat arbor vitæ, *Vespere sabbati*, serò, ac de nocte mulieres posteriores venerunt. Cùm Adam ad fructum vetitum extenderet manum, nihil fuit quod impediret, & neque terra contremuit, neque motus paradisus fuit, nulloque negotio factum est, vt dæmon per serpentem loqueretur, mulier viro malum suggereret, mulieri vir obtemperaret. At quando Magdalena sepulchrum dominicum petiit, vbi repertura erat Angelum, qui anastasin DOMINI indicare, indicandamque alijs præciperet, *terræ motus factus est magnus* & horrenda concussio. ad peccatum, quod est mors animæ, semper maturi, impigri, prompti sumus, tardi ad opera charitatis, & quæcunque ad animæ salutem faciunt. PP2 654. c. 2. & seq.

Immò tam expeditè, inhianterque prosequimur res nobis noxias, ac si in illis tota vitæ nostræ salus posita esset, ad salutaria verò tam tardè mouemur, tanquam exitij nostri, interitusque supremi causa esset. Ibid. 654. o.

De Christo mortis triumphatore ait S. Marcus 16. *Surgens mane apparuit primò Mariæ Magdalenæ*, Caietanus in ea sic disserit: *Hinc habemus horam Resurrectionis Christi fuisse in aurora.*

Quare cum appetente die, & primula crepera resurgere voluit Dominus? Respondeo ex sententia Caietani: Quòd Christus tunc surrexit, cùm aurora progredi cœpit, id factum, vt significaret, quòd velut aurora est prodromus solis, & currus triumphalis aduentantis diei, & porta lucis, ita suam Resurrectionem esse originem, & causam resurrectionis nostræ. Omnia nimirum sic disponuntur, vt omnes videant, & confiteantur, non esse aliud nostræ gloriæ ostium, nec aliam felicitatis viam, quàm Christum. PPP. 373. c. 1. Ex omnipotente quippè, & independente manu Dei pendent vita, & spiritus omnium, quæ viuunt, & spirant. Ibid. 371. o. Cùmque ille sit origo, & fons omnis boni, inde fit, vt non egeat præsidio, quo defendatur, neque seruo stipatore opus habeat. Ibid. 368. o.

Sanctus Marcus ait, Christum rediuiuum primò apparuisse Mariæ Magdalenæ. Communis quæstio est, quamobrem Dominus primas ex hominibus mulieres suo aspectu post mortem, & reditum in vitam lætificare voluerit? In promptu responsio est, voluisse sexum infirmiorem, magisque indigum consolationis antè lætificare, & reficere, quàm alios, vt hinc disceremus, ibi celeriùs, & promptiore studio, festinantioreq; remedio succurrendum, vbi grauior necessitas opem celeriorem voce contentiore postulat. PP2. 651. o.

Mulieres in hominibus sunt, quod ficulneæ, in arboribus, & hoc fecit Christus cum mulieribus, quod prouida mater natura facit cum ficulneis, earumque fructibus, de qua S. Ambrosius sic ait: *Quanta Domini prouidentia, vt vbi mollior fructus, ibi folij densitudo validius tegumentum tuendo deferat pomo! Quod videmus in fructu ficulnea. Delicatiora itaq; validioribus munienda sunt, vt & ipse quoq; Dominus per Ieremiam docet, dicens: Sicut ficus bona ista, sic recognoscam translatos Iuda, & firmabo oculos meos super illos. Tanquam delicatos enim velut quodam misericordia sua validiore sepsit tegmine, ne teneri fructus maturius interirent.* Non ficulneæ tantùm, sed etiam vitis fructus sunt mollicelli, atque idcircò latioribus folijs obteguntur, vt maiore curâ seruetur, quod maiorem habet seruandi necessitatem. Cùm ergò Christus sciret, mulieres molles esse, quales sunt vuæ, & ficus, velociùs illis subuenit, quarum delicata indoles, & teneritudo promptius remedium postulabat. Ibid. 652. c. 1. & 2.

Citò euntes dicite Discipulis eius, quia surrexit, dicebat Angelus mulieribus, quæ venerant videre sepulchrum Domini. At quid hoc audio! Mulieresné mittuntur nuntiæ tanti mysterij, quod est vnum ex fidei nostræ præcipuis! Tam grauis legatio humeris inijcitur curæ fœmineæ! An fortè ita defatigatus fuit ex submoti lapidis opere Angelus, vt ipse ea perferre Apostolis euangelia nequiuerit, ideoq; mulieribus id demandare negotij debuerit? Stultum est hoc suspicari. Quid ergò causæ, quòd mulieribus ea commendata legatio fuit?

Respondet Caietanus: *Efficit Angelus mulieres nuntias Resurrectionis ad Discipulos IESV, vt magis trahat illas ad credendum sibi.* Si Angelus mulieribus veritatem Resurrectionis tardiùs aperuisset, si cum illis austeriùs egisset, ægrè forsan fidem tanto mysterio accommodassent. Quid verò egit? Non solùm iussit eas credere, sed etiam alijs nuntiare, vt crederent, tantumque earum fidei tribuit, vt eas ad prædicandum alijs fidem ablegaret. Tanto

to eas honore ornauit, vt summorum Prædicatorum magistras faceret, & constitueret prædicatrices veritatis, quæ nuntiæ mendacij olim fuerant, *Vt magis traheret illas ad credendum*, & faciliùs fidem darent sibi, à quo mittebantur Euangelistæ fidei. PP2. 632. c. 1.

Credere aliquid ei, qui aliquando infidus fuerit, sagax nonnunquam industria est, per quam fieri solet, vt colere fidelitatem incipiat, qui violare solebat. Ibid. 631. o.

Videre id licuit in ijs, quas dixi mulieribus. Nam cùm ijs diceretur: *Citò euntes dicite Discipulis eius, quia surrexit*; idque ab Angelo tantâ splendoris maiestate conuestito, vt eas suâ incomparabili formæ venustate, non secùs ac ferrum magnes, facilè retinere posset, nihilominùs *exierunt citò de monumento cum gaudio magno currentes nuntiare Discipulis* Resurrectionem, quam indicare iussæ fuerant. Tantùm valet fidem aliquam tribuere illi, quem de infidelitate suspectum habebas, & muneris alicuius commissione eum honorare, ac deuincire, vt promptè obedientem habeas. Ibid. 631. & seqq.

Debent curare viri, vt ne leuiter suspectam habeant vxorum suarum fidelitatem, neque nimis arctâ disciplinâ eas constrictas teneant, sed magis ostendant, quòd illis credunt, vel fidunt. Quia vel bonæ sunt, vel improbæ. Si bonæ, tam custoditæ latent intra liliorum sepimentum, quàm aliæ intrà murum ferreum: Sin improbæ, tametsi vallo adamantino includantur, & collocatis ex omni parte excubitoribus vigilantissimè custodiantur, vanus erit omnis labor & solicitudo. Quia vt ille aiebat, *si omnis mulieri custodia adhibeatur, adhuc transibit per foramen acus.* De meli, siue taxo refert ex Aristotele quidam, quòd hoc animal *timens ne deficiat, fœminam vsque ad saturitatem comedere non permittit.* Videns autem fœmella immodicum illum crudelis masculi rigorem, dissimulat iniuriam, & *per partem alteram latibulum intrat, masculo ignorante, cibosque deuorat, & consumit.* Vide quid efficiat nimia austeritas, & arctitudo virorum erga vxores. Ibid. 632. c. 1. & seqq.

Non sine causa fecit Deus ex costa viri vxorem. Quæ verò illa causa? Costa formam arcus habet. Arcus si nimium tendatur, rumpitur. Fecit ergò Dominus ex arcuata viri costa mulierem, vt tacitè insinuaret, non debere maritum erga vxorem nimis austerum, difficilem, tetricum, ac durum semper esse, ne vt arcum immoderata contentio rumpit, sic illam intemperans rigor, & immodica asperitas frangat. Ibid. 633. c. 1. vbi consequenter plura in hanc rem.

Cùm à morte subacta, & triumphato dæmone rediuiuus Saluator Magdalenæ se manifestasset, mox illa pedes eius appetere cœpit, apud quos scelerum suorum gratiam semel felicissimè consecuta fuit. Sed Dominus promptum ad id genus obseruantiæ animum coërcens aiebat: *Noli me tangere, sed vade ad fratres meos*; Ioan. 20.

Sancti Ioannis Chrysostomi in ea Domini verba commentatio sic habet: *Non dixit, dic errantibus, dic fugitiuis, dic latentibus, dic negantibus, sed dic fratribus meis. O admirabilis bonitas Saluatoris! appellat fratres, quos nouerat negatores.* Id fecit, vt institueremur, quemadmodùm loqui de proximis nostris debeamus, sic vt tametsi defectus eorum non paucos nouerimus, honorificam tamen eorum mentionem faciamus, quoties se offert occasio. PPP 247. c. 2.

De nulla re cautiùs loquendum, quàm de aliorum erratis, & vitijs. Ibid. 246. o. *Ex his, quæ hoc Capite tractantur, fructuosè apud quodcunque genus auditorum differueris.*

Tomus primus habet integrum Sermonem de hac Festiuitate.

De Gloriosa Ascensione Domini nostri.

Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ, dicebat Discipulis suis in cœlum abituriens Dominus, Marci 16. 15.



CVR non iussit prædicari ethnicis, idololatris, malis, peccatoribus, sed *omni creaturæ?* Cùm Apostoli mundum obirent sanctum Euangelium disseminaturi, fieri non poterat, quin multa eis occurrerent, quæ impedimento essent, quominùs officio suo rectè vacare possent, cùm hic idololatriæ, illic homicidia, hic periuria, illic sacrilegia, hic blasphemiæ, & obscœnitates nefandæ, & alia flagitia per viam sese obijcerent, ijsque prædicaturis repugnarent. Vt ergò nihil horum eos deterreret, aiebat cœlestis Magister: *Prædicate Euangelium omni creaturæ*, neque spectate mala

mala eorum merita, ſed conditiones, quas à me Creatore habent, & opus meum in illis. Ita ferè Caietanus PPP. 305. c. 2. Fiebat hac ratione, vt cùm in eis, quibus prædicabant, non illorum errata, ſed naturæ conditionem, non maculam culpæ, ſed imaginem Dei conſiderabant, alacriores redderentur ad executionem ſui miniſterij, neque deficerent animis inter quoſuis labores ſui muneris.

Sic vnaquæque res ex ea parte conſideranda, quâ nos obligare, non quâ offendere poteſt. Ibid. o. Quater mille homines, præter mulieres & pueros Chriſtum triduo ſecuti, vt famem audiendi verbum illius ſedarent, eſuriem corporalem ingentem pati cæperunt, quos cùm ille à ſe dimittere jeiunos nollet, ne per viam deficerent, ſubmoroſi aiebant Diſcipuli: *Vnde ergo nobis in deſerto panes tantos, vt ſaturemus turbam tantam?* Matth. 15.

Viderant ſimilem hominum talium famem miraculo paulò antè à Domino depulſam. Fieri non potuit, vt illud iam obliti eſſent. Deinde ſperare nouum miraculum ab & facili poterant, quem tantâ miſeratione erga eos moueri videbant, vt diceret nolle dimittere famelicos. Quis ergo non ſuccenſeat tantæ Diſcipulorum inhumanitati, & diffidentiæ? Sed heus tu, quiſquis ſubſtomacharis in Apoſtolos, vel parùm ſuperiorum memores, vel non ſatis credulos, aut beneuolos. *Si tanta eorum cæcitati indignaris, quòd cùm adeò recens præteriiſſet illud miraculum, adeò velociter obliti ſunt, admirare tamen, quòd veritatem ita colant, vt ſcribentes ſuos etiam defectus non abſcondant.*

Ita Euthymius, velut, aliis verbis dixiſſet: Cùm hinc videas Apoſtolos obliuioſulos, & de virtute poteſtatis Chriſti vel dubios, vel minùs rectè ſentientes, quod tibi eſſe offendiculo poteſt, indè ſua errata proprio calamo euulgantes, ex quo diſcere valeas, quo in pretio illi habuerint, quantumque venerari eorum imitatione debeas veritatem, hoc attendere debes, quod te erudire poſſit, diſſimulare quod offendere queat. Ibid. 306. c. 1.

Rediturus in cœlum Dominus noſter donum omnium, quæcunque deſiderari poſſunt, opulentiſſimum pollicitus eſt ſuis Diſcipulis, dicens: *Ecce ego mitto promiſſum Patris mei in vos.* Luc. 24. Cùm hoc ſpopondiſſet, iuſſit eſſe bono animo, vt qui tam pretioſum breui eſſent accepturi beneficium, *& eleuatis manibus ſuis benedixit eis.* Quid ſibi voluit iſta tunc benedictio?

Reſpondet Theophylactus: *Benedicit Diſcipulos ſuos, fortaſſe infundens vim, quæ cuſtodiret vſq; ad aduentum Spiritus.* Et quid habebant Apoſtoli, vt neceſſarium eſſet eis infundi robur, quo ſeruarentur vſque in diem aduentus Spiritus ſancti? Quod diſcrimen eis impendebat, vt ad illud ſuperandum tantâ indigerent confirmatione? Periculum quidē nullum imminebat, vt tamen Spiritum ſanctum per ſolos decem dies conſtanter præſtolarentur, exiguumque illud tempus, quod intermiſſionem, & promiſſionem intercedebat, opperirentur, benedictione ſuâ, & majoris virtutis adiectione illos confirmandos putauit. Tantùm enim affligere expectatio ſolet, vt videatur Deus præſtolabundos nouis auxiliis neceſſariò conſtabilire debere. Abrah. 161. c. 2.

Sperare tam moleſta, & cruciabilis res eſt, tamque crudelis equuleus, vt qui hac paſſione vexatur, poſſit aliquo modo in martyribus numerari. Ibid. o. *Vide finem huius capitis, is tibi ampliſſimam oſtendet ſyluam, ex qua in hanc rem plurima conuehere poſſis.*

Quoniam hoc die in cœlos rediit Dominus, non abs re fuerit, inquirere, quomodo in eandem illam gloriam peruenire nos propter quos ille huc deſcēdit, poſſimus, vt quò caput noſtrum præceſſit, ſequamur, ſi tamen in illo inueniamur, & membrum de membris illius fuerimus. Iacob in ſomnis vidit ſcalam, cuius cacumen cœlos tangebat, perque eā Angelos non ſubuolantes, ſed gradatim *aſcendentes.* Et ſanctus Dauid quærit, *quis aſcendet,* non quis euolabit *in montem Domini?* Paulatim eò itur, non ſaltu vno peruenitur. Quid? In peccati abyſſum, quod tamen procliue, & facile, nemo ſe repente præcipitat, & quomodo in tantum ſupremæ beatitudinis faſtigium, quod tam operoſum eſt, vno volatu quis perueniet? PP2. 464. o.

In hodierno Euangelio præcepit Chriſtus Apoſtolis prædicare Euangelium omni creaturæ. Omnis autem creaturæ nomine S. Gregorius hominē intelligit, *quia aliquid omnis creatura,* inquit, *habet homo.* Meritò ergo microcoſmus, ſiue paruus mundus eſt dictus. Sed accipite aliam huius appellationis cauſam ex S. Petro Damiano, qui ait, ſi vocari hominem, vt ſciat *qualiter valeat conſummari, quomodo debeat perfici, vt ad ſua plenitudinis incrementa contendens, ipſam mundanæ conditionis ſpeciem imitetur, vt ſicut vniſibilis, atque corporeus hic mundus per ſuarum molem, ac multitudinem conſummatus eſt partium, ſic & homo noſter interior paulatim ad ſui plenitudinem veniat per augmenta virtutum.* Ex confuſo nihili chaos elegantem hanc

mundi machinam supremus Opifex eduxit. Huc longulum sex dierum tempus omnipotentis architecti dextra vertit, quæ momento totum absoluere poterat, meditatòque, ac de industria totos istos dies eò adhibuit, & nunc rutilantes illas faces noctis, dieique præsides, nunc cœlum, aues, pisces, brutas animantes, denique hominem creauit, vt hominem eo exemplo institueret, quam excolendæ animæ rationem tenere, & quomodo profectuum illius curandorum pensum perficere deberet, simulque moneret non sibi persuadere, quòd possit exiguo temporis, & laboris impendio vnâ statim vice consequi perfectionem. Virtutes enim multæ sunt, & quælibet earum multos habet gradus, & in quouis gradu non pauca sunt, quæ vinci debeant, & superari. Ibid. 465. & seq.

De eadem festiuitate habes multa in Centonibus Primi & secundi Tomi.

In Festo Pentecostes.

SI quis diligit me, sermonem meum seruabit. Ioan. 14. S. Petrus Chrysologus Serm. 125. ait: *Quis est, qui amet nolens?* (Abrah. 21. c. 1.) Nemo. Immò dilectio propensæ voluntatis est actus proprius. Qui ergo diligit Deum, volens hoc facit. Itaque etiam nihil mirum, quòd sermonem eius, omneque mandatum hilariter exequantur, qui diligunt, quia *quæ semel volentes exequenda elegimus, quamlibet molesta fuerint, tamen eam operosam molestiam deuoramus; ac perpetimur*, inquit S. Basilius Magnus. Ibid. 19. & seq.

Quamdiu non sponte, lubentesque agimus, passim titubamus, & offensacula inuenimus, & impingimus: E contrà cùm gaudenter, lætanterque opus quodlibet suscipimus, omnia nobis videntur facilia, & neque mons est, quem non superemus, neque scopulus, quem non moueamus, & euertamus. Ibid. c. 1.

Moysi præcipiendum fuit, vt susciperet ducatum populi, quia inuitus publicum munus administrabat, Isaias prædicandi officium amabat, satis proinde fuit occasionem prædicandi illi indicare, vt se offerret, ac diceret, Domino Ecclesiasten desideranti: *Ecce ego, mitte me.* Isa. 6. Ibid. c. 2.

Ipsæ grues, brutæ licèt animantes, dicere possunt, nihil difficile esse volenti. Illæ cùm è regione in regionem commigrant, quando per noctem conquiescere necessum est, tam solicitam, diligentemque exercent custodiam, vt nulla vnquam obdormiscat, cui excubandi prouincia commendata. Vnde illarum auium tam insomnis vigilantia? Respondet S. Ambrosius lib. 5. Hexæmer. c. 15. *Ideò nulla desertio, quia deuotio naturalis; ideò tuta custodia, quia voluntas libera.* Ibid. 20. c. 2. Vnde legis diuinæ tam facilis præuaricatio? Verbis eiusdem magni Doctoris, sed paulùm mutatis respondeo: Ideò leuis desertio, quia nulla deuotio, ideò neglecta custodia, quia voluntas inuita. *Nec quidquam tam facile, quin habeas difficultatem, quod facias inuitus*, vt inquit idem Ambrosius ibidem.

S. Lucas Act. 1. 14. ait, eos omnes, qui Christum in cœlos redeuntem viderunt, fuisse *perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus*. Non miscuerunt fabulas, sed inter mutuum & mutum silentium omnis illis cum solo Deo sermo erat. *Postquam autem in silentio orationi vacare cœperunt, Spiritus Sanctus super illos descendit abundè, omniumque linguarum scientiam ipsis tribuere dignatus est.* Ita S. Laurentius Iustinianus. Linguas suas ad breue silentium, vt Deo vacarent, damnârant, & in vicem eis concessum, vt linguis loquerentur omnibus. Quis vidit paruum silentium copiosiùs remuneratum? Quis non lubens, volensq; & linguæ suæ, & oculis, & iræ, omniq; prauæ cupiditati frenum pro Deo injiciat, gaudensq; relinquat, quæcunq; malesuada caro expetiisset, vt pro ijs tam largam habeat ab illo compensationem? Abrach. 2. c. 1.

Vide Centones 2. Tomi in eandem festiuitatem.

De Augustissimo Altaris Sacramento.

QVando Saluator noster Diuinissimum Eucharistiæ Sacramentum instituerat, statim in montem oliuarum cum Discipulis Sacrâ Cœnâ refectis abijt, de quo Sanctus Matthæus c. 2. 6. ita: *Et hymno dicto exierunt in montē Oliueti.* Quòd Oliua Sacris literis solenne misericordiæ sit symbolum, id tam notorium, vt otiosum sit probare. Cur ergo Dominus post illius Sacramenti institutionem in eum montem cum Discipulis suis secessit? Respondet Chrysostomus: *Vt & nos ad manus pauperum exeamus, ibi enim mons Oliuarum est.* Hæc ille homil. 84. in Matth. Vide eiusdem hom. 60. ad Popul. Antioch.

Dictum est suprà, quare Christus, & Discipuli post

post Sacrosanctam cœnam *hymno dicto exierunt in montem Oliueti.* Alia nunc occurrit causa, ob quam Dominus Discipulos suos post susceptum illud Sanctissimum Sacramentum, post cantatum etiam immortalium gratiarum hymnum, adducere in montem misericordiæ (cuius symbolum est oliua) voluit. Eam his verbis nonnemo reddit: Indicatur, quòd etiamsi Eucharistiam susceperis, etiamsi hymnum lætum cecineris, adhuc in montem Oliuarum conscendere, id est, ad Dei misericordiam confugere debeas. Pretiosissimo corpore, & sanguine roborati erant Discipuli, sacro cantu adhæc se communierant, & nihilominùs in montem se non securitatis, sed misericordiæ receperunt. Nemo quippe in hac vita securum se putare debet, quantumuis sibi tectus, communitusq; videatur, Abrach. 197. c. 1. & seqq. Maxima Christiani hominis securitas est, hoc sibi persuasum habere, nullam esse in hac vita securitatem. Ibid. 199. o.

Cùm tribus modis diuinissimum corpus Domini nostri in Sacrosancta illius cæna sumatur, nempe, Sacramentaliter tantùm, spiritualiter tantùm, Sacramentaliterq; & spiritualiter simul, vt cumulatiorem ex illo Sacramento fructum referas, plurimùm interest, affectu illud antè præcipere, quàm recipias effectu. PPP. 413. o.

Tam purus autem, & mundus, & lautus, & perpolitus ad Augustissimi Eucharistici cibi sumptionem homo deberet, si fieri posset, accedere, ac si iam iam baptizatus esset. Ibid. 417.

Qui sacramentaliter tantùm corpus Christi sumunt, quod faciunt peccatores, ij pro eo vt inueniant vitam, incurrunt in mortem, & qui bibituri erant ambrosiam immortalitatis, hauriunt poculum interitus. Quòd autem morte quidam inde occumbant, vnde in vitam alij redeunt, & venenum ex eo sugant, è quo theriacam alij accipiunt, ea summa infelicitas est, & prodigiosa calamitas. Ibid. 422. o.

Iam damna, & incommoda huius augustissimi Sacramenti non suam à cibo illo cœlesti originem ducunt, sed à malo statu, & peruersa dispositione temerarij, & cæci peccatoris, qui eum percipit. Ibid. 426. o.

Panis hic suauissimus dulcissima defatigatio est humani intellectus, cui perhonorificum est tam amabili martyrio cruciari. Ibid. 431. o.

Lauta hæc mensa est etiam amabilis excruciatio voluntatis, dum illi non permittit videre faciem eius, quem & proximum habet, & plurimùm diligit. Sed quæstuosa est voluntati omnis illa vexatio, lucrosa pœna, & afflictatio. Ibid. 434. o.

Dulcissimum hoc Corporis, & sanguinis dominici beneficium, quia diuinorum donorum maximum est, idcircò validissimè torquet memoriam, sed hæc à vicina voluntate habere commodatò potest, vnde suā leuiorem faciat cruciatus miseriam. Ibid. 437. o.

De Gloriosa Transfiguratione Domini nostri.



Resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. Angelici Doctoris obseruatio est, quòd Christus, cùm adhuc mortalis secundùm carnem esset, ostendit se in monte in habitu glorioso, quando corpus eius nondum erat glorificatum, post Resurrectionem verò cùm iam corpus eius verè esset gloriosum, nec habitum gloriæ vnquam ampliùs dimissurum, peregrinis Emauntem petentibus se in habitu peregrini, & personatum hortulanum Magdalenæ ostendit. Causa nunc quæritur, ob quam Redemptor noster permagnifico illo splendore in præcelsi Thaboris vertice sese amicire voluit, quando carnem nondum glorificatam, sed passioni, & morti natam etiamnum vestiebat, econtrà verò peregrinum, hortulanumq; assimulare, & hoc, quod erat, dissimulare, cùm corpus iam haberet, quod & gloriosum, & partam tot cruciatuum tolerantiâ gloriam perpetuò retenturum erat?

Voluit Christus tam gloriosè, cùm adhuc humilis, tam humiliter, cùm iam gloriosus, vestire, vt eo exemplo nos institueret, ne quisquam desperet, in quantamuis miseriarum abyssum descenderit, quantiscunq; pœnis affligetur, fieri enim posse, vt vno fauentioris fortunæ aspiritu ex imo miseriarum in supremum felicitatis fastigium euehatur: Deinde id etiam fecit, ne is, qui omnibus huius vitæ bonis circumfluit, nimiùm propterea superbiat, fieri enim etiam posse, vt idem fluctus, qui pauperem in editum locum extulit, ipsum diu fortunatum inde ad infima deturbet, & ex Thabore gratiæ in humilem hortulani conditionem præcipitet, sic vt deinceps in vagis peregrinis, & vilibus mendicabulis sit, qui nuper in principibus, & summatibus. PPP. 296. col. 1. & 2. & seqq.

Itaq; stabilitatem sibi in huius vitæ qualibuscunque successibus promittere nemo debet, nam & la-

psus

psus resurgere, & in altum euadere potest, & in sublimi positus ruinæ, prolapsionisq; periculo semper est expositus, Ibid. 294. o.

Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Dicebat hæc apud Matthæum è nube Pater cælestis, quæ cùm audirent *Discipuli, ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde.* Antehæc cùm in Iordane baptizaretur Christus tantundem dicebat Pater æternus Matth. 3. cœliq; aperti sunt, & Spiritus S. in columbæ specie descendit, & nemo conterritus dicitur. Cur in summo Thabore expauefacti, & prope exanimati fuerunt Discipulorum charissimi, & apud Iordanem nemo metu perculsus, cùm tamen vtrobiq; eadem verba fuerint audita? Causam Chrysostomus, & Euthymius coniectant ex discrimine loci, in quo vtriq; auditores erant. Qui in Thabor verba Patris audiebant, editissimo in loco erant, *duxit* enim *illos* Dominus *in montem excelsum*, Matth. 17. Qui apud Iordanem audiebant, in loco humili erant. Illi ergo in Thabor timuerunt, quia altitudo magna erat, ij apud Iordanem nihil formidabant, *quia in plano erant*, inquit Euthymius. Abrah. 59 & seqq. Quicunq; fauentioris fortunæ beneuolentiâ sublimem felicitatis gradum tenent, pluribus, & maioribus auxiliorum copijs opus habent, quàm illi, quos grauior calamitas depressos, & humi afflictos tenet. Ibid. 58. o.

De Sancto Thoma Apostolo.

Dominus meus, & Deus meus. Hæc incredulus Discipulus cœlesti, & triumphatori Magistro dixit, quando sacram indulgentiæ portam, diuinum, inquam, latus tetigerat, tantique Domini inflammatus amore, attonitoque similis singulari cum affectus ardore, humilitate, deuotione, contritione in ea verba erupit, tanquam dixisset: Quidni certò, indubitatòq; credam, quòd inuictus, & omnipotens in vitam redijsti? Hæc fuit perfectissima confessio, per quam Sanctus Thomas gratiæ, & amicitiæ diuinæ lucrum fecit. *Dominus meus, & Deus* aiebat. Lyrani commentarius in ista sic habet: *Supra vocauerat Iesum Dominum, sed non Deum.* Verùm nunc vtroq; nomine appellat, sicq; partibus omnibus explet suam confessionem, & gratam reddit. PP2. 469. c. 1. & 2. Est illius [illegible] quidem confessio, qui Christum pro Domino habet, agnoscitq; (ipse namq; Discipulis suis antè dixerat, *Vos vocatis me Magister, & Domine, & benè dicitis, sum etenim*, Ioan. 13.) non satis tamen nobis est, quòd Dominus noster sit, qui Deus est, nisi curemus, vt & Deus noster sit, qui Dominus est. Ibid. 466. o.

Multa habet hoc caput, quæ ab erudito Ecclesiaste vtiliter prædicari queant.

De Sancto Nicolao Episcopo, & Confessore.

Homo peregrè proficiscens vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Matth. 25.

Homo ille Redemptor noster est, qui cùm in ea carne, quam assumpsit, in cœlum abijt, peregrè profectus est, carnis enim locus proprius terra est, vt velut ad peregrinandum ducta fuerit, cùm in cœlum subducta. Ita S. Thomas in sua catena ex Magno Gregorio. Quinam illius serui? Apostoli, eorumq; successores Episcopi, quos *posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo*, vt ait Paulus Act: 20. His vocatis doctrinam Euangeliorum tradidit Christus, vt inquit rursum S. Thomas ex B. Hieronymo, aliaq: dona, & bona in ædificationem corporis sui, quod est Ecclesia. Quònam verò ea parabola spectat? *Inducitur contra eos, qui non modò pecunijs, sed nec verbo, nec alio modo prodesse volunt gregi sibi commisso.* Ita ferè Greg. apud eundem S. Thomam. Quid ergo ijs fiet Episcopis, qui non modò non subministrant egentibus subditis, aurum, vt Nicolaus, sed etiam prægrauant eos immodicis exactionibus, idque vt non necessarias domos, & palatia superuacanea construant? Centum prope anni sunt, quando pius ac doctus Hieronymus ab Oleastro has dabat querimonias. *Sunt proch dolor multi Rectores communitatum, qui pro publica vtilitate multa petunt à populo, sed nihil vnquam, etiamsi supersit, communitati restituunt, sed in suos, vel in alios quoslibet vsus conuertunt, non considerantes, populum de cæterò libentiori animo donaturum, & plura, cùm viderit, quæ offert, fideliter à ministris, & gubernatoribus dispensari:* Hæc ille in annot. morali in c. 36. Ex. Terribiles certè minas, & horrenda supplicia effulminat Deus in illos, siue Episcopos, siue Principes, & Reges, qui opprimunt paupepes subditos, emunguntq;, & quæ illis extorserunt, in vsus priuatos profun-

profundunt. Abrah. 111. o. *Multa sunt in hoc capite, quæ multi Principes huius ætatis, & tempestatis nostræ, multa cum attentione legere, & pensare debeant.*

Pueris hodieque explorata est Sancti Nicolai in pauperes benignitas, quæ ex eo vel maximè eluxit, quòd cùm sciret suorum subditorum quempiam tam pauperem, vt filias suas, quas collocare in matrimonium per inopiam non poterat, prostituere vellet, vt corpore corpus alerent, non expectauit illum supplicem, atq; vt iuuari rogaret, sed non imploratus noctu iniecit in eius domum tantum auri, quantum collocationi filiarum sat esset. Non exigua liberalitas est, pauperi fores nostras inclamanti subuenire, occurrere verò sine expectatis precibus, & opem suam, lauamenq; vltrò offerre, maxima, & integerrima prolixitas videtur. Abrah. 109. o. Talis fuit Abrahæ liberalitas, quam vide ibi accuratè expensam. Vide Commune Confessorum.

De Sancto Stephano Protomartyre.

Et intuentes Stephanum omnes, qui erant in consilio, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli. Act. 6.

QVanta vultus elegantia fuerit, quæ fecit, vt tam iuratis, & dæmone plenis hostibus angelicus videretur vultus eius, quem alioquin videre præ odio non poterant. Quamobrem ita resplenduerit vultus eius, id vide apud Nouarinum. Id mihi permirum, quòd tam Angelica pulchritudo vel non emollire Iudæorum præsentium animos, vt mitescerent, potuerit. Nam tametsi nulla habeas arma, milites nullos, nulla tamen sunt arma, nulli milites tam validi ad expugnandum, tam potentes ad subigendum, quàm formæ liberalioris elegantia, & venustas. PP2. 482. o.

Iacobtem luctator Angelus superare non potuit, Rachel solis formæ decentioris armis facilè cepit; diuturnæq; seruituti, quod mireris, sic addictum tenuit, vt longam, grauemque lætantissimè seruire seruitutem, & paucos dies reputaret, qui erant plures anni.

In laudem corporalis formositatis si plura desideras, inde pete.

Positis genibus B. Stephanus *clamauit voce magnâ* orans pro hostibus suis.

S. Augustinus tanquam præsens adfuisset, vbi supplex pro hostibus suis Stephanus inter saxorum imbrem submissis in terram poplitibus preces simul, & animam fundebat, sic eum appellabat: *Fige genu in hac vinea, fortissime operarie. Fige, inquam, genu in opere huius vineæ, fortissime operarie. Magnum opus tuum, egregium, & laudandum multùm. Multùm altum fodisti, qui odium inimicorum de corde exuisti.* Omninò magnum, & peregregium opus illud fuit. Nam rerum arduarum, & operosarum facilè difficillima est condonatio iniuriarum, & obliuio contumeliarum. PP2. 609. o.

At quò difficilior pugna contrà naturam ad vindicandum valde propensam, eò illustrior victoria. Ibid. 611. o.

Et vindicta quædam, sed noua, sed mundo insolens, & pænè prorsum incognita, sed diuina fuit, quòd B. Stephanus pro ijs orauit, à quibus lapidabatur. Nullum certè sublimius vlciscendi genus, quàm exhibere bona ijs, à quibus acceperis mala, & pijs beneficiorum armis illum oppugnare, qui sanguinario iniuriarum bello lacessit. Ibid. 617. o.

Habes in his tribus cap. multa docta, & moralia.

De Sancto Stephano Protomartyre.

Ecce video cælos apertos & Filium hominis stantem à dextris Dei. Act. 7.

QVærit hic nonnemo, cur solâ cœlorum apertorum visione, & Filij hominis aspectu, neque simul terrenis præsidijs munitus fuerit B. Stephanus, quando non recumbebat in lapide, vt Iacob, sed excipiens lapides occumbebat. Respondet autem, quòd amanti IESVM IESVS sufficiebat. Addo, sat illi fuisse vidisse IESVM, ex cuius voluntate sciebat descendere, quòd pro ipsius gloria, & fidei assertione lapidibus obrutus extingueretur, vt animus oppressos è corpore vi, & pondere saxorum expressus per apertos cœlos liber, expedituśque ingrederetur.

Ascendebant pariter in montem sacrificij perficiendi causâ Abraham, & Isaac, & hic quidem humeris imposita ferens ligna, quibus imponendus, & exurendus erat, ille verò portans ignem. Nesciebat rationalis hostia, quòd hostia futurus ipse esset, quare

quare patri dicebat: *Ecce ignis, & ligna, vbi victima holocausti?* Genes. 22. Respondit ille: Non te hæc cura solicitet, *Deus prouidebit sibi victimam holocausti, fili mi.* Cùm hæc pater diceret, & Filius audiret, *pergebant pariter*, quod sacer scriptor his verbis monendum putauit, & Sanctus senecio quidem ignem, obediens Filius autem ligna portabat. Sed cùm esse curiosula adolescentia soleat, auidaq; sciendi, mirum est, quòd non plures Isaac mouit quæstiones. Quid verò causæ? *Vt Dei nomen audiuit, nullum vltrà verbum addidit* (ita respondet Chrysostomus) *nec curiosius quidquam inquisiuit, vsq; adeo prudens erat hic puer.* Mos seruorum Dei proprius id habet, vt cùm Deo ordinante aliquid fieri intelligunt, inclinent ceruicem, submittant humeros, lætanterq; excipiant onera, quæ sibi iniici putant. PP2. 499. c. 1.

Verbum Dei habeo ad te, dicebat Aod Egloni homini ethnico, *qui statim* ac audiuit, *surrexit de throno suo*, Iudic. 3. Confodere idololatram regem Aod volebat, sed per sublime solium, in quo sedebat, non poterat. Vt ergò surgeret, & descenderet, id efficere posse putauit, si diceret, ex Deo habere, quæ nuntiaret. Neq; tamen quisnam esset Deus, Israëlitarumne, an Chananæorum, ex quo mandata haberet, explicabat. Nimirum Aod prudenter arbitrabatur, surrecturum Eglon de solio suo, reuerenterq; auditurum, quæ dicere velle simulabat, si modò crederet negotia Dei esse, de quibus cum illo communicatum veniret. Ita ferè Abulensis Ibid. 498. c. 1. & 2.

Si homo Ethnicus simul ac nomen Dei audiuit, etiam nesciens qualisnam Dei, statim surrexit de throno suo, quid mirum, quòd Stephanus, qui vidit cœlos apertos, & sciuit ex illius prouidentia descendere imbrem crepitantium saxorum, quibus obruebatur, cum gaudio, & voluptate diluuium illud excepit? Cur homo Christianus sciens omnes calamitates, anxietates, ærumnas ex veri Dei ordinatione proficisci non eas hilariter amplectatur, non etiam surgat vt dispositioni illius, quam debet, reuerentiam exhibeat? Ibid.

Chrysostomus vafritiei, & dolositati, veteratoriæque arti impostoris dæmonis tribuit, quòd vxor Iobtis, cùm maritum suum ad induendum laqueum, desperandumq; incitabat, non Deum apud illum accusauit tanquam miseriarum, in quas prolapsus esset, autorem. Quando ergò murum illum adamantinum præstigiarum peritissimus artifex dæmon per suppetias mulieris omninò semel demoliri optabat, fecit vt calamitates, quibus vexabatur, commemoraret, Dei autem mentionem nullam faceret. Quamobrem? Quia cùm efferatus hostis ægrè ferret, quòd S. Iob omnes suas ærumnas in Deum tanquam earum primam originem referret, ac diceret: *Dominus dedit Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum*, & ad hanc anchoram patientiæ suæ miserè agitatam naniculam alligaret, cauit ne subsidiaria mulier Dei mentionem faceret, experiretur, num deijcere illum posset, si Dei recordationem ei adimeret, sciens seruos Dei in omnibus suis aduersitatibus non habere aliud præsentius solatium, quàm quòd sciant ex Dei ordinatione, quæcunq; patiuntur, descendere. Ibid. 497. & seq.

Sic omnes ijs, quæ Deus ordinat, & disponit, tam demissè, humiliterq; obtemperare debemus, vt hæc sit nostra maxima semper consolatio, quòd scimus ab illo constituta, quæcunq; patimur, siue toleramus. Ibid. 497. o.

Crebris, ac magnis vocibus Iacobtem sua Rachel inclamabat: *Da mihi liberos, alioquin moriar*, Gen. 30. siue vt Hebræus Caietani vertit: *En mortua ego*, præut iam dudum sobolem ex te intoleranatissimè expecto. Cùmq; ille respondisset: *Num pro Deo ego sum, qui priuauit te fructu ventris tui?* Videns Rachel, quòd Iacob iustè responderat, redargutionem illius, sterilitatemq; suam patienter tolerauit, quam sibi à Deo inflictam intellexit. Sic debet illud cordis nostri conquietatio, & oris infrenatio esse, quòd scimus à prouida maiestate Dei ordinari, quæ patimur. Ibid.

Hæc facient ad consolandum tristes, & ærumnosos.

In Centonibus Primi & secundi Tomi, habes multa de hoc Festo.

De Sancto Ioanne Euangelista.



Vidit Discipulum illum, quem diligebat Iesus. Quærit S. Petrus Damianus, quomodo Ioañes Euangelista meruerit, vt Discipulorum dilectissimus diceretur. Quem diligebat Iesus, se in postremis Euangelij sui capitulis se iterùm iterùmque nominat. Hinc acceperunt Sacri Doctores, vt eum dilectum Domini appellandum putàrint. Hoc nomine & sponsus in Canticis, & Christus à suo æterno Patre donatur. Cur verò etiam Ioannes? Respondet S. Damianus: *Arctißimè se in sui Redemptο-*

demptoris, ac dilectoris amore coniunxit, propter quem ſcilicet coniugalis thori fœdera abdicauit, in nuptijs ſci. Canæ celebratis, à *quibus eum*, vt ex communi ſententia Lyranus affirmat, *Chriſtus vocauit ante conſummationem matrimonij*. Vide nunc quàm prolixè Deus reddit, quod pro illo relinquitur. Ioannes pro Chriſto nomen, remq́; ſponſi reliquit, Chriſtus amorem Ioannis vxorium, quanquam licitum, & honeſtum in ſui amorem ſpiritualem mutauit, fecitq́; vt qui dilectione coniugali peritura perituram deperire mulierem volebat, totum ſe in virginalis mentis transferret affectum, & Virginis Filium Virginem Virgo charitate immortali demoreretur, iamq́; non aliter vocaretur, quàm Diſcipulus, quem diligebat Ieſus, & ſuoipſius nomine, quod eſt Dilectus, illum donaret. Abrah. 104. c. 1. *Igitur Pro Deo aliquid perdere, lucrum eſt, non damnum*, inquit Alcuinus.

Teſtari hoc Abraham quoque poteſt, qui Dei iuſſu præputium, tantillam carnis ſuæ particulam dedit, & ampliſſimum, nec inane, nomen accepit, vt qui anteà Abram dicebatur, poſthæc Abraham, hoc eſt, pater multarum gentium appellaretur, & eſſet.

Imparem ſe Moyſes tanti populi gubernationi ſentiebat, ſocioſq́; laboris à Deo petebat; qui iuſſit quoſdam ad oſtium tabernaculi adduci, & ait: *Auferam de Spiritu tuo, & tradam eis, vt ſuſtentent tecum onus populi.* Num. 1. *Illud auferã de Spiritu tuo*, Hebræus Caietani tranſtulit, *Grandibo de ſpiritu tuo*, hoc eſt, faciam, vt grandeſcat ſapientia, quâ præditus es. *Auferam & grandibo*! Qui aufert, non grandit, non auget, ſed minuit. Quid ergò aiebat, Dominus, *Auferam & grandibo*, detraham de ſpiritu, & maiorem faciam? Deus tam eſt liberalis, vt nihil cuiquam auferat, quin grandius reſtituat. Quare quod dicebat, velle de Moyſis ſpiritu auferre, tantundem erat quantùm velle ei cum magnis incremẽtis reddere. Ibid 104. c. 2. Quare vt alij lucra expetunt, ſic debent Chriſtiani optare ſuarum rerum pro Deo iacturam, vt qui magna diſpendia ingentibus beneficijs compenſet. Ibid. 163. o.

Conuerſus Petrus vidit illum Diſcipulum, quem diligebat Ieſus ſequentem, qui & recubuit in cæna ſuper pectus eius, & dixit, Domine, quis eſt, qui tradet te? Ioan. 21. Rupertus in hæc ita quærit: *Quare Ioannes vltrà ſolitam ſuæ perſonæ deſcriptionem nunc addidit*, Diſcipulus ille, qui & recubuit in cæna ſuper pectus eius, & dixit, Domine, quis eſt, qui tradet te? *Cùm enim multis iam in locis mentioẽn ſui fecerit, dicendo*, quem diligebat Ieſus, *hic in ſui deſignationem addidit*, qui & recubuit in cæna ſuper pectus eius, & dixit, Domine, quis eſt, qui tradet te? Sciſcitabatur ex Petro Chriſtus ſemel, & iterùm, iterùmque: Diligis me? Tale quid interrogatus Petrus obuertit caput, videnſq́; Ioannem ſequentem, velut inuicem percontabatur: *Domine hic autem quid?* Cùm hoc narrat Ioannes, ſimul addendum putauit, Petrum hoc non de quouis alio, ſed de illo quæſijſſe, qui paulò antè, cùm in cæna Dominica caput in pectus Chriſti depoſuiſſet, interrogauerit eum ex Petro, quis illius proditor futurus eſſet, velut verbis alijs apertiùs dixiſſet: O quanta viciſſitudo rerum humanarum! quàm variæ, & mutabiles ſortes mortalium! Ex me hoc arbitrari poteſt qui aliundè fortè neſcit. Nam ego ille ocellus Chriſti, ille diſcipulus eius dilectus, ille, qui caput meum in pectus illius reclinaui, ille, per quẽ Petrus ſciſcitari debuit, quis futurus proditor eſſet; cùm id interrogare ipſe non auderet, ego ille, inquam, nunc Petro viciſſim opus habeo, vt de me, quid mihi futurum, quærat. PPP. 295. c. 1. & ſeq.

Reuera ſtabilitatem ſibi in huius vitæ ſucceſſibus, & proſperitatibus promittere nemo poteſt, nam & qui humili in loco eſt, in altum exſurgere poteſt, & in ſublimi poſitus ruinæ periculo ſemper eſt expoſitus. Ibid. 294. o.

In Centonibus primi & ſecundi Tomi habes plura de hoc Feſto.

FESTA IANVARII.

De Sancto Raymundo Confeſſore Ordinis Prædicat.

SAnctus Raymundus Generalis totius Ordinis Prædicatorum Magiſter magno omnium conſenſu declaratus, officio poſt biennium, quo illud ſuſceperat, ſe abdicauit. *Ex bulla* Canonizationis eius. Itané honorem fugit, quo illum tanti Ordinis viri ſummates omnes paribus calculis dignum iudicârunt? Fecit, quod boni omnes, qui quò magis honorantur, eò ampliùs ſe contrahunt, ac demittunt, ſecùs ac mali, inſoleſcunt ex laudibus. Abrah. 100. o.

Erat Vir Sanctus à Sacris Confeſſionibus Iacobo Aragonum Regi, Rex autem turpibus implicatus

pellicis amoribus cum offendiculo Catholici regni publico. Cùm autem sciret Beatus Raymundus, quòd talibus peccatis grauiter offenderetur Deus, & regum suorum non modò luere scelera, sed & imitari procliuiter solerent subditi (*facilius est quippè, si dicere fas est, errare naturam, quàm dissimilem sui Princeps possit formare rempublicam*, de quo vide PP2.520. c. 1. vbi hoc affirmat Cassiodorus, & exponit Nissenus) eò quòd Principes, & omnes vniuersim superiores sint quoddam primum mobile, cuius motum leuiter sequantur subditi, Abrah. 108. o. vt regem à flagitijs abduceret, & Dei flagella à populo subdito auerteret, & populum ipsum à perpetratione similium peccatorum prohiberet, omnem mouit lapidem, regemq; ex officio identidem monuit, & de periculo proprio, de scandaloq; alieno,atq; aliud ferè nihil obtinuit, nisi quòd ille promitteret emendationem, sed non dimitteret proximam peccandi occasionem.

Verè piceas, & glutinosas manus habet fœda illa cum mulierculis consuetudo, vt non facilè euadere possit, quem illa semel inuaserit. Num. 25. Cùm Moyses præciperet Iudicibus Israël, vt occideret vnusquisq; proximos suos, qui initiati essent Beelphegor, *ecce vnus de filijs Israël intrauit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem, vidente Moyse, & omni turbâ filiorum Israël, qui flebant ante fores tabernaculi.* Pudendum facinus, quod alius perpetrare non potuit, nisi qui amore cæcatus prorsum obbrutuerat.

S. Gregorius Nyssenus in l. de vita Moysis versùs fin. quærit, vtrùm salutare quoddam consilium hac re historia sacra præbuerit. Et quid ex tam propudioso facto haurire possumus, quod in vsum nostrum transferamus? Illud saltem documenti inde accipere possumus, respondet Nyssenus, *quod cùm multi sint morbi, & ægritudines animi, quibus homines capiuntur, nihil tantam in nos vim habere, quantam spurcissima hac libido. Nam si viri illi, qui Ægyptiorum equitatum diuinitùs tecti non timuerunt, qui Amalecitas fuderunt, simul ac visæ sunt mulieres, voluptatis mancipia facti sunt, quid aliud nos instruit,* qui hoc refert, *quàm voluptatem hanc cauendam esse, quæ titillationibus suis viros armis inuictos superauit, quòdq; impudentius est, palàm agi turpitudinem persuasit? Ita bestialis ad libidinem impetus in pecudes homines vertit.*

Ita nihil nouum erat, quòd regem illum à turpi mulieris, cui semel se tradiderat, commertio abstrahere facilè non posset Raymundus, qui cùm hoc videret, & videre diutiùs non posset, dimissionem & licentiam nauigandi ex insulis Balearibus in Cataloniam petijt, sed non impetrauit. Immò verò cùm iterùm, atque iterùm eam abeundi facultatem rogasset, Rex, qui sciebat Raymundi sanctitatem, neque ignorabat, tales viros iustos hoc esse mundo, quod columna est domui, ratio animo eorumq; opulentis meritis reliquos homines locupletari, (Abr. 156. o. & deinceps) ne fulcrum illud suo regno subtraheretur, pœnam capitis publico decreto constituit illi, quicunq; Raymundum confessarium suum trans mare veheret. Quare cùm aliter euadere non posset, expandit super aquis maris pallium, inscendensque insolentem nouus nauarchus celocem centum sexaginta sex milliaria intrà sex horas traiecit.

Sacer Mediolanensium Archiantistes Ambrosius Serm. 14. de S. Nazario refert, quòd Cæsaris iussu in vasti maris gurgites deiecto ambulare super aquas diuinâ prouidentiâ concessum est, sicut rerum obstupescente naturâ per insueti itineris nouas vias inferens gressum, tumentia maris dorsa calcaret. Hæc ille totidem ferè verbis. Raymundum nulla quidem Cæsaris iussio in vasti maris gurgites, sed Regis cæterà boni intemperans libido in eam necessitatem coniecit, vt miraculum à Deo efflagitare debuerit, quo euaderet, ne tam grauis scandali spectator esse cogeretur. Et Nazarius quidem tumentia maris dorsa calcauit, atque ita perrexit, Raymundus verò tantum spatium tantillo tempore emensus, neque pedem mouit, sed illius spiritus, qui inter primordia mundi ferebatur super aquas, flatu, atque impulsu per æquor delatus Maiorica Barcinonem intra horas quas dixi peruenit.

In Centonibus primi & secundi Tomi inuenies alia de eodem Sancto.

De Sancto Antonio Abbate.



Rebrò dæmonem S. Antonius ieiunio, & oratione vicerat, & fugârat, nec tamen frequens de satana triumphus securum illum reddebat. Refert hoc illius apud Athanasium historia.

Vna hæc Christianorum maxima securitas est, hoc sibi persuasum habere, nullam esse in hac vita securitatem Abrah. 191. o.

Dauid rogabat sibi auferri opprobrium, quod suspicabatur, hoc est, adimi peccata, quibus ne for-

tè

tè implicatus, contaminatusq; esset, subuerebatur. Sciebat nimirùm se hominem esse, & sibi cauebat, vt poterat, inquit B. Ambrosius.

Genesis 12. dicitur Abraham progressus ad montem, qui est contrà Orientem Bethel, & ibi tetendisse tabernaculum suum. LXX. verterunt hæc vltima: *Et ibi castra metatus est.* Tam pacificus homo erat Abraham, vt consobrino suo Lot optionem reliquerit terræ, quamcunq; vellet, ne quam iurgandi cum illo occasio esset. Cur ergò castra metatus est, tanquam in hostes moueret? Fuerunt illi eo verbo vsi, vt ostenderent Patriarcham fuisse semper expeditum, atque accinctum, & sic vixisse in media pace, vt Vigilantissimus miles iuxta hostes solet.

Christus apud Lucam 24. c. iubebat Apostolos sedere in ciuitate, quoadusque induerentur virtute ex alto. In quæ verba notat Theophylactus, quòd non dixit, quousque acciperent virtutem ex alto, sed quousque induerentur eâ, vt declararet, custodiâ spiritualis armaturæ omninò induendos, & maximè securos fore, si nunquam curâ vacui essent, vt propterea velut cataphractos eos facere vellet, & armare loricâ virtutis, quæ non alibi, quàm in ipsa cœlorum officina fabrili cusa esset. Ibid. 191. & seqq.

De Sancto Antonio refert B. Athanasius, sæpissimè in oratione pernoctasse. Nihil ergò mirum, quòd tantum fuit illius aduersùs dæmones robur. Nam oratio est aurum, quo Deus superatur, tantaque est humilis orationis potestas, vt Deus videatur debere illi obuertere tergum, ne ab ea vincatur. PP2. 585. o. *Multa habet hoc C. in commendationem orationis.*

At si alia quæuis oratio est aurum, quo Deus vincitur, id constans, & assidua oratio maximè habet. PPP. 280. o. Exemplis id euincam *Deprecatus est Isaac*, siue vt alia versio habet, *multiplicauit preces pro Vxore sua Rebecca* sterili. Pertinaci orandi contentione in validissimam diuini pectoris arcem totos viginti annos arietabat, nec de animo quidquam remittebat in tam diuturno obsecrationum conflictu, nec intepescebat aliquando inter precandi assidua & tam longa certamina, itaq; de natura iniquiore triumphauit, Deumq; adduxit, ne dicam adegit, vt concederet, quamdiu negauerat, sterili vxori fœcunditatem. Ibid c. 1. Anna Samuelis sancti pientissima mater eisdem perseuerantis orationis armis ad expugnandum naturæ autorem fortiter, ac feliciter vsa fuit, de qua S. Petrus Chrysologus Serm. 73. sic habet: *Anna Sara consterilis lachrymis orationum suarum tamdiu madefecit ariditatem sui corporis, & naturæ, quamdiu fuerat longo Vitæ tempore negata posteritas.* Non posset ergò Antonius, qui plerumq; pernox in oratione erat, talibus armis subigere dæmonem, quibus alij contrà Deum fortes fuerunt?

Sit homo quispiam inclusus loco tam diligenter vndique obturato, vt nulla in eum lux penetrare possit. Sint in eodem loco plurimi hostes in illius exitium coniurati, qui & videri nequeant, & videant ipsi optimè quem mactare & maximè velint, & optimè possint. Quanto in periculo, quanto in timore, & tremore miser ille versaretur, cui talibus cum hostibus tali in loco decertandum esset? Quis non misereretur ærumnosum illum eiusmodi inimicorum ferociæ expositum? At quàm insanus esset, qui tanto in discrimine positus negligenter se haberet & oscitanter viueret! Hoc verò est, quod hominibus accidit, inquit S. Antonius Epist. 3. dicens: *Acquisiuimus domum tenebrosam, ac præliis plenam.* Duobus malis laboramus. Nam & in mũdo obscuritatum, & confusionum tenebris pleno viuimus, & hostes habemus, à quibus perpetuo bello vexamur, eosque tam proximos, quàm infensos, qui cùm nos perspectos habeant, illi oculos nostros latent, robustique cum infirmis, & astuti cum rudibus, & periti cum inexpertis, & semper vigiles cum somniculosis dimicant. Quid mirum ergo, quòd Antonius noctes plerumque in oratione duxit insomnes? PP2. 624. c. 2.

Qui cum inimico semper vigilante pugnat, nunquam dormire debet, sed in maxima tranquillitate periculosissimum bellum timere. Ibid. 622. o.

De SS. Fabiano & Sebastiano.

Vide in Festo Omnium Sanctorum, vbi multa reperies, de quibus in eorum laudem disserere pro Concione possis.

De Sancta Agnete Virgine & Martyre.

Vide commune Virginum, vbi plurima habes in illius Festi Euangelium.

De Sancto Vincentio Martyre.

VIde commune vnius Martyris.

De Sancto Paulo Apostolo Conuerso.

Ex vita illius, quam vel ipse in Epistolis, vel in Actis Apostolicis sanctus Lucas describit.

PAulus, quando etiamdum Saulus minas, & cædes spirabat in discipulos Christi, cùm literis Principis Sacerdotum contendit Damascum. Ex literæ, quantùm Lucas refert, illud habebant, vt si quos inuenisset viæ, & vitæ Christianæ Professores, eos vinciret, vinctosq; perduceret in Ierusalem, vt in illa metropoli supplicia maiore in captos autoritate decernerentur, & cùm alii eorum exemplo perterrefierent, tum ampliorem ex Iudaismi, & legis veteris defensione gloriam sibi apud summatesPaulus conflaret. Ego de talibus literis affirmare ausim fuisse chirographum, quo se Deo mortis æternæ pœnas debere fatebatur. Ipse ille ex Saulo iam Paulus ad Colossenses 2. ait, quòd Christus donauit nobis *omnia delicta, delens quod aduersùm nos erat chirographum decreti.* Quale dicit chirographum? *Istud, quod dicit chirographum, peccatorum nostrorum cautio fuit*, inquit Origenes, additque *Vnusquisque enim nostrum in his, quæ delinquit, efficitur debitor, & peccati sui literas scribit.* Pœnis inferorum se obnoxium velut datâ cautione fatetur, quisquis peccato mortali obstringit. PPP. 363. c. 1. Quando ergo Paulus mortali aduersùs primos Christicolas furebat odio, literis, quas per viam conferebat, non tam probatam dabat facultatem vinciendi illos, quàm testatum faciebat suum mortis æternæ debitum. Sic quilibet peccator, quoties lethaliter DEVM offendit, velut dato chirographo se pœnis inferorum obnoxium facit, tanquam apertè diceret: Ego peccatis meis testor, & fidem facio, quòd Deo pœnam æternam debeo. Peccator bombyx est, sibi ipsi pœnarum suarum æternarum sepulchrum conficiens, & mortis supplicium adornans. Ibid. 363. o.

Deuteronomij 28. ei, qui Dominicorum præceptorum sit transgressor, dicitur: *Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, maledictus fructus ventris tui, maledictus eris ingrediens, & egrediens, &c.* Ex Ruperti obseruatione nunquam dicitur, quòd talis præuaricator *à Deo* maledictus erit, eò quòd ille supplicia quidem decernat, non tamē eorum sit autor, quia sicut latro suarum triremiū, in quas compingitur, est causa, sic qualibet peccator suarum sibi pœnarum est parens, & sator. Ibid. 363. c. 1.

Et Christus in supremo mundi die priùs inuitabit, & admittet electos in cælum, quàm maledictos iubeat ire in ignem æternum, vt ostendat propositi sui fuisse potiùs seruare animas, quàm perdere. Ibid. 363. c 2. Propterea etiam illos vocabit benedictos Patris sui, non verò hos maledictos eiusdem Patris, vt significet, quòd Pater velut omnes plurimùm amat, sic omnium salutem, vitamque æternam desiderat, damnationem, & supplicia non optat. Ibid. c. 2.

Et quomodo supplicia optet Dominus, qui tam inuitè punit, vt necessum sit, multis exhortationibus illum adducere, vt flagellum in manus sumat? Ibid. 364. o.

Quàm gratus, acceptusque erat Paulus summatibus Iudæorum, quamdiu hostis Christianorum! Cùm adhuc spiraret minas, & cædes in discipulos Domini, tantùm illi deferebant Principes Sacerdotum, vt literas, vnàque amplissimam darent potestatem vinciendi, & Ierosolymam pertrahendi, quoscunque inueniret nascentis nouæ fidei viros, ac mulieres. Simul verò ac desistere, ab ea crudelitate, & aliud agere Paulus cæpit, *consilium fecerunt in vnum Iudæi, vt eum interficerent.* Act. 9. 23. Quomodo nuper tam charus, & pretiosus, qui nunc tam exosus, vilis, & despicabilis? Nuper vtilis erat Iudæis, idcircò habebatur bonus: Nobis enim res quæque bona est, intereà dum commodis nostris seruit. PP2. 607. o.

Non habemus regem, nisi Cæsarem, dicebant perfidiosissimi Iudæi. Acerbam, & morte nihilo mitiorem vitam sub graui Cæsaris seruitute agebant, & crudelissimum eius dominatum intolerantissimè ferebant, & tamen Rex, & pater illis, non tyrannus, vel hostis videbatur. Quid ita? Quia per illum fieri posse videbant, vt Christus à viuis auferretur. *Quem tyrannum, & hostem reputabant, profitentur solum regem, vt Iesu crucifixionem obtineant*, inquit Caietanus ibid. 609. c. 1.

Quamdiu in amorib. Æneæ Dido erat, tamdiu Veneris

Veneris filium, & summorum deorum nepotem illum faciebat. Postquàm verò deamare, & odisse cæpit, iam non ex dijs parentibus, sed ex dura silice, & cautibus natum volebat. Ibid. 608. c. 1. & 2.

Quemadmodum ante conuersionem suam Paulus crudeliter persequebatur bonos, ita post conuersionem suam vehementer defugiebat malos. Barnabas in Actis Apostolorum socium prædicationis adsciscere volebat quendam Ioannem, cognomento Marcum. *Paulus autem rogabat eum, (Vt qui discessisset ab eis de Pamphylia, & non iisset cum eis in opus) non debere recipi.* Act. 15. Quare noluit recipi? Quoniam in ipsa aciei fronte constitutus nimis inuiriliter egerat, eum meritò Paulus abiecit, ne illius quasi contagione vires corrumperentur aliorum. Ita Chrysostom. Vnus deses miles totum reddere ignauum exercitum potest, & integrum bonorum hominum cætum malus vnicus deprauare. Abrah. 194. & seq. Sunt contagiosa eorũ etiam mortuorum vicina corpora, quorum fuit vita bona. Quàm periculosa ergo erit societas viuorum, quorum sunt tam mala opera? Ibid. 194. o.

Differebat sanctus Ambrosius aliquando apud populum de auium natura, & lapsus memoriâ non satis recordabatur eorum, quæ dicere proposuerat, obliuionemque suam non alteri, quàm suæ cum auibus literariæ consuetudini adscribebat, dicens: *Sermo nobis huiusmodi cum ipsis auolauerat*; quasi & cogitationes auolare ab auibus discant, quæ per meditationem etiam cum ipsis diuculè communicent.

Argutulum hoc, morale magis illud, quod Angelicus Doctor ait, fidem sancti Lot ex derisione generorum ipsius fuisse aliquantùm turbatam, & obscuratam. Indicabat generis suis socer proximũ vrbis, hominumque, quotquot in ea futurum incendium reperiret, incendium, hortabatur secum exire, & certam, vicinamque ex conflagratione mortem fugere. At ille *Visus est eis quasi ludens loqui*, Gen. 19. Cùm ergo ij sic facerent, etiam ipse cæpit hæsitare, & quod *mirum est, cùm prius credidisset Angelis, modò ita tardabat, & negligebat exire*, inquit S. Doctor, vt *cùm esset mane, cogerent eum Angeli, & dissimulante illo apprehenderent manum eius*, ipsumque, & vxorem, & filias amborum extraherent magis, quàm educerent. Quod generi cum risu acceperunt, & jocum interpretati sunt minas Angelorum, id fecit, vt etiam socer fide titubaret, & penè ludum putaret, quod ab illis cælestibus nuntiis acceperat. Tam facilè intepescit, & refrigescit, qui cum talibus etiam non diu, nec multùm consuescit.

Denique *in cœlo permanet Verbum DEI*, & tranquillitas perpetua, *quia inde deiectus est diabolus, in terris non permanet*, sed omnia miscentur tumultibus, *quia hic totus aduenit*, inquit rursum S. Ambrosius. Ibid. 195. c. 1.

S. Ioannes Chrysostomus quærit, cur Deus, qui Paulum Apostolis cæteris quoad gratiarum dona parem fecit, non in eo etiam exæquârit, vt illi inter conuersionis ipsius primordia nomen aliud daret, quando luce illum secundùm oculos corporis cæcauit, & visu interiore rectæ fidei donauit. Petrus ante conuersionem non ita, neque Cephas, sed Simon Ioannis, aut Bar Ionæ vocabantur, Iacobus, & Ioannes Boanerges dicti sunt, postquàm facti Apostoli. *Quam ob causam ergò non etiam statim mutauit nomen Pauli?* quærit ille homil. 3. de Conuers. Pauli.

Retinuit Paulus aliquot à conuersione annis veterem Sauli appellationem, quòd hoc magnificentiæ Christi existimatio, & magnitudo gloriæ eius postularet. Fuerat ille immanis insectator Ecclesiæ, certum habens in rudera illam detrahere, prorsumque extinguere, si vires animum non destituissent. Dum hoc exitium machinaretur, excussum equo terræ illum propitius DEVS afflixit, & ex fera bestia mitem hominem, prædicatorem suæ fidei ex persecutore fecit. Dicit nunc Chrysostomus: *Si statim conuerso Paulo mutatum esset & nomẽ eius; tunc minùs manifesta fuisset eius conuersio, nemo enim sciret, quòd persecutor ille esset Euangelista.* Si quis per illos primos Pauli conversi dies fuisset Damasci, vidissetque illum continuò versari in synagogis, maioreque contentione asserere Christi gloriam, quàm paulò antè persecutus fuerit eius Ecclesiam, & nunc confundere vi disputationum suarum Iudæos, quorum gratiâ omnia contrà Christianos fecerat, quemuis alium potiùs hunc tam acrem, nouæ fidei prædicatorem existimasset, nisi retentum Sauli nomen illi persuasum fuisset, ipsum illummet esse, qui antè hac ita ferocierit in Christum, cuius nunc sit testis, & assertor à quo & subactus, Sed non extinctus fuerit. *Tomo Primo* 484. *b.* Eum gloriosissimum reputat Dei maiestas triumphum, cùm hostem intercipit viuum. Ibid. 483. o.

Ne Paulum magnitudo reuelationum extolleret, & ne raptus extrà se in tertium cœlum etiam suprà se per inanem gloriam efferretur, datus est illi stimulus carnis, qui suæ illum fragilitatis perpetuò commo-

commonefaceret, vt infirmitas corporis bonam animæ conseruaret valetudinem. Sic beneficia DEI nunquam dantur sine pensione alicuius miseriæ. Sed & miseriæ, calamitatisque pensione neminem grauat Deus, quem non beneficii alicuius donatione leuet. PP2. 495. o.

Rachel peruenusta erat, sed huic naturæ benefic o pondus sterilitatis appensum erat, ne inde nimirum efferretur. Liam varia natura lippam, sed fæcundam fecerat, vt turpitudinem faciei numerosa soboles tolerabilem redderet. Rursum ne Rachelem sua sterilitas in desperationem adduceret, tandem concepit, & peperit, Lia verò tantisper cessauit parere, ne pareret illi superbiam, si liberos continuò pareret. *Ecce quanta diuinæ sapientiæ in rebus ordinatio!* clamat Abulensis ibid. c. 1. & 2.

Viginti annos Rebecca improlis in matrimonio transmisit, post quos Deus tum illius bonæ mulieris, tum Isaac mariti precibus execratus concessit donum fæcunditatis. Sacer historicus hanc rem ita reddidit: *Dedit* Dominus *conceptum Rebeccæ, sed collidebantur in vtero eius paruuli.* Gen. 24. In his illud trilicere sed mysteria plura, & magnam emphasin habet, quam vide accuratè expensam. Ibid. 496. c. 1.

Cùm multas post Conuersionem B. Paulus persecutiones, calamitatesque perpessus fuerit, vnum illud intolerantissimè ferebat, quòd à carnis quodam stimulo noctu, atque interdiu miserè afflictaretur. Cœlo ergò supplices protendens manus petebat ab illa vexatione liberari. Hanc rem ipse ita describit: *Datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ, qui me colaphizet, propter quod ter rogaui Dominum, vt discederet à me,* 2. Corinth. 12. Responsum humillimis eius precibus tale datum fuit, *Sufficit tibi gratia mea.* S. Chrysostomus ea verba tali paraphrasi illustrat: *Ea quidem, quæ tibi dura, atque acerba eueniunt, cernis, quæ verò tu facis: non animaduertis, quæ inimici tui inferunt, cernis, & quæ ego in te confero, non consideras.* Videtur Apostolus inter suas angustias positus eas tantùm cogitasse iniurias, quibus illum satanæ furor onerabat. Dominus autem iubebat in illis iniuriis attendere non quòd graues, & onerosæ essent, sed quòd lucrosæ, & meritoriæ &c. PP2. 663. c. 1.

Ita curare debemus, vt rem quamlibet eâ parte aspiciamus, quâ nos releuare, & recreare possit, non quâ offendere queat. Ibid. 662. o.

Paulus seruus Dei, Apostolus autem Iesu Christi. Ita habent prima verba Epistolæ illius ad Titum, S. Hieronymus ait, quòd se Paulus Apostolum Christi scribit, id tale sibi videri, quale si dixisset præfectum prætorio Augusti Cæsaris, aut magistrum exercitus Imperatoris Tiberii, & voluisse eâ nominis autoritate terrere lectores, & indicare, omnes, qui in Christum crederent, debere sibi esse subiectos. At si omnes sibi subiectos volebat propter illum magnificum Apostoli titulum, cur primo loco se humilem seruum nominat, cùm hinc de autoritate illius decedere posset, quantùm dignitatis ex Apostoli titulo accedebat? Respondet Glossa: *Humilitas non tollit potestatem, & dignitatem.* Abrah. 116. col. 1. & 2. Nullam, nullam omninò autoritatis iacturam ex humilitate quisquam aliquando fecit. Ibid. 115. o.

Abraham ipse lauit pedes suorum hospitum, *ipse pinguem vitulum portauit humeris de armento*, inquit S. Hieronymus, ipse nullum humanitatis officium erubuit, nec per hoc de gradu suæ existimationis cecidit. Christus seruilem formam induit, seruileque lauandorum pedum officium Discipulis exhibuit iis ipsis manibus, quibus omnia tradita à Patre sciebat, & non ignorans se à summo Deo exisse, in mediastinorum infimum ordinem submisit, neque timuit minui gloriam suam humili lotione pedum, vt inquit Theophylactus. Sudaria, semicinctiaque Pauli & ad sordidas operas vilis opificii, & ad stupenda miracula, erant vsui, nam & languores ab ægrotis, & ab obsessis spiritus nequam egrediebantur, ad quos sudaria illa, semicinctiaque à corpore Pauli deferebantur. Nihil ergò de sudariorum, semicinctiorumque virtute, ac dignitate detrahebat, quòd etiam ad humilia officia adhibebantur, nec suam existimationem quisquam amittit per hoc, quòd se demittit. Solum peccatum dedecet hominem, cæterorum, quæcunque homo facit, dum pro Deo agat, nihil illi inhonorificum. Ibid. 116. o.

Neq; ægrotare secundùm carnem est delictum, neque in damna, & tribulationes incidere est lapsus, atque ruina, sed in tentationibus non probatum inueniri, & per impatientiam offendere, aiebat ferè S Ephræm. Paulus etiam gloriabatur in infirmitatibus, & ærumnis suis, passimque velut jactabat sua vincula, famem, sitim, nuditatem, tam nihil probrosa hæc putabat. Et filii Israël in manu excelsa, siue capite discooperto egrediebantur de Ægypto, vt docerent, nullam in domo Dei esse dedecorosam seruitutem, nullam ignominiosam ignominiam, nisi peccatum. Ministrare infirmis, munda-

re eorum vulnerà, curàre ægritudines numerabant Iudæi in operibus vilibus, & ſeruilibus, ſed Chriſtus talia Sabbatis faciebat, vt oſtenderet nihil in eis eſſe vile, aut ſeruile. Cæcus ille apud Lucam 18. magnâ contentione ſucclamabat in publica via: *IESV fili Dauid, miſerere mei*; & quamuis tacere iuberent, qui per viam præibant, valdè enim inurbanè, & ruſticè factum putabant, quòd vnus ſordidus mendiculus tot hominum honoratorum aures inconditis vocibus ſuis obtunderet, ipſe tamen multò etiam magis clamabat, *Vtile enim eſt*, vt inquit Chryſoſtomus, *pro cultu diuino pudorem deponere*. Ibid. 117. c. 2.

Multi ſibi facilem à Deo ſcelerum ſuorum indulgentiam promittunt, quando hodierno die audiunt, Paulum, cùm adhuc ſpiraret minas, & cædes in Diſcipulos Domini, cùm literis, & milite armatus, Damaſcum contenderet, vt omnes Chriſti ſectatores vnâ occidione extingueret, in media via, quâ velut furiis inuectus in necem recens natæ Eccleſiæ deproperabat, in viam ſanctitatis ab amantiſſimo Deo reductum, quando etiam legunt illud eiuſdem Pauli 1. Tim. 1. 15. *Qui priùs blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus, miſericordiam Dei conſecutus ſum*. Sed hi neſcio an attendant, ſatiſnè expendant illud, quod Paulus ibidem ſubdit: *Ignorans feci in incredulitate*; quod ſi facerent, fortè plùs timoris, quàm ſolatii à Pauli exemplo haurirent, veriti ſcilicet, ne grauiùs puniantur, qui Deũ ſcientes irritant, quem ille ignorans offendit. Nam ille ſeruus, qui cognouit voluntatem Domini ſui, & non fecit ſecundùm voluntatem eius, vapulabit multis, qui autem non cognouit, vt Paulus, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Lucæ 12. Abrah. 134. col. 1.

Paulus peccator terræ fuit, cuius exemplum non plurimùm conſolari poteſt peccatores cœli. Sunt peccatores terræ, & ſunt peccatores cœli, & quamuis vtrorumque infelicitas ſit dolenda, & deploranda, magis tamen miſerandi ſunt transgreſſores cœli, quàm terræ. Ibid. 133. o.

Nec quiſquam tamen deſperet, vel ſi peccator cœli diu fuerit, quia non ſunt ægritudines animæ, quales corporis infirmitates, nam ſi quidam carnis morbi ſunt inſanabiles, animæ nullum incurabile malum. Ibid. 137 o.

Timeat nihilominùs, qui animæ arcem peccato diu permiſit, cùm enim eam ſemel occupauit, tantas vires acquirit, vt penè ſpem omnem rurſum exturbandi auferat. Ibid. 135. o.

Vt ſanctum Lot Sodomis eximerent Angeli, *apprehenderunt manum eius*. Gen. 19. quod Oleaſter putat etiam verti poſſe, *Fortificauerunt ſe*, hoc eſt, totas vires, & omne robur ſuum huc verterunt, vt illum eriperent. Lot Symbolum peccatoris eſt diu peccatis aſſueti. Vt talem quempiam à ſuis vitiis abſtrahas, viribus Angelicis, iiſque maximis opus eſt. Propterea periculoſiſſimum eſt tolerare peccatum, quoad incrementum faciat, & radices agat.

Surde, ac mute ſpiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & ampliùs ne introeas in eum. Ita apud S. Marcum c. 9. dicebat Chriſtus cuidam malo ſpiritui, qui hoſpitem ſuum iam in aquas, iam in flammas, iactabat, & omnia faciebat, quibus illum ex miſero mortuum faceret. Nulli dæmoni ſimile præceptum impoſuit, nulli, quod memini, ne hoſpitium ſuum repeteret, interdixit. Quare autem huic vni? Quia *ab infantia*, à primulis annis, ab incunabulis illum tenuerat, & vexârat, idcircò tam graui præcepto exturbauit, viamque ei omnem, per quam redire poſſet, obturauit. Vide quàm ſit operoſum expellere dæmonem à diuturna poſſeſſione. Ibid. c. 2.

Lazarus dormiens figura eſt peccatoris, qui non diu aſſueuerit offenſis Dei. Idem verò mortuus viuum Symbolum inueterati peccatoris. Lazarus dormiens vocatur à Chriſto amicus: *Lazarus amicus noſter dormit*; Ioan. 11. Mortuo tale nomen non datur. De illo enim ſic tantùm aiebat Chriſtus: *Lazarus mortuus eſt*. Exclamat Chryſoſtomus: *Vides quomodo quando dormientem vocat, amicum appellet, quando verò manifeſtè de morte meminit, iam penè amicitiæ obliuiſcitur?* Quid ita? Quia quando peccati herba adhuc eſt tenera, quando culpa eſt velut horarius quidam ſomnus, ſpes eſt, quòd peccator facilè redibit in amicitiam Dei: At cùm ex ſomno tranſitur ad mortem, iam non dicitur amicus, non quia reſurgere non poſſit, ſed quia difficulter reſurgit. Ibid. 136. col. 1.

De Pilato ait Matthæus 27. conſueuiſſe per diem ſolennem populo dimittere vnum vinctum. Marcus 15. ait, ſolitum fuiſſe hoc facere. Lucas c. 23. dicit: *Neceſſe habebat dimittere eis*. Quòd ex gratia inchoatum, conſuetudine confirmatum fuit, demum in neceſſitatem conuerſum eſt. Sic peccatum cùm tranſiit in conſuetudinem, poſtremò in neceſſitatem vertitur, vt qui *ſolebat*, & *conſueuerat*, denique *neceſſe habeat* agere, quod diu egit malè.

Peccatum eſt animæ ægritudo, peccatum mors eſt animæ alioquin immortalis, inquit Baſilius Magnus:

gnus: Cùm ergò venenata, & acuta inducias non patiantur, vt ait Celsus, statim herbà doloris, & theriacá pœnitentiæ curandum est. Ibid. 137. c. 1.

Quòd per ignorantiam ferociit in primos Christianos Paulus, id ex Paulo ipso paulò antè diximus. Nonnimis mirum ergò, quòd facilè misericordiam est consecutus. Facilè namque exorari sinit pietas Dei, vt condonet, quæ ignoranter egimus malè. Abrah. 151. o.

Testatum hoc dare potest Abimelech, & præter illum Moyses, qui Leuit. 4. solis ex ignorantia profectis peccatis constitutum sacrificium expiatorium narrat.

Oculum, qui subsannat patrem, effodiant corui, inquit Salomon Prov. 30. Cur oculi immorigerorum liberorum potiùs, quàm lingua, vel alia membra, quibus parentes offendere solent, luant? Quia oculi vident, quos rident, adeò meditatò eos offendunt, adeò meritò corui configunt illos, qui tam sunt impudentes, vt aspernari non erubescant, quos vident. Ibid. 152. c. 1.

Bis petierunt filii Israël cum murmure panem, & primâ quidem vice impunes, secundâ verò vapularunt. Quare? Ignorabant panis cælestis suauitatem, cùm primùm ab Ægypto digressi suspirârunt carnes, quare facilem inuenerunt huius cupiditatis veniam: Quando verò post illum panem iam prægustatum carnes nihilominùs iteratò expetierunt, suæ concupiscentiæ iam ex malitia quadam profectæ pœnas dare debuerunt. Sic ferè S. Cyrillus Alexandrinus. Ibid. 153. c. 1.

Sanctus Ioannes Chrysostomus quærit, cuiusnam fuerit maior charitas, Moysisne erga suum populum, an Pauli erga cognatos. Cùm Dominus populũ illũ pro suo pudendo sacrilegæ idololatriæ scelere mactare vellet, procurrens Moyses, & medium se obiiciens, stansque à populo aiebat: *Aut dimitte illis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti*, Exod. 32. quibus hunc Expositores plerique volunt subesse sensum: Aut vnam omnibus veniam concede, aut me cum omnibus vnà obtrunca. Ingens charitas, nemo inficias ierit. Et quid Paulus? *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem*, aiebat ille Rom. 9. Esse anathema à Christo. Expositoribus idem est, quod subire iacturam quietis, vitæ, bonorum omnium huius mundi pro vtilitate cognatorum spirituali curanda. Est qui dicat, Paulum voluisse beatâ illâ quiete æternùm carere, si aliorum beatitudo per hoc procurari posset, quòd ipse suam perderet. De quæstione proposita nunc pronuntiat Chrysostomus, dicens, ardentiorem fuisse Pauli erga suos cognatos, quàm Moysis erga populum amorem. Quamobrem istud? Quia Moyses cùm cæteris optauit perire, Paulus pro cæteris, non enim cum pereuntibus perire voluit, sed vt saluarentur alii, ipse de gloriæ æternitate decedere. Abrah. 190. c. 2.

Nulla certè magis illustria, nobilioraque pericula, seu damna, quàm quæ pro honore, & vtilitate suscipiuntur aliorum. Ibid. 189. o.

FESTA FEBRVARII.

De Sancta Agatha Virgine & Martyre.

Accesserunt ad IESVM Pharisæi tentantes eum. Matth. 19.

Tentantes eum. Origenes apud Sanctum Thomam ait: *Tentato Domino, nullus Discipulorum eius, qui positus est ad docẽdum grauiter ferat, si tentatus fuerit à quibusdam*. Idque primò, qui enim à Christo nomen habet, debet curare, vt sit imitator Christi, & talem in omni vita se præstare, quales requirit Christiani nominis excellentia. PPP. 321. c. 2. Deinde quia tentari bonum, vinci autem malum. Tomo secundo 190. o.

Accesserunt Pharisæi tentantes. Sectabantur turbæ Christum, vt sancta probæ vitæ monita ab eo acciperent, insectabantur Pharisæi, qui religiosiores cæteris haberi volebant, & esse debebant, Christum, vt tentarent. Communis hic morbus est, vt sua officia curent negligentiùs, qui diligentiùs debent. Abrah. 33. o.

Quis tantam à vulgo expectasset deuotionem? Quis non maiorem sperasset à Pharisæis pietatem, ardentioremque salutis spiritualis cupiditatem? Sic fit nonnunquam, vt plura, & maiora, & admiranda inueniamus, vbi minora, & pauciora sperabamus. PPP. 394. o.

Si licet homini dimittere, vxorem suam quacunque ex causa? Neminem leuiter suspicari malum debemus. PP2. 549. o. Hos tamen, qui talia ex Domino sciscitabantur, fuisse homines lubricos, & turpi libidini efflictim deditos fuisse sine vllo temera-

rii iudicii periculo dixero. *Sicut enim si videas hominem assiduè amicitias medicorum colentem, intelligis quia infirmus est: Ita & cùm videas virum, siue mulierem de dimittendis vxoribus, aut viris interrogantes, cognosce quia vir ille lasciuus est, mulier illa meretrix est, nam matrimonio castitas delectatur, libido autem quasi vinculo contingit alligata torquetur.* Sic Chrysostomus apud S. Thomam in catena. Vnde verò hoc cognoscam? Ex lingua. Ea namque animi secreta difficulter, ac vix tegere nouit. Tomo primò 155. o. Et omnis existimatio hominis seu bona, seu mala, est à lingua. Ibidem 221. o.

Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere. S. Hieronymus apud S. Thomam in hæc sic ait: *Graue pondus vxor est, si exceptâ causâ fornicationis eam dimittere non licet. Quid enim si temulenta fuerit, si iracunda, si malis moribus? Etiamne tenenda erit? Videntes ergò Apostoli graue vxorum iugum, proferunt animi sui motum.* Omninò graue, & ponderosissimum onus vxor est: Nam cùm omnis status, & quæcunque vitæ professio habeat suas molestias, & ærumnas, vnus coniugii status omnium laboriosissimus, & ærumnosissimus est. Tomo 2. pag. 409. o. Reliquis vitæ humanæ conditionibus labores dantur minutatim, mulieribus iuncti prægrauantur omnibus. Abrah. 196. o.

Non omnes capiunt verbum istud. Id Chrysostomo apud S. Thomam ibid. tale est, quale si dixisset: *Non omnes hoc possunt*, vt iniuges viuant, & à mulierum congressu se contineant. Sed quare non possunt? Respondet idem ibidem: *Ideo non omnes capere possunt, quia non omnes volunt.* Multa sunt, quæ dicimus non posse, tantùm quia nolumus. Homo rex quidam fecit nuptias filio suo, & inuitauit multos, & ii apud Lucam 14. c. rogabant se haberi excusatos, eò quòd ob alia negotia non possent venire, apud Matthæum verò 22. perspicuò dicitur: *Et nolebant venire.* His datum est à Deo continere à mulieribus, qui petierunt, qui voluerunt, qui vt acciperent, laborauerunt, inquit S. Hieronymus in cat. aurea B. Thomæ ibidem. Superi namque laboribus omnia vendunt, vt ethnici aiebant. Et vt in mundo numis, sic oratione à Deo omnia obtinentur. Tomo 2. pag. 292. o. Neminem autem sua imbecillitas excusat ab eo faciendo, quod fecerunt multi, & laboris impendio, orationisque subsidio potuerunt omnes. PP2. 614. o.

Vis scire, quare aliqui nolint? Quia laborem fugiunt, & timent periculum. Qui laborem euitant, ii non cogitant gloriam. Immò non cogitat de labore, qui concupiscit gloriam continentibus constitutam. Sic ferè Chrysostomus apud S. Thomam ibidem. Cùm enim nemo sit aditurus gloriam, qui non antè subierit pœnam, & laborem, (PPP. 263. o.) certum est, non cogitare de labore, qui seriò appetit gloriam cælestem.

Sunt Eunuchi, qui de matris vtero sic nati sunt. S. Hieronymus ait, Eunuchos ex vtero matris eos esse, qui sunt frigidioris naturæ, ideóq; non appetentes libidinis. Beatus Chrysostomus vult sic nasci quosdam eunuchos, vt alii nascuntur sex digitos habentes, aut quatuor. Causam autem reddens, quare nonnulli cum eo naturæ defectu nascantur, inquit: Si enim Deus sicut ab initio constituit vnamquamque naturam, sic dimitteret eam immutabiliter semper in suo ordine permanere, in obliuionem apud homines deduceretur operatio Dei. Ideò igitur natura rerum conuertitur interdum contrà suam naturam, vt semper Deus naturæ Opifex in memoriam reducatur. Hæc ille apud S. Thomam ibid. Tantundem dicit S. Basilius Seleucus, inquiens, falli sæpè naturam, vt ministra impetrantis Dei videatur, & solus ille omnium autor habeatur. Vide Tom. 2. pag. 434. c. 1. Deus nimirum vt est omnis boni fons, sic & haberi ab omnibus cupit. Ibid. pag. 432. o.

Ex vita S. Agathæ.

Summa ingenuitas est, in qua seruitus Christi comprobatur, aiebat illa apud Metaphrasten. Rectè illud: Nam vt est apud Basilium Magnum: *Sufficit nobis ad omnem dignitatem, talis, ac tanti Domini seruos appellari. Et ille, qui dignus iudicatus est, vt Deo seruiret, aliundene laudem petet, tanquam ipsi non satis sit appellatio Domini ad omnem gloriæ, & claritudinis exuperantiam!* Tom. 2. pag. 486. c. 2. Nullum habet domus Dei locum, officium nullum, quod non sit illustre, & perhonorificum. Ibid. 485. o. Poterat ergò S. Agatha suam ingenuitatem & nobilitatem inde optimè demonstrare, quòd esset ancilla Christi, cuius omnes domestici possunt esse illustres, & gloriosi. Ibid. 385. o.

Agatha lætissimè, & glorianter ibat ad carcerem pro Deo, & quasi ad epulas inuitata. Quid mirum? Tanta nimirum est illius, qui pro Deo patitur, sublimitas, vt maiorem expetere, nisi ad Dei celsitudinem aspiret, non possit. Tom. 2. pag. 514. o. Et tam gloriosum est pro illo pati, vt qui de hac re loqui-

loquitur, facilè sermone labi queat, crucisque, siue pœnæ, & gloriæ nomina confundere, alterumque pro altero vsurpare. Ibid. 276. o.

Medicinam carnalem corpori meo nunquam exhibui, dicebat illa S. Petro venienti è cœlis, vt abscissæ mamillæ vulnus sanaret. Sciebat sapientissima virgo, quòd neglectus corporis est profectus spiritus. Tom. 1. pag. 13. o. & faciebat quod Iusti solent, qui animæ gloriam procurant, corpori pœnas. Ibid. 15. o.

Custodes territi fugerunt, relicto carcere aperto, ipsa autem cùm posset fugere, noluit, ne custodes coniiceret in periculum. Simile quid Paulus, & Silas fecerunt. Act. 16. quos cùm custos carceris non diffugisse vidit, cùm possent, tremefactus cecidit ad pedes eorum, Deique seruos statim eos arbitratus interrogauit, quid sibi faciendum, vt saluus fieret.

Quærit Chrysostomus, cur non incantatione rem istam factam putauit potiùs, quàm illorum sanctitate. Respondet, custodem, cùm vidisset Paulum, & Silam diffugere potuisse, nec diffugisse, sed ad hæc cauisse, ne quam ipse sibi vim afferret, ita secum reputasse: Qui suorum periculorum negligentes à discrimine alios seruant, ii cœlestes homines sunt, quibus meritò adgeniculari, & vitæ melioris agendæ consultoribus vti debemus. Tomo 2. pag. 345. c. 1. Cælestis ergò virgo fuit Agatha, quæ non effugit, cùm posset, ne mortem custodes carceris incurrerent per ipsius fugam, &c.

De eodem Festo habes pauca quædam in Centonibus primi Tomi.

De Sancto Ignatio Episcopo & Martyre.

Vide commune vnius Martyris.

FESTA MARTII.

De Sancto Thoma Aquinate Doctore Ecclesiæ Angelico.



QVid sibi velint alæ, quibuscum delineari solet Doctor Angelicus? Fortè an sola Poëtarum fingendi libido has illi de nihilo addidit? A sapientissimis hominibus prudentissimè excogitatum fuit, vt alatus pingeretur sanctus Thomas. Quo consilio, aut documento id sunt commenti? Eo vt omnes intelligerent, Thomam non miraculo, sed consuetis medijs, & vsitatâ industriâ in cacumen gradus Doctoralis peruenisse. Ad perpetuum literarum studium adhibebat ille crebram, ardentemq; orationem, atque his alis euolabat in tam sublime scientiæ fastigium, vt nihil nouum, aut insolens esset, quòd Doctoralis laurus, cathedraq; illi offerretur. At videre alium, qui in sublimem cathedram absque scientiæ alis euolet, sellamque Doctoralem inuadat, quam humeris ferre forsan queat, sufficiente autem literaturâ sustinere non possit, hoc miraculum est, quod nemo facilè intelligat. Sic item miraculum est, quòd pedum episcopale nonnulli acceptant, qui ne pastorale quidem apud greges gerere sunt idonei, & animarum curam suscipiunt, ne animalium quidem curæ apti. Abrah. 23. c. 1.

Sic & Plinio miraculum visum, quòd aliquid nasceretur, vt viueret sine vlla radice. Multa eiusmodi miracula videas quotidie. Sunt qui nullas radices, hoc est, nec stabilia bona, nec mobilia habent, & viuunt tamen splendidiùs, profusiùsque, & vestiunt pretiosiùs, quàm alij opulentissimi. Annon hoc miraculum? Ibid. 22. c. 1.

Theophrasto mirum visum, quòd flores quidam odorem suauissimum exhalant, quorum pars alia nulla benè oleat. Mirius, quòd mulierum quarundam vestitus diues, & plurimus ex gemmis splendor, & odor, quarum truncus, rami, radix, *pars nulla benè olet*, parentes nimirùm sunt tenues, & obscuri, genus mendicum, cognati egentes, & nullo numero. Ibid. 23. c. 1.

Eiusmodi autem miracula examinare, & suspectos splendores discutere, non est vana curiositas, sed prudentia, & nonnunquam necessitas. Ibid. 21. o.

Vide etiam loca, vbi simile argumentum tractatur, ad calcem adscripta illius Capitis.

FESTA APRILIS.

De Sancto Vincentio Ferrerio.

Habes plurima in Centonibus 1. & 2. Tomi.

De

De Sancto Petro Martyre Ordinis Prædicat.



SAnctus Petrus Martyr puer annorum septem, cùm scholas frequentaret Catholicas, aliquando à patruo hæretico interrogatus, quidnam in ijs didicisset, respondit, Christianæ fidei Symbolum didicisse, quod sic haberet: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ.* Cùmq; patruus, parensque, vtpotè Manichæi, dæmonem mundi Conditorem crederent, Petrus tamen nullis eorum siue blanditijs, siue minacijs à fidei constantia, & ab eo, quod semel in ludo literario combiberat, dimoueri potuit. *Ex bulla Canonizationis eius.*

O quanti refert, pueros à teneris annis exercere, & erudire ad pietatem, & probitatem, & sanam doctrinam! Abrah. 169. o.

Elaborare plurimùm debent parentes, vt non sinant liberos suos cum malis versari maximè primulis vitæ, & dilucescentis rationis annis. Sic monet eruditus Oleaster. Sic fecit pia mater Sara, quæ videns filium Agar Ægyptiæ ludentem cùm filio suo Isaac, nullam viro suo Abrahæ quietem permisit, quousq; Ismaëlem ancillæ filium domo exturbaret, ne illius consuetudine puer Isaac contaminaretur.

Theophylactus cùm non satis admirari posset, quòd infestus dæmon potuerit abripere Iudam, quando etiamnum vnus ex duodecim erat, suscitaretque mortuos, & faceret miracula, & frueretur spirituali, & viuificâ doctrinâ Domini, ita exclamabat: *Et vbi posthac salutis spes nobis, qui sponte à iuuentute nosipsos malitiæ mancipamus?* Si tanta fuit vis mali dæmonis, vt euerteret, ac peruerteret Apostolum, qui prodigia operabatur, semperque stipabat vitam, & iuxta fontem degebat sanctitatis, indiuiduus comes Saluatoris, quam expectare salutem possunt, qui penè simul & viuere, & vitijs se tradere incipiunt? Ibid.

Cùm hac fructuosè dici pro concione semper possint, & plura de tali argumento habeat hoc Caput, diligenter perlegere illud, & omnem illius prædicandi occasionem studiosè captare ardens Ecclesiastes debet.

Sanctissimus hic Martyr tametsi sciret, quàm infensos haberet hæreticos, & vbique sibi ab illis adornari insidias, non propterea officium suum inquisitionis prætermisit, aut remisit quidquam de studio extirpandi illos. Non fuit ex ignauis illis, & pusilli animuli homulis, qui in periculis censent quidquid putatur periculosum, & omne illud, quod fortuitò accidere potest, tanquam certum, præsentaneumq; discrimen timent. Abrah. 17. o.

O quantum hic aberat à muliebri quorundam delicatulorum mollitie, qui cùm nullum vnquàm ex ieiunio incommodum acceperint, aiunt ieiunare non posse, ne abstinentia capiti, aut stomacho nocumentum adferat, & somnum adimat, & valetudini officiat: Cùm ille ieiunio ita corpus suum emaciasset, & vires extenuasset, vt os ad comedendum aperire ampliùs non posset, neque tamen à ieiunandi consuetudine prorsùm desisteret? Mollicillos istos tali verborum sale perfricat S. Bernardus: *Delicata nimis medicina, priùs alligari, quàm vulnerari, emplastrum adhiberi, vbi cæsura non est.* Ibid.

Quantæ abstinentiæ fuerit Sanctus Petrus Martyr, id ex eis, quæ in Centon. 2. Tomi, in eius laudem annotauimus, videas. Qui verò tantus cultor fuit ieiunij, quid mirùm, quòd tam fortiter fidei hostibus restitit, vt de vita decedere maluerit, quàm fidei propugnationem deserere. Ieiunium enim tàm est forte, ac validùm scutum, vt Christus ipse, acsi vires alias nullas habuisset, illud sub mortis horam arripere, eoq; se contrà hostes suos tutari voluerit. PPP 254. o.

Quærebatur aliquando apud Deum pro nobis crucifixum S. Petrus Martyr, quòd murmura pateretur, grauesq; iniurias à maleuolis hominibus acciperet. Quid illi responsi datum ab eo, qui non qualemuis iniuriam, sed ignominiosissimam mortem pro sceleratis excepit, vide in Centonibus 2. Tom.

Quod omnibus sanctis communiter euenit, vt pene soli sua bona ignorent, quod est apud Magnum Gregorium, id B. Petro Martyri accidit, qui si se sanctum esse nouisset, etiam hoc consciisset, iustos esse signa, in quæ mali linguarum suarum iaculis collineent, & in hoc positos esse, vt maledicentiæ improborum sint expositi.

Tomo primo 467. o.

Habent viri boni, quod Sol, & Luna, illustrissima mundi lumina. Nihil agunt hi Serenissimi siderum Principes, nisi vt orbi terrarum toti, partibusque illius omnibus præsint, ac prosint. In hoc toti sunt, tamque efflictim, & enixè rebus attendunt subditorum, vt perpetuo, celerrimoq; motu feruntur ad omnia officia, quibuscunq; vtilitati earum commodare possunt. Fit vt ex occultis naturæ passionibus nonnihil deficiant, aut laborent, aut insolens aliquid committant, statimq; omnium oculi, atq; ora in

eos conuertuntur. Seneca lib. 7. natural. qq. c. 1. in hanc rem sic ait: *Sol spectatorem, nisi cùm deficit, non habet. Nemo obseruat Lunam nisi laborantem. Hac tamen non annotamus, quamdiu Ordo seruatur. Si quid turbatum est, aut præter consuetudinem emicuit, spectamus, interrogamus, ostendimus.* Planè id bonis omnibus plerumq; accidit. Sunt illi athlantes mundi, eumq; suis precibus, & meritis sustentant. (Abrah. 156. o.) *Reuera fulcrum generis humani iustus est,* inquit Philo Iudæus in lib. de migrat. Abrahæ. Et rursum: Quod *columna in domo, mens in anima, hoc in humano genere homo iustus,* Ibid. 157.

Sed cùm sancti suas in hac vita habeant animi ægritudines, nuncq; alacriùs, nunc segniùs aut remissiùs agant (nulla enim quamuis perfecti hominis anima tam est harmonicum instrumentum, vt semper sint iustè contentæ eius fides, & non aliquando vel aliquantùm dissonent nerui, vt habes PP2. 458. o.) si minimùm eos deficere, si vel nonnihil laborare, aut ab ordine vel culmum latum declinare contingat, extemplò videas, qui notent, spectent, interrogent, & quod peius est, digito intento, vt plurimi videant, ostendant, quodque pessimum est, bona, vel certè dubia in partem deteriorem ceu mala interpretentur, perq; domos, & compita circumferant.

O quàm mali homines, qui mala hominum aliorum etiam parua facilè notant, spectant, alijsq; ostendunt! O quàm parùm Christiani, hoc est, Christi imitatores sunt, qui tales!

S. Lucas 18. c. ait: *Assumpsit Iesus duodecim.* Id apud Matthæum sic habet: *Assumpsit duodecim Discipulos secretò.* Cur eos à via, & turba hominum, qui sequebantur, abduxit, vt seorsim illis velut in aurem loqueretur? Futurum erat, vt Salome Mater Iacobi, & Ioannis veniret, & ex filijs pro filijs prima subsellia imprudenter peteret, ac propterea increpanda esset ambitiosorum Discipulorum superbia. Vt ne istorum duorum germanorum infirmitas, & arrogantia palàm fieret, ex hominibus se proripuit, suosq; Discipulos abstraxit, ne extraneis ista innotesceret ambitio, quæ seipsam iamiam proditura erat. Ita ferè Chrysostomus Tomo primo 251. o. Benè ergò dixi, quòd parum habent ex Christo, & Deo, qui aliorum leuiter ostendunt, & in publicum efferunt errata. Immò plurimum ex malo dæmone habent, suntq; illius Prophetæ.

Vt hoc exponam, notandum ex Epist. 58. S. Paulini ad Augustinum, varia esse Prophetarum genera, Nam alij futura prædicunt, vt Isaias c. 7. Conceptionem Filij Dei ex virgine. Alij præterita, vt Eliseus simoniam Giezi 4. Reg. 4. Alij prophetias recitant. Sic 1. Paralip. c. 25. *Magistratus exercitus segregauit filios Asaph, vt Prophetarent in citharis, & psalterijs.* Alij dicuntur prophetare, quia laudes Dei canunt. Sic Num. 11. aiebat Moyses: *Quis tribuat mihi, vt omnis populus prophetet,* hoc est, Deum laudet? Est quoq; prophetare idem, quod docere. Vnde 1. Cor. 14. dicitur: *Æmulamini spiritualia, magis autem vt prophetetis,* id est, doceatis. Et Act. 13. *Erant in Ecclesia Prophetæ, & Doctores.* Item prophetare est exercere officium prolocutoris, vndè Exod. 7. dicitur: *Aaron erit Propheta tuus,* id est, prolocutor. Est deniq; etiam Propheta, qui aliena refert, sicut Saul, qui *prophetabat in medio domus suæ,* vt dicitur 1. Reg. 18. v. 10. Hæc ferè ille, qui à S. Hieronymo accepisse videtur, quod de Saulis prophetandi modo affirmat, de quo S. Hieronymus l. qq. in 1. Reg. sic habet: *More arreptitiorum prophetabat, & prophetasse suum in hoc loco nihil aliud est intelligendum, nisi aliena retulisse.*

Ergò qui aliena errata etiam non omninò palàm, sed priuatim in medio domus suæ referunt, prophetæ sunt, sed dæmonis. Quid ergò qui in medio foro narrant? Etiam dico plusquàm aliquis ex illo Saulis Ordine propheta. Prophetæ sunt, qui & præterita referunt & futura sed mendaciter, & perniciabiliter. Præterita narrabant, qui autores erant illius famæ, quæ ad Dauidem peruenit, & sic habuit: *Percussit Absalom omnes filios regis, & non remansit ex eis saltem vnus.* 2. Reg. 13. cùm tamen solùm Absalonem trucidasset Amnon propter illatum sorori flagitium. Futura præsagiebant quadringenti circiter viri, quid Achab regi Israëlis 3. Reg. 22. prædicebant: *Ascende in Ramoth Galaad, & dabit eam Dominus in manu regis.* Hi mendacis dæmonis mendaces prophetæ erant. Ad talium prophetarum gregem spectant, qui aliena mala vel præterita memorant, vel quæ futura somniant, aut suspicantur, narrant.

At si ii, qui proximos suos temerè iudicant, sunt quidam secundi Luciferi, Deique iurisdictionem sibi vsurpare, & autoritatem per tyrannidem occupare tentant, vt habes Abrah. 125. o. quo loco eos reponemus, qui etiam aliis indicant, quæ temerè iudicant?

Aliud habeo dignum notatu, quòd Saul vnus ex illo maledicorum prophetarum ordine, non qualiscunque dæmonis, sed mali dæmonis propheta fuisse

se fertur. Sic enim habes vbi suprà: *Inuasit spiritus Domini malus Saul.* Spiritus fornicationis Asmodæus, spiritus superbiæ Lucifer, spiritus auaritiæ Mammon, & quidquid id genus spirituum, mali spiritus sunt, sed hoc mali nomen videntur non mereri, si cum iis spiritibus comparentur, qui faciunt prophetas de aliis malè loquentes. Qui fornicatur, peccat, sed in corpus suum. 1. Cor. 6. 18. Qui manè consurgunt ad bibendum vinum, & fortes sunt ad miscendam ebrietatem, & hi peccant, sed *sua corda grauant crapulâ*, Lucæ 21. infirmitatesque sibi, & mortem celeriorem adferunt, quia *in multis escis erit infirmitas, & propter crapulam multi obierunt*, Eccles. 37. 34. Auarus, qui diuitiarum immodico tenetur amore, *animam venalem habet*, verùm *suam*, Eccl. 10. 10. Sed eiusmodi prophetæ, qui aliena mala referunt, aliis noxii sunt, & famam adimunt, quam nonnulli vitâ nihilo inferiorem æstimant.

Sed quid faciemus prophetis istis tam pernitiosis, quos spiritus Domini malus si non inuisit, inspirat tamen, si fortè ad nos veniant, & mala nobis aliorum referant? Sepiamus aures nostras spinis, & non demus fidem iis, quæ dicunt.

Sic fecit Pontifex Sanctissimus Gregorius Magnus. Illius ætate quidam Constantius Episcopus Mediolanensis malè audire cœperat, sic vt fama increbrescens ad ipsum vsque Pontificem Maximum peruenerit. Solicitus de subditi salute supremus Pastor literas ad eum dabat consolatorias, & monitorias, quarum hæc ferè summa: Quòd antiquus humani generis inimicus te linguarum iaculis per homines maledicos configendum putârit, id relatu multorum pridem accepi. Tu inter hæc solùm Dei de te districtum iudicium time, & ad cor semper recurre proprium, quem enim conscientia sua defendit, is & inter accusationem liber est, vt & liber sine accusatione esse non potest, quem illa sola accusat. *Hac de re vide Perjochā 4. & 5 fer. de proditione Iuda Tom.* 1. Tum hoc tibi persuadeas velim, nonme, non alium quemuis cordatum esse, qui linguosorum istorum criminationibus vel tantillùm moueatur, vt propter eas vel suspicari sinistrum quid de te incipiat. *Absit* enim *à Christianorum iudicio*, inquit, *vt ea, quæ de te maledicorum rumoribus conficta sunt, credamus in qualemcunque modulum suspicionis adduci.*

Quid verò si persona grauis, & fide digna narret quidpiam, quod vel viderit ipsa, vel ab his, qui viderunt, certoque sciunt, acceperit, nonne fidem dabimus? Absit à Christianorum iudicio, vt talia etiam à talibus extrà iudicij locum dicta credamus. Cur istud? Quia ex sacri eloquii testimonio habemus, quòd maiora mala, cùm fortasse dicuntur, credi non debeant. Quale illud sacri eloquii testimonium? Sodomitæ, ac Gomorrhæi homines pessimi erant, eorumque flagitia tam turpia, vt & fœtore terram implerent, & clamore cœlos attingerent, atque inde vindictam in suos autores deposcerent. Et quid Dominus noster? Crediditné ex templò clamoribus, qui de consceleratissimorum istorum improbitate ad ipsum ascendebant? Id ex eo intelligetis, quod dixit quando illos clamores aliquamdiu audiuit. Quid enim ait? *Descendam*, inquit, *vt videam vtrum clamorem, quem audiui, opere compleuerint, an non est ita, vt sciam.* Gen. 18. 21. Exclamat in hæc S. Gregorius: *Quo descenderet Deus, vt quæ essent facta, cognosceret? Aut quid non is, qui vbique est, sciret?* Qui ergò aiebat Deus, qui & vbique erat, & omnia sciebat, descendam vt videam? Respondet Magnus Doctor, hoc ideò dixisse, *vt nostræ ignorantiæ exemplum discretionis daret*, quò doceret, quomodo deberemus mala grauia audita non credere, quando & ipse se dicit, ad cognoscendum descendere, de quo omnibus liquet, quòd etiam non descendens omnia sciret. Hæc ferè ille lib. 6. Epist. 14. c. 178. Addo. Si omniscius Deus non statim, vt videtur, credebat tantis clamoribus, quos ipsa flagitiosorum hominum scelera edebant, quis facilè credat incertis rumoribus, quos odium sæpè, & maleuolentia de solis suspicionibus excitat?

FESTA MAII.

De Sanctis Philippo, & Iacobo.

Vide commune Apostolorum infrà.

De Sancto Antonino Archiepiscopo Ordinis Prædic.



ECce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inuentus est iustus. Canit hoc elogium Ecclesia cuilibet Episcopo, qui rectè, laudabiliterque Sacerdotale suū procurauerit officiū velut diceret: En tibi Sacerdotē eximiū, qui se Deo probauit, quoad vixit, cuius cùm ad trutinam vita vocaretur, reperta est iusta, & talis,

talis, quæ laudem, & laurum promereretur perpetuam.

Aptè in sanctum Antoninum cadere ea verba satis testatum facit Ecclesia, quæ illi ea singulariter etiam occinit. At pictores, si quid eorum ad hanc rem valet autoritas, idem comprobant. Delineant ii Antoninum trutinam manu alterâ præferentem. Occasionem ita pingendi dedit quidem alia historia, sed mihi etiam dicere velle videntur: *Ecce Sacerdos magnus, qui inuentus est iustus*, & tam iustus, vt iustitiæ insigne trutinam vbique circumferat. Sed quomodo *magnus*, qui cùm *Antonius* antè dictus esset, quando baptizatus, dein appellatus est *Antoninus*, quando religiosam togam induit, idq; propter pusillam corporis staturam? Paruulus homulus fuit, si de corporis mensura illum arbitreris, sed *magnus in diebus suis*. Quid est *magnus in diebus suis*? Respondet Innocentius III. Pontifex Maximus: *Non tam in diebus temporum, quàm in diebus virtutum, singulæ namque virtutes sunt singuli dies, qui mentem illuminant*. PPP. 293. c. 2.

Itaque si quæras, qua in re magnus fuerit ille alioquin pauxillo corpore Antoninus, respondebo, magnum fuisse *in diebus* non volubilis, & variabilis temporis, sed *suis*, hoc est, illustrissimarum virtutum, quæ cum illo propemodum infinitæ fuerint, magnitudo eiusdem etiam propè infinita fuit.

Isaias c. 65. ait: *Non erit tibi ampliùs infans dierum, & senex, qui non impleat dies suos*, hoc est, non erit posthæc infans vetulus (vetulum enim scriptura hominem dierum vocat) neque vetulus infans, non enim implent dies suos, qui infantes decedunt. Sed qui hoc vel nuntijs, vel promissi? quid nouæ, & inauditæ locutionis?

Sunt infantes quidam vetuli, sunt & vetuli quidam infantes Qui multùm ætatis in tempore vixerunt sine p bitate, longæui pueri, siue vetuli infantes dicendi sunt, vt aiebat Philo ibid. 287. c. 2. Homines improbi, & scelerati sunt pueri, infantes adeò quoad eam ætatem, quæ præcipua est, & ex virtutum diebus conflatur, atque ex meritis, & officijs Deo exhibitis crescit. Qui absq; probitate, & pietate consenuit, idẽ absq; vita vixit, & vitâ sine annis habet, & sine multis diebus longæuam ætatem, nec enim quidquam est vita, cuius studia Dei laudi, gloriæ, cultui non dicantur. Declarat hoc mox Propheta inquiens: *Puer centum annorum morietur*. Quis ille tam annosus puer? *Peccator centum annorum*. Peccator ergò tametsi, quod ad corporis annos attinet, decrepitus sit, Dei tamen æstimatione, & cœli calculatione velut recens natus infantulus est, verè enim viuere est sanctè, ac meritoriè viuere, & qui abundat virtutibus, ille multorum dierum homo dici potest, tametsi ætatis corporalis dies non multos numeret. Ergò veterani infantes sunt, qui magni in diebus non temporum, sed suis, sed virtutum, sed meritorum, & operum bonorum. Ex his veteranis infantibus fuerunt Ioannes Baptista, Nicolaus Episcopus, Dominicus, Thomas Aquinas, Samuel, qui *ministrabat ante faciem Domini*, quando *puer*, 1. Reg. 2. & sanctissimus Florentinorum Archiepiscopus Antoninus, qui etiamnum puer sacras ædes, & Conciones tam deuotus quotidie adibat, vt totius ciuitatis in se ora, oculosque conuerteret. Ibid. 292. c. 1. & 2.

Zachæum mihi videre videor, quoties Antoninus animo occurrit, tanta est morum similitudo, quâ hic illum expressit. Zachæus *staturâ pusillus*, vt est apud Lucam, siue *nanus*, vt Ammonius Alexandrinus affirmat, erat: Et Antoninus tam paruulus erat, vt Antonij nomen nimis magnum illi esset, adeoque Antoninum vocandum putârint, qui Christo militem adlegerunt. Zachæus ascendit in arborem sycomorum, siue ficum fatuam, vt Christum videret: Antoninus crucem (quæ per ficum fatuam, Augustino ita exponente, significata, & gentibus, vt Paulus aiebat, stultitia fuit) excepit, cùm religiosæ vitæ genus suscepit, vt Christum sequi, & consequi post hanc vitam posset vbi illum æternum beatus videret. Zachæus dimidium bonorum suorum dedit pauperibus: Antoninus omnia sua erogabat in pauperes, calices, vtensilia tum sacra, tum domestica, ipsa adeò conspicilia, quibus ad legendum vtebatur. Parùm dixi. Etiam commodatò accipiebat ab alijs, quibus pauperiem inquam leuaret, postquàm sua omnia dispertijsset. Romam Florentinorum legatus ad Pontificem missus, cùm propiùs ab Vrbe in pauperem incidisset, totum pallium suum ei dedit, oppidò prolixior, quàm Martinus, qui dimidiam chlamydem dare satis putauit. Zachæus filius Abrahæ dictus fuit, quia vt ille filium, & hæredem obtulit, ita hic substantiam, & hæreditatem. Ita Chrysostomus apud Nouarinum. Maiore igitur iure dici filius Abrahæ potuit Antoninus, qui non substantiam, & hæreditatem tantùm, sed etiam seipsum Domino obtulit, triplicisque voti insolubili nexu adstrinxit, & propriam suam voluntatem gladio obedientiæ Deo victimã mactauit, &c.

Deus bone quantùm fugit Antoninus, vt Archiepiscopatum Florentinum effugeret, quam alij dignitatem



tatem velis, quod aiunt, & remis prosequebantur, vt assequi possent! At si quidem *bonum opus deside-rat, qui Episcopatum desiderat*, 1. Tim. 3. qui fugit tamen, vitat onus oneribus alijs omnibus grauius. Quantùm enim distat cœlum à terra, tantùm differt molestia, quam sustinent Prælati, ab ea, quam patiuntur subditi. PP2. 561. o.

Die noctuq́; æstu vrebar, & gelu, fugiebatq́; somnus ab oculis meis, sicq́; per viginti annos in domo tua seruiui tibi, dicebat iustè iratus Iacob inhumano socero suo, Gen. 31. ac dicere potest quisquis rationales oues curandas suscepit. Nemo enim alius insomnes noctes ducit, nemo alius gelu, æstuque vritur, nemo alius omnibus cœlorum, hominumque iniurijs est expositus, quàm qui humeros suos grauissimo imperandi oneri submisit. Ibid. Vt sanctus Cornelius *Episcopatum nec voluit, nec desiderauit, nec vim, vt quidam fecit, vt Episcopus fieret, sed ipse vim passus est, vt Episcopatum coactus acciperet*. Ibid. 564. c. 1. Sic & B. Antoninus.

De Sancta Catharina Senensi, Virgine Seraphica Ordin. Prædicat.



Simile est regnum cœlorum grano sinapis. Itané grano tantillo inest aliquid simile regno cœlorum! Quis tale quid suspicari potuisset? inquit S. Petrus Chrysologus. *Quærens in cœlo, & in terra Dominus, nihil inuenit, nisi granum sinapis, in quo potentiam totam supernæ dominationis includat*. Quis non magis immani montium magnitudine, vel diffusi maris latè patentibus spatijs, vel auri opulentiâ, vel margaritarum diuite pretio adumbrandum regnum illud putasset? In exiguo tamen sinapis grano similitudinem regni sui Christus inuenit, vt nos doceret non spectare exteriora, non æstimare rem de his, quæ forinsecùs apparent, eò quòd in minimis maior sæpè vis reperiri soleat, & magnam virtutum affluentiam aliquando reperiamus, vbi summam esse earum inopiam arbitrabamur. PPP. 396. c. 2.

Si tibi Catharina Senensis quinquennis puella occurrisset, crepundia, & nuces, & nugamenta, quibus oblectari ætas illa solet, videre apud eam putasses. Sed Angeli cernebant apud eam cœlestis vitæ tantam similitudinem, vt manibus tam pretiosum monile exciperent, perq́; scalas domesticas sursum, ac deorsum ferrent, vt alij dulces infantes ad oblectationem circumgestare solent. Inuisisses eam domi ægram, reperisses in humili strato, duroque & neglecto lecto decumbentem B. Raymundus Capuanus tamen illius confessarius inuenit eam aliquando non iam regnum cœlorum quadam similitudine referentem, sed ipsum cœlorum Conditorem Christum de facie repræsentantem, &c.

Ita fit nonnunquàm, vt vbi minora, & pauciora speramus, ibi & plura, & maiora, & admiranda inueniamus. Ibid. 394. o.

Obseruiebat beatissima hæc Virgo ægrotanti cuidam mulieri, quæ gratuita illius obsequia non aliter accipiebat, acsi debitissima officia fuissent, eamque sibi ex sola misericordia ministrandi de turpi familiaritate non solùm temerè suspectam habebat, sed etiam indignè, & improbè traducebat, infamabatque (de quo vide, quæ in Cent. 2. Tomi diximus) neque tamen famulari illi intermittebat, tametsi etiam à parente sua grauiter increparetur, quòd non destitueret eam, à qua tam turpiter proscinderetur. Ea pura, & puta Virginis misericordia fuit, quæ à benefaciendo non destitit, quamuis non solùm nullam speraret ab infirma remunerationem, sed etiam mutuam acciperet, eamque multam pro beneficijs iniuriam. Quem spes remunerationis, & positum ob oculos lucrum ad benè agendum mouet, ille quæstus, & commodi proprij studiosus, nō syncerè amans vocari potest. Ibid. 397. o.

Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod minimum quidem est omnibus seminibus. Matth. 13. Si oculorum arbitrium de grano sinapis requiras, quid tam exiguum, quàm illud? Inuenit tamen in eo totius amplissimi cœlorum regni similitudinem ille, cuius iudicium falli non potest. Itaque magnitudo, & præstantia rei non est alligata eius moli, sed virtuti, non enim de facie, aut aspectu, sed de pretio æstimatur. PPP. 237. o.

Ego sum Deus Abraham patris tui, dicebat Dominus ad Isaac Gen: 26. neque tamen angustis limitibus dominium suum circumscripsit, quià vnus Abraham illi omnium instar erat, & tanti apud eum reputabatur, quanti alij homines. Ita ferè Chrysostomus. Hinc videas magnitudinem rei non in mole, sed in qualitate positam esse, alioquin & rude saxum paruo adamante præstantius esset.

Rebecca post diuturnam sterilitatem vnicum tantùm partum habuit, satisq́; felix fuisset, si etiam solum Iacob peperisset, quià hic illi pro numerosissima prole esse poterat.

Proptereà fortunatior eſt, cui filius vnicus probus, quàm cui plurimi improbi. *Ne iucunderis in filiis impiis, ſi multiplicentur, melior namq; eſt vnus timens Deum, quàm mille filij impij*, aiebat Siracides Ecclſ. 16.

Plùs potuit vnus Ioſue, qui ſolis curſum ſtitit, quàm totus mundus. *Veniat omnis mundus magis autem duo, aut tres, aut quatuor, aut decem, & viginti mundi, dicant, & faciant hoc*, inquit Chryſoſtomus.

Iſmaël decem filios genuit, Iſaac tota progenies Abrahæ fuit, & illum vocat, *generationes* Abrahæ. Vnius natiuitas nomen generationum habet, vt agnoſcamus, magnitudinem rei non in multitudine, ſed in bonitate ſitam eſſe. Ibid. 239. c. 1.

Quadrimula puellula, & quinquennium vixdum ingreſſa domus paternæ ſcalas inire, ac deire cœpit, perque gradus ſingulos adgeniculari, & Virginem virginum ſalutatione Angelicâ deuenerari, idq; tam piè & ardenter, vt Angeli oblectati iſto religioſo ergà Reginam ſuam officio, Catharinam, quæ illud exhibebat velut pro mutua beneuolentia palmis ſuis vrbanè exciperent, perq; gradus illos ſurſum, ac deorſum veherent. Vbi mihi inuenias hodie talem in tali ætatula pietatem, ſi etiam parentum, quorum eſt maxima rectè educandorum liberorum ſolicitudo & vigilantiſſima cura, domos circumeas? Alios atque eheu nimis multos reperias, qui rudibus illis annis tam ſint docti malè agere, rixari, probra dicere, minas, & pugnos intentare, acſi proceſſioribus annis adulti homines eſſent.

Nempè ad peccandum ab vtero materno plurimi velut maturi viri prodeunt, quibus ad condiſcendam rectè virtutem vix tota, eaque longa vita ſufficit. PPP. 315. o.

Alter gemellorum, quos in vtero ſuo colluctantes ſancta Rebecca ſenſerat, *qui prior egreſſus eſt, totus in morem pellis hiſpidus erat, vocatumque eſt nomen eius Eſau*, Gen. 25. quod Lyrano, Abulenſi, Oleaſtro, aliiſque idem eſt ac *factus, conſummatus, abſolutus*. Tam piloſus erupit, qui primus, vt ſuo aſpectu terrorem incutere videntibus poſſet, tam hiſpidus, quàm prouectiore ætate vir eſſe poſſet, tam rufus, ac ſi multo ſanguine tinctus. Magnum certè hominis omnibus partibus abſoluti inditium erat, quòd cum tam denſa, prolixaq; pilorum lanugine foras prodijt. Eſau allegoricè peccatorem refert, cui ſit tam pertinax cum virtute conflictus, quàm fuit diuturna illius ergà fratrem ſuum Iacob ſimultas. Et quòd ab aluo materna qualis quidam prouectioribus annis vir exijt, eo ſignificati fuerunt quidam, quorum eſt in primula ætate tanta peccandi peritia, quanta virorum aliàs adultiorum. Ibid.

Orabat quondam in templo Anna tam ardenter, quàm vehementer optabat filium, pro quo ſupplicabat. Os precantis Sacerdos Heli obſeruabat, cùmque illius tantùm moueri labia videret, & vocem nullam audiret, *aſtimauit eam temulentam*, & hoc illi probrum dixit: *Vſquequò ebria eris?* 1. Reg. 1. A quo æſtimauit temulentam? *Quia nimis morabatur in orando*, inquit Abulenſis. Indené verò? Immò, *quia oratio breuiter* fit, inquit idem, præter communem morem eſt, moras trahere in oratione, multum temporis dare precibus, & cultui ſpiritus, talia namque perfunctoriè, obiter, curſimq; plerumq; tractantur, quando non planè intermittuntur. Ibid.

O quoties ebria audiuiſſet Catharina, ſi quis Heli orationum eius arbiter fuiſſet! Cum diebus noctes dabat precibus, interq; domeſticas aulinæ operas cùm manu veru ad ignem verſaret, tantus in anima eius à meditatione illius exardeſcebat ignis, vt vi ſuâ corpus in aërem attolleret, ibiq; diuculè inter cœlum, terramq; pendulum attineret, donec vtraq; loca ſecum decernerent, quis eam deinceps contubernalem ſibi haberet. Fugiſſes, credo, tanquàm ab arreptitia, Heli, nec iam vino, ſed ſpiritu non bono plenam dixiſſes, ſi ab orationis ardore ſurſum agi, & pendere in aëre vidiſſes.

Multa habet prætereà hoc Caput, quæ ad laudem huius Seraphicæ Virginis, & vtilitatem auditorum dici pro Concione queant.

Qui ex vita Sanctæ, & Seraphicæ Virginis ſolùm ea perpendat, quæ nos de illa in Tomi II. Indice de Sanctis magno verborum compendio memorauimus, vix abſq; ſtupore leget tam multas, inſignitaſque gratias, quibus eam beneuolentiſſimus Deus, à quo diluceſcere aliquantulùm apud eam ratio cœpit, cumulatiſſimè ornauit. Mentior, niſi in maximam admirationem te rapiant, quæ ibi carptim ex innumeris vitæ eius geſtis attigimus, niſi prorsùm ſaxeus ſis, & omni ſenſu deſtitutus. Si ex altera parte videas, quantum illa pro Deo & fecit, & tolerauit, non tibi nimis noua accidet effuſior Dei ergà illam liberalitas. Ergà eos namque eſt prolixior Dei munificentia, qui alacriùs, ſtudioſiùſq; illi obſeruiunt. Abrah. 129. o.

Ab Abrahamo ad hoſpitium inuitato Angeli mox admiſerunt officium, dixeruntque: *Fac vt locutus es, &c.* Gen. 18. Rogati à Lot, vt ad ſe diuerterent, reſpon-

reſponderunt : *Minimè ſed in plateis manebimus,* Gen. 18. & vix multis precibus exorari permiſerunt, vt hoſpitalitatem admitterent. Quid tam prompti ergà patruum, tam difficiles ergà conſobrinum? Abraham oppidò ſanctior erat, pluribuſque, & maioribus officijs eum honorem meruerat, quàm Lot.

Cum ſancto ſanctus eris, cum viro innocente innocens eris, Pſal. 17. Innocens eſt, qui baptiſmalem nunquàm fœdauit puritatem, ſanctus qui eam contàminauit, ſed lachrymis,& omni genere pœnalium operum rurſùm diluit maculas, vt Petrus, Paulus, Magdalena, bonus Latro. Cum ſancto ergò ſanctus, innocens cum innocente eſt Deus,quia quemlibet pro ſuorum meritorum menſura remunerat. Ibid. 130. c. 1.

Etiam in futura vita *retribuet mihi Dominus ſecundùm iuſtitiam meam, & ſecundùm puritatem manuum mearum retribuet mihi.* Ita exponit Magnus Greg. dicens: *Quià in hac vita nobis eſt diſcretio operum, erit in alia procul dubio dignitatum diſcretio, vt quo hic alium ſuperat, illic retributione tranſcendat.* Ibid.

S. Bernardus ait, illorum Seraphinorum, quos Iſaias vidit, altero cœleſtes,altero terreſtres repræſentatos, id eſt homines, quorum corpus in terris, animus,& conuerſatio in cœlis eſt. Remigius Altiſiodorenſis illud cuiuſdam Angeli ad Ieſum Sacerdotem magnum ſordidis indutum, *dabo tibi ambulantes de his, qui nunc hic aſſiſtunt,* Zachar. 3. erantque Angeli, ſic exponit: *Dedit Dominus Filio ſuo de Angelorum numero miniſtros, quià ſanctos ſuos adhuc in carne poſitos ſimiles fecit Angelis, vnde Apoſtolus dicebat, Municipatus noſter in cœlis eſt.* Verum ergò eſt, quod dixit Bernardus, habere Chriſtum etiam in terris quoſdam ſuos Angelos,& Seraphinos. Seraphin idem eſt, quod ardens. Chriſtus autem ad homines deſcendit, vt ignem ſui amoris illis ſubijceret, per quem fierent ex hominibus Seraphini. *Ignem veni mittere in terram*, ſiue hominum corda terrena, & *quid volo niſi vt accendetur,* (Lucæ 12.) vt vi illius, & vehementiâ colliquefacti homines transfundantur in Seraphinos?

Quærit, porrò vltrà Sanctus Bernardus, cur Deus homines, creaturarum rationalium facilè extremas, & viliſſimas, in tam ſublimem ſtatum euehat,& Seraphinis cœlorum,quorum ordo eſt ſupremus Angelorum,exæquet? Reſpondet Doctor melliſluus, & ad Luciferum conuerſus ait: *Vt tabeſcas ampliùs, & liuore torquearis, non qualeſcunque, nec inferioris alicuius ordinis Angelos, ſed Seraphim poſuit.* Homo in Seraphim per ardentem Dei amorem transformatur, vt dæmon illum videns inuideat, & crudeliſſimè torqueatur. Nam cùm is ex ſupremo illo Seraphinorum ordine in abyſſum inferni prolapſus fuerit, abſque intolerabili cruciatu videre non poteſt, quòd miſer quidam è luto fictus homulus obtineat ſedem beatitatis, ex qua ipſe in putentiſſimam mundi ſentinam pudendiſſimâ prolapſione decidit. To. 1. p. 295. b. Hinc accipio, quamobrem ſæuus ille Orci lauernio ſanctiſſimam Virginem Catharinam Senenſem tam & mortaliter ſemper odit, & immaniter vexauit, non per ſe tantùm, ſed etiam per auxiliares ſuos famæ eius, & exiſtimationi clam, palàmq; detrahens, cùm aliter incommodare illi non poſſet. Videbat illam adhuc paruulam à ſanctis Angelis tanquàm curru ipſius Dei per aëra vehi, quos ſibi velut ad obſequium, & reuerentiam adſtare optabat,quando aiebat: *Sedebo in monte teſtamenti*, Iſa. 14. Videbat tantam eſſe ergà illam Chriſti beneuolentiam, vt ad cellulam eius è cœlo deſcenderet, Pſalmoſque cum ea Dauidicos alternatim legeret, vt iam non duo Seraphim, quemadmodum apud Iſaiàm, ſed Seraphinorum Dominus, & Seraphica Virgo laudes diuinas mutuò, viciſſimq; celebrarent. Videbat illam ardentiſſimi amoris vehementiâ in Chriſtum ſic tranſformatam, vt ipſum non ſolùm de coronæ ſpineæ regio diademate, verùm & de facie referret. Cùm inter horum aſpectum recogitaret, ſe, quòd olim eidem Altiſſimo per turpem ambitionem ſimilis eſſe voluerit, in fœdum deſpicabiliſſimumq; cacodæmonem deformatum, quomodo videre poterat, pauperem puellam hoc obtinuiſſe dignitatis, & in eum euectam ſtatum, à quo ipſe exciderit, & non inuidere, & quod inde fit, non odiſſe, quam Deo tam charam cernebat?

S. Gregorius Nazianzenus Orat. 31. ait: *Quò puriorem cernit* malus dæmon *animam eò, enixius commaculare, atque inquinare contendit, quò* ſanctiorem, chariorem ſponſo ſuo Chriſto eam videt, eò fraudulentiùs perſequitur, & tentat pertinaciùs, & conſpurcandæ illius pulchritudini contentioſiùs inſiſtit. PP2. 557. c. 1. Teſtari hoc beatiſſima Virgo Catharina Senenſis potuit, quam cùm validiſſimo animi propoſito ad perpetuæ caſtitatis ſtudium obfirmatam Orci lauerniones vidiſſent,fœdiſſimas nudorum vtriuſque ſexus hominum figuras induerunt, atque in eis tam nefandas commixtiones in ſecretiore pudiciſſimæ Chriſti Sponſæ cubili aſſi-

mularunt, vt audire sit horror, atque ita repræsentarunt, vt etiam clausis, & oppositâ manu obturatis oculis eas cernere cogeretur. Sic vniuersim crudeliùs eos persequitur, quos studiosiùs, & accuratiùs Deo seruire obseruat. Ibid. 555. o. Vt meritò dixerit Cassiodorus: *Grauiores insidias antiqui aduersarij tunc subimus, quando Dei dona suscipimus.* Ibid. 556. c. 2.

FESTA IVNII.

De Sancto Ioanne Baptista Nato.



Elizabeth impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Processerat in diebus suis, & tam vetula erat Elizabeth, quando hunc filium suum concepit, vt erubesceret fætus, quamuis legitimi gestare inditia, & grauari alienæ ætatis onere, quæ regendis liberis aptior esset, quàm creandis. Tantusque pudor propter longæuam ætatem eam incesserat, vt totis quinque mensibus se occultaret, cùm aluus non sui temporis fructu tumesceret. Ità ferè S. Ambrosius apud B. Thomam in catena. Quare in tam longos annos prorogauit Deus beneficium, quo hoc tam sanctum par coniugum exhilarare, & felicitare volebat? Mihi similis videtur causa ei, ob quam Sara *concepit, & peperit filium in senectute sua*, Gen. 21.

Nam sicut hanc gratiam distulit Dominus in fessam Saræ senectutem, eique nonnisi iam decrepitæ filium dedit, qui totum mundum gaudio, domum paternam risu impleuit, vt donum ex se alioquin pretiosum haberet etiam ex tardatione maiorem æstimationem. Abrah. 161. c. 1. Sic Elizabethæ post diuturnam expectationem, & post desperatum iam omnem conceptum concessit vt mater fieret non cuiusuis filij, sed Ioannis, qui inter natos è mulieribus maximus suâ natiuitate omnes in admirationem rapuit, & lætificauit, vt carior esset, digniorque haberetur, qui longis desiderijs concessus.

Ita vt pretium cuique rei concilietur, concedi nisi post longam expectationem non debet, solet enim quod facilè datur, facilè vilescere, deque existimatione sua cadere. Ibi. 159. o.

Christus his, qui in nomine eius credunt, dedit potestatem filios Dei fieri Ioan. 1. non autem statim esse filios Dei. Quamobrem? *Non statim fecit eos filios Dei, ne per ignauiam perdant gratiam, sed dedit potestatem, quò diligentiores fiant*, nimirùm vt tantæ dignitatis gloria cùm differretur diutiùs, expeteretur auidiùs, & seruaretur cautiùs. Ita ferè S. Chrysostomus ibid. *Vide calcem illius capitis, atque inde perge ad loca ibidem subnotata, inuenie sque plurima de hoc argumento alibi tractata.*

Sanctus Petrus Chrysologus serm. 89. obseruat, quòd B. Lucas, vt extolleret Ioannis hodie nati gloriam, *Zachariæ patris, & Elizabeth matris genus dixit, auos memorauit, titulos locutus est, gradus digessit, dilatauit insignia, denique oratores magnos, & excellentes ingenio imitatus est, qui quoties illustrium virorum parant narrare virtutes, auos, atauosque commemorant, vt ad honorem præsentium accedat dignitas antiquorum, & laus patrum filiorum redundet ad gloriam.* Hæc ferè ille. Sed non est honorificum, & gloriosum à nobilibus, & gloriosis parentibus esse oriundum, nisi nobiliter viuas, & gloriosis operibus studeas, quisque enim suorum operum est filius. Abrah. 166. o.

Friuolum est, proauorum iactare titulos, aiebat S. Petrus Domianus.

Iosue filius Nun dictus fuit à patre, quamdiu ipse nihil præclarè gessit, at simulac propriis factis clarescere cæpit, perpetuò deinceps Iosue appellatus fuit, nullâ patris mentione factâ (quod doctissimus Arias Montanus obseruauit) quia iam suorum operum filius factus fuerat.

Iemini idem est, quod *dextera*. Dextera autem solertiæ, & sagacitatis symbolum est. Ergò Chusai, qui antea Arachites à patre suo nominari solebat, posthæc cùm suâ dexteritate consilium Achitophelis dissipasset, ab illo egregio facinore cognomen Iemini accepit, alterumque à patre veniens nomen obliteratum fuit, magis enim nobilitant præclara gesta propria, quàm sanguis illustrium auorũ. *Mos Scripturæ sacræ ab studiis, tanquam à parentibus filios nominare*, inquit Euthymius. Ibid. 167. c. 1.

At si ab studiis propriis tanquam à parentibus nominamur, vt ille aiebat, idque ex more scripturæ, quæ Iosue, & Chusai inde nominauit, possumus nobis nos ipsi magnificum per heroica facta nomen comparare, & excitare genus, ac familiam, nec quenquam contristare debet obscuritas, tenuitas, vilitas maiorum, ex quibus originem duxit. Abrah. 167. o.

Elizabeth Zachariæ magnum virum genuit, Ioannem Baptistam. Ita canit sancta mater Ecclesia. Virum! Et magnum virum! Et quomodo illi clamabant,

bant, *quis putas puer iste erit?* quomodo item *die octauo Venerunt circumcidere puerum*, si vir, & vir magnus iam erat? Hi ex sæculi more ætatem ex tempore æstimabant. Ecclesia verò vt sponsa Dei loquitur, in cuius domo nulla est nisi meritorum, & sanctitatis antiquitas, & ille annis maior, qui meritis. PPP. 287. o. Et quoniam Ioannes adhuc in vtero matris repletus spiritu sancto fuit, magnum virum illũ mater genuit quia valdè sanctum edidit.

Iacob antiquior Deo, quàm Esau fuit, quia ille pius, ac probus, hic verò *profanus*, vt Apostolus illum vocat, gulositati, aliisque vitiis deditus erat. Ibidem.

De Abraham, & Sara dicit scriptura: *Erant ambo senes, prouectaq; ætatis.* Gen. 8. Origenes, & Philo notarunt, hos primùm à sacro scriptore vocari senes, cùm plurimi plurimis sæculis eos superauerint, vt Seth, Enoch, Cainan, Mathusalem, Lamech, &c. *Neminem legimus hac appellatione dignum habitum*, inquit Philo, *nam reuera senior non ex longitudine temporis, sed ex laudata Vita putatur. Siquidem qui multum ætatis in tempore Vixerunt sine probitate, longæui pueri dicendi sunt.* Dictum verè, & pulchrè.

Paulus Philemoni dilecto, & adiutori nostro, & Appiæ sorori charissimæ, & Archippo commilitoni nostro &c. Phile. v. 1. & 2. Obserua in his cum B. Anselmo, quòd Paulus Appiam mulierem in medio duorum cõmilitonum posuit, & præposuit eorum alteri. Quo documento? *Vt Videatur non sexus rationem habere, sed meriti*, inquit ille ib. 288. c. 1.

De sæculi more descendit, quòd Ieremias se puerum vocauit, quando vocabatur à Deo, vt officiũ prædicationis susciperet. Sed à DEO, qui aliter de ætate pronuntiat, audiuit: *Noli dicere, puer sum*, Ierem. 1. virtus enim annos facit, & annosos eos, qui sunt rudes ætate. Ibid. 288. c. 2.

Dicere ergò illi debuerunt: *Quis putas Vir magnus iste erit?* Ætatis enim magnitudo non ex dierum numero, sed multitudine meritorum pensanda est, ille namque solùm viuit, qui meretur, ille plures dies numerat, qui virtutibus præstat. Ibid. 290. O. *Habes in Vtroque hoc c. pulchra, & docta.*

Quis putas puer iste erit! Luc. 2. Magis extollere non potuerunt hi montani Iudæi Ioannem, quàm cùm dixerunt, effari se non posse, quis ille, quantusque futurus esset. Artificiosa namque Rhetorices solertia est, dissimulare, quid res quæpiam sit, vt sic magis amplificetur per tacitam exaggerationem. Abrah. 63. o. Sic DEVS Abrahæ dicebat, se futurum illius mercedem magnam nimis, nec tamen vllâ comparatione magnitudinem illam exposuit, vt ita maiorem illi conflaret admiratio-nem. Sic Daniel cùm Babylonios cum leæna, cum vrso Persas, Macedonas cum Pardo contulit Romanos cum nulla ferarum similium comparauit. Causa huius apud S. Hieronymum ea est, *Vt formidolosam faceret bestiam, Vocabulum tacuit, quod cùm suprà leænam, & Vrsum, & pardum in tribus regnis posuerit, Romanum nulli bestiæ comparârit*, vt tacitè simul indicaret omni ferâ magis feros fuisse Romanos. Sic & Propheta regius aiebat, magnam esse multitudinem dulcedinis DEI, quam abscонderit timentibus se, Ps. 31. quæ *ideò absconditur, Vt aptius declaretur*, vt ille ait. Ibid. 64. c. 1.

Innuebant patri eius, quem Vellet Vocari filium suum. Surdus ergò fuit Zacharias, apud quem stultè alioquin nutibus egissent, cùm verbis vti potuissent. Idem vocabulum κωφὸς & surdum significat, & mutum, vt aiunt Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius. Rectè illud, nam & idem homo, qui mutus est, consequenter fit surdus, & cui lingua impedita est, eius *auditum quoq; obstrui necessium est*, inquit Lactantius. Quamobrem illud? *Vt quia Vocem emittere non potest, ne admittere quidem possit.* Vide hîc admirabilem Naturæ prouidentiam, quæ sic humani corporis disposuit facultates, vt quo momento lingua promere verba desinit, etiam aures haurire nulla possint. Quo documento? Illo, vt discamus, quòd officia ab aliis frustrà expectat, qui non præstat, & quòd dare debeat, qui vult accipere.

Cùm res penè omnes, etiam sordidissimæ, & indignissimæ habuerint religiosum apud cæcos Gentiles cultum, sola cæca Mors neque venerationem habuit, neq; templum. Quid ita? Quia & ipsa nemini vnquam detulit, nulli gratificata vnquam fuit, sed ergà omnes tetrica & inexorabilis semper fuit. Non debuit ergò habere honorem ab aliquo, quæ nulli impendit. Sic & *frustrà petit debitum, qui quod debet, non soluit*, inquit Glossa quædam. Vulneratum sibi cor ab vno oculorum sponsæ sponsus Cant. 4. aiebat. Cur vnus illum maximè oculus ex omnibus membris sauciauit? Oculus quia potest videre, & videri, *illex, & index solet esse amoris*, inquit Balduinus. Non habere membra cætera, quod oculi, qui mutuò spectant, cùm spectantur, & pares vices reddunt, intuitum intuitu excipientes. Hi ergò & indicant, & alliciunt amorem, qui aspectum

aſpectu compenſant, & obtutu merentur obtutum. Abrah. 91, c. 1. & 2.

Et innuerunt patri eius, quem vellet vocari filium ſuum. Fuiſſe etiam ſurdum, neque mutum tantùm, id ex his verbis colligunt boni autores paulò antè memorati. Quare linguæ, ſimulque auditus vſu orbatus bonus Zacharias fuerit? Reſpondet Theophylactus: *Meritò duo hæc paſſus eſt, & quòd non audiret, & quòd non loqueretur, quia enim non obedierat, condemnatur vt ſurdus ſit, & quia contradixerat, vt ſileat.* Abrah. 139. c. 2. Solet nimirùm DEVS affinia, & analoga peccatis ſupplicia irrogare. Ibid. 138. o. Quære cur Deus ignem contrà naturæ conditionem deorſum ad vaſtandos turpes Sodomitas ſubmittere voluit, reſpondebitq; Chryſoſtomus: *Erat iuſta retributio his, qui naturæ ſubuerterant leges, fœminas in maſculis quærentes, vt inuertatur & in eis naturæ ordo, & fiat eis naufragium ex igne quaſi ex aqua.*

Per peccatum obbruteſcit homo, iuxta illud Pſ. 48. *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Meritò ergò capite minui poſſet, quiſquis mortaliter peccat. Quamobrem? *Quia capite ſolo à beſtiis diſtamus, & reſciſſo capite reliqui corporis truncus beſtiarum corpori comparatur, & ideò ſapientiæ arce iure fraudatur, qui ſapientiæ non potuit tenere rationem.* Ita S. Ambroſius.

Quòd vel Lamech, vel alius quis Cainum interfecerit, ſcripturæ litera non dicit, vt ferè eſt apud Burgenſem. Sed cur ſcriptura non æquè Caini, atque Abelis mortem commemorat? Reſpondeo. Cùm iuſtitiæ Dei conſuetudo hoc habeat, vt ex eo peccatori pœnam plerumque adornet, quo ille ad culpam vſus fuit, facilè eſt cogitare gladio periiſſe, qui gladio feriit, & ſuperuacaneum fuit narrare, quod res ipſa loquitur.

Cuderat in corde ſuo Abſalon cogitatus impios, conſilia nefaria, machinationes ſanguinarias. Itaque lanceis cor illud tranſuerberatum fuit, quòd tam improba propoſita aduerſus optimum patrem concepta erant. Ita ferè Abulenſis.

Multos in natiuitate Ioannis gauiſuros Archangelus parenti eius denuntiabat. At ſi alii, ſiue ii cognati, ſiue vicini lætati fuerunt, quando Ioannes natus, quantam ex tali filio voluptatem parentes eius hauſerint! Nam eſſe genitores liberorum ſanctorum tanta eſt felicitas, vt humana cum illa certare, & comparari alia nulla poſſit. Abrah. 162. o.

Iſaac idem eſt, quod *riſus*. Seniçula mater illius, quando recens puerpera erat, inquiebat: *Riſum fecit mihi Deus, quicunque audierit, corridebit mihi*, Gen. 21. Meritò autem à riſu nomen accepit filius, qui tantam lætitiæ voluptatem peperit ſuis parentibus, meritò putauit Sara, gauiſuros omnes quotquot illum natum intelligerent, quia tam ſunt fortunati talibus liberis parentes, vt congaudere, & congratulari eis omnes poſſint.

Vehementer cupiebat Dominus, ſed nonniſi cõſentiente Moyſe, occidere ſacrilegum populum, qui per ſummam impudentiam diuinum cultum inani, & inanimi vituli ſimulachro exhibuerat. Vide autem quibus promiſſis Moyſen in eam ſententiam pertrahere voluerit. Si me dimiſeris Moyſes, inquiebat, *vt iraſcatur furor meus contrà eos, & deleam eos, faciam te in gentem magnam*, hoc eſt, *in generationem ſanctorum*, vt exponit Gloſſa interlinearis. Non putauit efficaciùs Moyſen permouere ad aſſentiendum poſſe, quàm ſi promitteret, velle proborum, & piorum liberorum patrem facere.

Plurima bona imprecatus fuit cæcus ex ſenio Iſaac ſuo Iacob, & Brugenſi non ſatis ampla videtur benedictio, quam illi Gen. 27. v. 28. & 29. impertiit. Quid ita? *Non legitur, quòd Iacob fuiſſet benedictus à patre ſuo de propagatione hominum*, inquit ille, tanquam putaret, perfectæ benedictionis exiſtimationem non mereri eam, quæ non ſimul optet ſanctos liberos.

S. Gregorius Nazianzenus mirum illud hac de re pronuntiat. *Qui ſimul & multos, & probos, atque honeſtos filios habuerit, in fabulis fortaſſe repertas. Mihi maximum, & clariſſimum eſſe videtur, felicitas in liberis.* Ibid. 163. c. 2.

Quanta ergò felicitas fuit Zachariæ, & Elizabeth, quorum filius in vtero ſanctificatus materno ab ipſo Deo viſitari meruit, & magnus fuit coram Domino, ac tam magnus, vt in ſummum ſummi Dei verticem ſuâ manu peruenire potuerit!

In Feſto Apoſtolorum Petri, & Pauli.

Quem dicunt homines eſſe filium hominis? Quærebat hoc ex diſcipulis ſuis Chriſtus. Origenes apud S. Thomam in catena aurea vult hoc interrogaſſe, vt nos ſemper ſcrutemur, qualis opinio ſit apud homines de nobis, vt ſi quid malè dicitur, occaſione illius præſcindamus? Hæc ibi. Sed quid ſi falſi aliquid de nobis comminiſcantur? Dummodo

dò habeamus Deum nobis addictum, dicta de nobis aliorum ne curemus. Abrah. 97. o.

Quod Abrahæ Dominus aiebat: *Ambula coram me, & esto perfectus*, hoc multis bonis autoribus tale est, quale si dixisset: *Mihi solùm attende, cæteros ne cura*, labora vt mihi placeas, hominum gratiam bonam, malamué susque deque habe. Nam si iustam offensæ causam nemini præbeas, hominum iudicia, arbitria, dicta contemnere potes, & benè contentus viuere, dum me contentum habeas.

Dauid beatum illum dicebat, non qui non peccârit, sed cui Deus peccatum non imputârit. Cuius hanc reddit causam S. Pet. Damianus: *Omne enim, quod ipse nobis non imputare decreuerit, sic est, quasi non fuerit*, vt qui illum addictum habet, non habeat quod metuat.

Sponsa nigram se dicebat, sed formosam, & de hac pulchritudine sibi gratulabatur. Sed quomodo formosa, si nigra? Et quid æquè deuenustat muliebrem faciem, ac atror? *Nigra sum iudicio mundi*, respondet pro illa Petrus de Aliaco, *formosa iudicio Dei*, cùmque his oculis sim elegans, nihil curo, quòd mundo videar deformis.

De Lazaro mortuo dicebat Christus: *Eamus ad eum.* Sed quomodo ad illum, qui iam non erat ille? *Viuebat Christo vt Deo*, inquit Theophylactus. Qui Christo viuebat, vt viuus haberi debebat, quanquã aliis mortuus esset.

Vt Deo quidam viuunt, qui hominibus mortui, sic & hominibus alii nonnulli viuunt, qui Deo mortui. Dauid de huius sæculi quibusdam diuitibus aiebat: *Dormierunt somnum suum*, Ps. 75. Dormiisse somnum suum idem est, quod mortuos obiisse mortem suam. Itaque mortui erant, priusquam morerentur. Omninò. *Benè somnum suum dormiunt sæculares viri, quia licèt sæculo vigilent, Deo dormiunt*, inquit S. Ambrosius. Ibid. 99. & seq.

Vos autem quem me esse dicitis? Quæsierat Dominus ex Discipulis suis: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* velut aliis verbis dixisset: Quam in mundo existimationem obtineo? Quid de me vulgò dicitur? Quid de vita, deque miraculis meis in foro, & per compita loquuntur? At illi dixerunt: *Alii Ioannem Baptistam* te affirmant, alii autem esse *Eliam* contendunt, *alii verò Ieremiam, aut vnum ex Prophetis* esse volunt. Cùm hæc ille audisset, nihil quidem miratus fuit tot capitum tam varias esse sententias, conuersus verò ad Discipulos suos ait illis: *Vos autem quem me esse dicitis?* Quodnam est vestrum de me iudicium? Quæ vestra de meo Patre sententia? Quo me genitore natum censetis? Quid est, quod Dominus noster, qui eo consilio iudicium de se aliorum exquisierat, ne quis in agnitione illius hallucinaretur, aut erraret, cæterorum opinationes susque deque habuit, & solam Apostolorum valere sententiam voluit, cùm ait: *Vos autẽ quem me esse dicitis?*

Hanc mouit, & soluit quæstionem S. Ioannes Chrysostomus, sic ex Christo ad Apostolos dicens: *Nullam imperitæ multitudinis rationem, vestri meorum præconum habeo. In vobis res humanæ nutant, in vobis periclitantur. Et quemadmodum vestra cognitio publicum mortalium beneficium, sic vestra inscitia totius orbis detrimentum, idcircò vos quemnã me dicitis?* Destinati erant Apostoli Principes Ecclesiæ, Pastores gregis dominici, atque in his Petrus caput omnium Christi fidelium. In illis, post Deum, collocata erat veritas, & recta cognitio reconditorum legis nouæ mysteriorum. Postposito igitur totius orbis reliqui iudicio, solam Apostolorũ de se requirit sententiam, vt ex qua seu vera, seu erronea cæterorum omnium vel rectum, vel sinistrum penderet arbitrium. Dum capita, superioresque modò rectè sentiant, errorem subditorum metuere non possumus, nec debemus. At si Principes hallucinentur, quid aliud timere possumus, quàm ne falsâ opinione imbuant etiam eos, quos susceperunt gubernandos? PP2. 519. c. 1.

Tanta nempè est vis, & efficacitas exempli, vt plus videatur liberum suâ tyrannide opprimere arbitrium, quàm mouere voluntatem. Ibid. 518. o.

Ad finem istius cap. adscripsi alia ex Tomo 2. loca, vnde plura mutuari possis, si de hoc argumento disserere apud auditores fortè placeat.

Quòd vna vilis ostiaria ancillula Petro mentiendi, & negandi occasionem præbuit, ob hoc ille posteà etiam pientissimis mulieribus, interque has etiam Magdalenæ, vera nuntiantibus credere noluit. Meritò illud. Nam quod semel exitij nostri causa fuit, semper timeri tanquam suspectum salutis nostræ instrumentum debet. PP2. 552. o.

Postquam Laban Iacobum sæpè iam circumuenerat, & mercedem eius decem vicibus mutauerat, voluit ab illo emigrare, stultitiæ se arguendum arbitratus, si fidem deinceps haberet homini, à quo tam crebram fraudem passus fuerat.

De Ephraim ait Oseas 7. *Factus est quasi columba seducta non habens cor.* His verbis hominum de illa tribu simplicitatem cum imprudentia coniunctam notare voluit. *Si causam requiris*, ob quam Ephraim

im cùm excorde columba confertur, *ipse eam statim Prophetа adfert, cùm subdit*: Ægyptum inuocabant, ad Assyrios abierunt; inquit Pelusiota. Nullos habuerunt Israëlitæ infensiores hostes, quàm Ægyptios, & Assyrios. Stultè ergò fecerunt, quòd eorum opem positi in angustijs requisierunt. Ibid. 552. c. 2.

Ab Ammonitis in supremam necessitatem redacti Israëlitæ strenuum ducem Iephte implorârunt, vt is exercitus moderationem susciperet, velut certi de liberatione, si talem haberent belli imperatorem. At ille cum stomacho respondit: *Nonne vos estis, qui odistis me, & eiecistis de domo Patris mei?* Iud. 1. vbi Lyranus: *Non statim credit eis propter eá, quæ passus fuit ab eis.* Ibid. 553. c. 2.

Putarunt quidam non contemnendi autores dæmoni animam Iobis commendatam, vt eam tanquam Angelus quidam custos tutaretur, cùm ei dictum fuit: *Animam illius serua*; Iob. 2.

Verùm Olympiadorus ait: *Non id Deus mandauit diabolo, vt pro Iobi animæ salute excubaret?* Quidni? Respondet: *Nam qui tandem hostem à benè merendi suapte sponte, ac naturâ abhorrentem tuendæ animæ præfecisset?* Sic noli commodorum tuorum curam illi credere, quem exitij tui cupidum venatorem nosti. Ibid. 554. c. 1.

Quanquam Saul Dauidi pro ingentibus beneficijs plurimùm se deuinctum cum lachrymis fassus esset, & suam cum illo amicitiam validissimè redintegrasset, *Dauid tamen, & viri eius ascenderunt ad tutiora loca.* 1. Reg. 24. Quamobrem? Quia non crediderunt verbis Saulis, cuius infidelitatem, & instabilitatem, & odium toties fuerant experti, &c. Ita Carthusianus. Ibid. 554. c. 2.

Cùm eatenùs simus boni, quatenùs à malè agendi occasione procul positi, debemus illam sic vitare, vt etiam Angelos humanis lineamentis tectos fugiamus. Abrah. 118. o.

Petrus bonus erat, quamdiu in collegio Apostolico positus; simulac in aulam, & atrium Principis Sacerdotum incidit, Christum negauit, factus latro in domo Caiphæ, cùm latro factus sit Petrus in cruce, vt ait Sanctus Drogo. Si Petrus aulam fugisset, effugisset negationem. Tanti refert vitare occasionem.

Summates Iudæorum decreuerant, neci dandum Christum, cauerant tamen, ne hoc in die festo fieret. Fortè cùm à concilio, vbi mors Christo constituta erat, digressi sunt, hoc alter alteri quàm enixè commendauit. *Non in die festo.* Et nihilominùs in parasceue, vt est apud S. Ioannem c. 19. v. 14. Hoc est, in ipsa ad magnum festum præparatione, in crucem actus est. Quî factum? Respondet Chrysostomus: *Quanquam ita statueretur, vt ne occideretur in die festo, non tamen expectauerunt, sed inuento proditore occasionem arripuerunt.* Facit hoc occasio, vt maximè faciamus, quæ minimè antè voluimus.

De Lot dicitur Gen. 14. *Habitabat in Sodomis.* In ea verba sic ait Origenes: *Alia eius benè gesta non legimus.* Cetè à charitate in pauperes, ab hospitalitate ergà peregrinos luculentissimè illum Sacra Scriptura tum vetus Moysis, tum noua Pauli commendat. Quid ergò sibi vult illud Origenis, quòd alia facta sancti Lot non nouimus, quàm quòd in Sodomis habitauit? Sodomitæ *pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis.* Quòd ergò inter eos vixit, qui quàm malo exemplo, tam magno numero ad peccandum præibant, & inter promptas peccandi occasiones constantiam tenuit, id tam stupendum opus fuit, vt alia eius facinora, quantumuis præclara, & illustria, omnia obscuret, ac velut oppanso velo tegat. Benè ergò dicebat Origenes, benè gesta sancti Lot alia non nouisse, quàm quòd in Sodomis habitauit, nam gesta illius quæcunq; alia in magnis, & memorabilibus operibus recenseri non possunt, si cum eo componantur, quòd juxtà ignem non incaluit, proximè niuem non refrixit, inter medios obscænos castus perdurauit.

Agari fugitiuæ apparuit Angelus in solitudine, quæ postquam ab eo solatia, monitaque varia accepisset, ait: vidisse posteriora eius, quo visa fuerit, Gen. 16.

Quomodo potuit videre posteriora eius, à quo videbatur? An fortè à tergo Angelus præferebat oculos, vt sic posteriora videntis se videret? Viderit illam Angelus antè quàm videretur, & loqueretur, simul autem loqui, & obuertere tergum cœpit, itaq; posteriora vidit eius, à quo visa fuit. Sed cur illi dorsum obuertit hominis figuram indutus Angelus? *Ad modestiam, & puritatem edocendam ita obuerso vultu loquebatur solus cum sola muliere in eremo,* inquit Fernandius. Poterat Angelus os, oculos, vultum totum mulieri solitariæ sine periculo exhibere, voluit tamen secùs facere, vt vir, & mulier, quos ad colloquendum in loco priuato, & solitario necessitas cogit, non oculos oculis misceant, cùm miscent Sermones, idq; propter occasionis periculum, postquam etiam Angelus noluit de facie agnosci ab ancilla, quacum verbis communicauit. Si

Angeli

Angeli tam sunt cauti, qui tam securi, cur homines periculo expositi non timeant? Ibid. 119. & seq.

Quo tempore Petrus seruabatur in carcere, *fiebat oratio ab Ecclesia sine intermissione ad Deum pro eo.* Refert Lucas Act. 12. S. Ioannes Chrysostomus ait, non temerè scripsisse Lucam, *preces pro Petro assiduas ab Ecclesia fusas, sed vt à nobis intelligeretur, quantam vim habeant precationes in cælo, vt à periculis Petrum, & Paulum eripiant, Ecclesiæ columnas, Apostolorum Principes, terrarum orbis mænia, commune totius terræ, marisque propugnaculum.*

Omnis apud Deum plurimùm valet oratio, sed *assidua*, & quæ fit *sine intermissione*, ea illum magis capit, & subigit. PPP. 280. o.

Viginti annis *deprecatus est* Deum Isaac pro Rebecca vxore sua, siue vt alia litera habet, *multiplicauit preces*, cumq; tam pertinaci orandi contentione in validissimam pectoris diuini arcem arietaret, nec de animo quidquam remittebat in tam diuturno obsecrationum conflictu, nec intepescebat aliquando illius feruor inter precandi assidua, tamque longa certamina, quare & illustre sui laboris consecutus est præmium, nam *exaudiuit eum* Dominus, *& dedit conceptum Rebeccæ*, & Isaac filium obtinuit, Deus qualem, & quantum! Verbo, Iacobtem. Ibid. & seqq. vbi multa pulchra de efficacitate assiduæ, & pertinacis orationis.

De Commemoratione S. Pauli.

Vide supra de illius Conuersione.

FESTA IVLII.

De Sancta Maria Magdalena.



SAnctus Lucas postquā narrasset curatum à Christo seruum Centurionis, & redanimatum filium viduæ Naimiticæ, hæc subiungit: *Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, &c.* tanquam dixisset: Oppidò grandius miraculum vobis referam. Quale nam illud? Mulieris conuersionem memorabo, quæ vestium luxui, & impuræ vitæ consuetudini renuntians sanctitatem colere, & malefacta sua amaris lachrymis diluere cœpit. Insinuare hic videtur Euangelista, tam ingens miraculum esse conuersionem hominis libidinosi, vt minùs existimari possit curasse desperatum ægrum, & resuscitasse mortuum, quàm ad castam mentem redaxisse hominem carnis inquinamentis deditum. Abrah. 50. c. 1.

Cùm vitia cætera carceres quidam sint, carnis lasciua infernus est. Ibid. 48. o.

Vt cognouit, quòd IESVS accubuisset, attulit alabastrum vnguenti. Sapienter hæc verba discutit doctus Maldonatus: *Apparet eam mulierem excitatam famâ Christi, occasionem antè quæsiuisse, vt sua ad eius pedes peccata proijceret.* Opportunitatem quæsiuit offerendi cœlesti medico sua vulnera curanda. Quare simulac cognouit, eum esse in domo Pharisæi, loco scilicet curationi idoneo, protinus accurrit, & præsentem auidè arripuit occasionem. Non enim adfert salutem medicina, nisi opportunè exhibita, vel accepta, vertiturque in venenum, si intempestiuè accipiatur. Abrah. 72. o.

Propterea Christus, *vt vidit Iudæos ad sermones obsurdescere*, resuscitatione filiæ Iairi, talibusque *factis ipsos instituit, ac medicina medicinam accommodat, miraculisq; miracula*, inquit S. Asterius. Medicinæ medicinam accommodare est commodo tempore & opportunis occasionibus (quod Christus faciebat) eam adhibere.

Cùm audisset Dauid, quòd tonderet Nabal gregem suum, misit decem iuuenes, 1. Reg. 25. vt annonam ab eo peterent. Per id tempus instituebant custodes pecorum ex more pastoritio conuiuia, & diem illum celebrabant, quibus oues suis velleribus nudabant. Et cùm sint plerique tunc profusiores ad dandum, cùm effusiores in vinum, idcircò Dauid tunc implorandam putauit beneficentiam Nabalis, cùm illum ex copiosiore vino hilariorem, largitioremq; fore putauit.

Tempus dilectionis, & tempus odij, inquit Salomon Eccles. 3. Quodnam illud? Quod dilectioni, est adeò vtile, commodum, opportunum, inquit Nyssenus.

Paralyticum illum, quamdiu in grabatulo decumbebat, non monuit Dominus cauere deinceps peccata, ne quid illi deterius accideret, sed quando illum posthæc in templo inuenit, *tunc tempestiuam adhibuit admonitionem*, inquit Chrysostomus.

Vt cognouit, Magdalena, *quòd IESVS accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti, & stans retrò secus pedes eius, lachrymis cœpit rigare, &c.*

Nimis mulierem, & minùs quàm par erat, verecundam

recundam dicat quis fuisse hac vice Magdalenam, si attentiùs, quæ hic fecit, dispiciat. Nobilis fœmina erat, & peropulenta, & toti vrbi nota. Quàm parùm ergò decuit illam, quòd in medium conuiuium, in locum, vbi virorum, eorumq; primariorum ad festa gaudia inuitatorum amplissimus conuentus erat, importuna irruit, illachrymans, & altùm eiulans, & miserabiliter vociferans, & communem lætitiæ voluptatem tragicis istis actionibus interpellans, & non satis tecta caput, sed capillamentum vt iubas spargens, & laxam humi trahens vestem, sola & incomitata, neq; vllam rationem habens murmurationis, & obtractationis publicæ, cui causam non qualemcunque ministrauit. Ita ferè S. Augustinus. Nonne consultius fuisset, occasionem remedij expectare magis opportunam, & tempus aliud commodius, quàm tunc se insinuasse, quando vel stulta putari potuit, vel omninò effrons, vel prorsum desperabunda? Quomodo ergò mulier alioquin cordata, & prudens, & optimis moribus imbuta neque vulgi dicteria, neque virorum spectatissimorum scommata curauit.

Respondet Magnus Doctor: *Quæ silebat in sui fornicatione fortassè esse frontosa, frontosa facta est ad salutem.* Fabula vulgi erat, & quanquam non ignoraret, quàm malè apud omnes audiret, voluptatibus nihilominùs suis, ob quas tam malè audiebat, perlicenter indulgebat, non curans quòd senibus opprobrio, infantibus esset ludibrio, tanquã frontem non perfricuisset solùm, verùm etiam posuisset totam. Ergò quam nulla verecundia prohibuit, quò minùs turpibus consuetudinibus, suspectis congressibus, inconcessis cùm impare sexu commertiis, & vsui virorum libidinosorum familiari vacaret, ea etiam curare non debuit notam ciuitatis, & dicteria hominum, nec erubescere ora virorum, quamuis summatum, cùm ex incendio scelerum suorum, & è media flagitiorum Babylone proripere se voluit. Prœclarè, si fas est dici, actum fuisset, si pudor illam ab emendatione vitæ prohibuisset, quam absterrere à malè agendo verecundia non potuit. PP2. 567. & seq.

Perindignè, & nimisquàm probrosè agitur cùm bonis indefectibilibus, & æternis (in quibus est salus animæ, si tamen illi per nos perennare liceat) quòd non vel eodem loco habentur, quo peritura, fluxa, caduca, quales sunt corporis voluptates. Ib. 565. o.

Die, noctuq; Iacob æstu vrebatur, & gelu, fugiebatque somnus ab oculis eius, vt brutas oues solicitùs pastor rectè custodiret. *Si ergò sic laborabat, & vigilabat, qui pascebat oues Laban, quanto labore, quantisq; vigiliis debet intendere, qui pascit oues Dei!* dicebat sanctissimus Pontifex Damasus. Ibid.

Si qui secundùm carnem ægrotant, sua vim inferunt naturæ, vt seruent quæcunq; ipsis præscripserunt medici, nonne multò magis decet iis morem gerere, quibus cura animarum nostrarum est credita? dicebat S. Ephræm ibid. 565. c. 1.

Quale est, vt diabolo semper operante, & adiicienteq; quotidie ad iniquitates ingenia, opus Dei aut cessauerit, aut proficere destiterit! dicebat Tertullianus ibid. 569. c. 1. *Vide ea verba ibi pulchrè exposita, & totum illud caput diligenter perlege, quod vbiuis fructuosè dicere ex suggesto poteris.*

Accessit ad pedes eius. Lucæ 7. Quamobrem? Respondet S. Augustinus in Psal. 140. *Quia eius vestigia sequi cupiebat.* Perdiderat Dei gratiam quando secuta carnis illecebrosæ ductum iuit post concupiscentias suas. Vt amissam recuperaret gratiam, apud Christi pedes eam requirit. Deus namque tametsi vt res aliæ perdatur, vix tamen ibi inueniri potest, vbi perditus fuit. Abrah. 3. o.

Stans retrò lachrymis capit rigare pedes Domini Magdalena, *& capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* Luc. 7. Vbi sunt, qui pœnitentiam ceu feram bestiam metuunt, & ad illius studium, exercitationemque non aliter accedunt, ac illi terram promissionis, qui ab ignauis hominibus persuasi erant, quòd deuoraret habitatores suos? Num. 13. 33. Pœnitentiæ, & mortificationis opera dura sunt, & laboriosa, non quia verè ita res habeat, sed quia homines sic existimant. PPP. 339. o.

Quidquid inconditum, acidum, amarulentum est in actibus virtutum, & vsu bonorum operum, id de nostra pusillanimitate, & ignauia magis, quàm de illorum asperitate natiua venit. PP2. 448. o.

In vtroq; loco habes plurima, ex quibus sermones non paucos conficere, & fructuosè pro Concione dicere queas.

Mundi autem voluptates, quæ videntur suaues, & odoratæ rosæ, sunt reuerà aculeatæ spinæ. PPP. 341. o. Hoc illi nunc certatim apud inferos clamant, vbi hæ passim audiuntur eiulantium voces: *Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles,* Sap. 5. 7. *Talia dixerunt in inferno hi, qui peccauerunt,* ibid. v. 14. qui cùm viuerent, & ad peccandum se mutuò prouocarent, aiebant: *Coronemus nos rosis, antequàm marcessant,*

cessant, & non prætereat nos flos temporis, nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Ib. c. 2.

Ecce quantos nunc patiuntur aculeos ex illis quondam, vt putabant, rosis, floribus, pratis!

Hic si sciret quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum. Iudicii, quod de aliis facimus, aqua sapere cordis terram solet, per quam transit. PPP. 380. o. Pharisæus Christi hospitator id probatum dedit. Non videbat ille hanc mulierem, idcircò & Christo ignotam putabat. *Vides hanc mulierem?* dicebat Dominus Simoni Pharisæo, quòd non interrogasset, si visam ab illo sciuisset. Deinde solùm vidit tetigisse (*quæ tangit eum*) non vidit lachrymas tantâ copiâ fudisse, non vidit rigasse, tersisse, & fixis osculis reuerentissimè deueneratam fuisse pedes Saluatoris. Ergò maximam partem non vidit, quam si rectè vidisset, ingressu domus suæ eam prohibuisset, tâq; longas in ea nectere moras non permisisset.

Quod in seipso aliquis minimè sensit, is nec alteri id adesse affirmanti vnquàm crediderit, qui autem ità aliquando se affectum sensit, is profectò ad assentiendum faciliorem se præbebit, inquit S. Gregorius Nazianzenus ibid.

Remittuntur ei peccata multa, dicebat Christus Pharisæo murmuratori. Et Magdalenæ suorum scelerum pœnitenti: *Remittuntur tibi peccata.* Cur huic non item dicit: *Remittuntur tibi peccata multa?* Vtrumq; coram multis dicebat Christus. Cur ergò non iteratò dixit, remitti ei multa peccata, vt semel dixerat? Causa erat, quare semel memorauit, vt ex multitudine flagitiorum illius innotesceret magnitudo indulgentis misericordiæ illius, cui nulla tanta occurrere possit peccatorum copia, quã non facilè, ac gratuitò remittere queat, soleatque. Erat etiam causa, cur non repeteret. Nemo sua sibi palàm vitio vitia dari absque rubore audire potest. Attulerat ruborem semel Magdalenæ Dominus, vt Deo gloriam adferret. Cùm ergò Magdalena semel audiuisset, remissa sibi esse peccata multa, atque inde certior facta esset de condonatione illorum, non voluit Christus ei denuò obtrudere grauitatem, multitudinemq́ue eorum, quòd illorum commemoratione iteratâ nequicquam confusa fuisset. Non debet autem facilè aliquid dici, quod alijs adferre mœrorem, aut ruborem possit, nisi admodùm grauis causa aliud non permittat. Abrah. 102 c. 2. Prudentum certè, & cordatorum proprium est, tacere, quæ mouere stomachum, aut adferre molestiam possint, nisi fortè necessitas cogat non dissimulare. Ibid. 101. o.

Sic Deus Abrahæ annuntiabat, quòd illustris, & generosæ, & numerosæ posteritatis parens futurus, sed hoc dissimulauit, quòd plerosq; tam flagitiosos, & contaminatos filios habiturus esset. Dicebat illi: *Crescere te faciam vehementissimè, & ponam te in Gentibus, regesq; ex te egredientur*, Gen. 17. Sed non dixit, quòd *præter Dauidem, & Ezechiam, & Iosiam omnes* peccaturi, capitalesque Domini, & veritatis, ac virtutis hostes futuri essent.

Sic Christus Apostolis prædixit, fore vt occideretur, apud Marcum, & Lucam c. 9. Sed ità dixit, vt ignorarent verbum, & non intelligerent, nimirùm, *vt ne antè tempus tristitiâ afficerentur, & timore exterrerentur*, inquit Theophylactus.

Quòd Apostoli tam exosi futuri essent, vt obsequium se præstare Deo putaret, quisquis eos mactaret, hæc non ab initio, sed penè sub ipsam abitus sui horam extremam Christus eis dixit Ioan. 16. Cur non ab initio? *Quià vobiscum eram*, inquit ibid. Noluit eos intempestiuâ calamitatum futurarum commemoratione percellere, quousq; diutiùs reticere non posset.

Certò prænouerat Deus, quæ mala Salomon, & alij posteri acturi essent. Noluit tamen hæc Dauidi nisi tanquam dubia denuntiare, dicens: *Si indignè aliquid Salomon egerit, arguam eum in virga virorum, &c.* 2. Reg. 7. ne illum sine causa contristaret, inquit Abulensis. Sic absque causa vrgente aliquem affligere nemo prudens solet. Ibid. 103. c. 1. & 2.

Remittuntur tibi peccata tua. Fides tua te saluam fecit, inquiebat Christus ad mulierem, quæ fuerat in ciuitate peccatrix, velut dixisset. Culpas tibi omnes, vnàque pœnas totas condono, lachrymæ cordis tui diluerunt turpitudinem flagitiorum tuorum, amor tuus magnus fuit, *quoniam dilexit multùm*, charitatem fides exæquat, vt benè in pace abire possis.

Caietani obseruatio habet, quòd præter externa Magdalenæ officia ergà Dominum, quæ videre omnes potuerunt, duæ ab illo producuntur in publicum virtutes, quæ cùm intus laterent, inaccessæ erant præsentium oculis, & cognitioni. Eæ virtutes sunt fides, & charitas. Vt autem suorum scelerum indulgentiam à Christo consequeretur, debuit non solùm fidem, charitatemq; habere, sed etiam spem. Cur ergò hanc Dominus præterijt?

Respondet Caietanus: *Spes in officijs eius satis patebat, nisi enim sperasset veniam, non tot fecisset.* Erat Magdalena mulier nobilis, & summo loco nata, & fauentioris naturæ ornamentis insignitè ex-

cultâ, quanta vix eius vrbis,in qua morabatur,alia. Illa omnibus exiſtimationis ſuæ incommodis contemptis, & mundum muliebrem ſuperiorem oblita, laxo capillamento, & paſſis cirris, & ſpretâ grauitate nuperâ, cùm antehac benè comitata comiter, atque vrbanè ab omnibus ſalutaretur, & coleretur, ſola nunc per plateas accurrebat, vel non cogitans, vel non curans, quid homines dicturi eſſent, & in medio ſplendidi conuiuij flebat, ingemiſcebat, ſuſpirabat, nec finem faciebat diſſuauiandi pedes illius, & capillis tanquàm linteo abſtergebat vnguenta, quibus eos perfuderat. Quæ tanta & fecit, & erogauit, putas nihil in vicem ſperauit,& expectauit? *Spes in officijs eius ſatis patebat, niſi enim ſperaſſet veniam, &c.* PP2. 481. c. 1.

Non eſt quiſquam tantâ cognationis neceſſitudine alteri coniunctus, tamque familiaris etiam, & intimus amicus,qui vel pedem moueat,niſi lucri ſtimulo excitatus. Ibidem 478. o.

Quanquàm Iacob eſſet conſobrinus Labani, hic tamen putabat illum de ſtudio,& ſolicitudine curandorum gregum remiſſurum, niſi mercedem illi offerret arbitrariam *voluitq,* cum eo *conuenire, vt libentius ſeruiret*, inquit Abulenſis.

Pulchra, neque pauca hoc Caput miniſtrabit, quæ in huius ſæculi, non Dei Politicos fictè, ac ſimulatè officioſulos dici queant.

De Sancto Iacobo Apoſtolo.

Acceſſit mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis. Cur non dixit: *Mater Iacobi, & Ioannis?* An quià non tam mater, quàm nouerca cenſeri debet, quæ filiorum ambitionem fouebat, & de temporali eorum felicitate plùs ſatis ſolicita erat? Ità ferè Nouarinus in Matth.

Multæ matres ergà liberos ſuos, filias maximè ſunt, quales ergà oua ſua Struthiones. Vide in hanc rem pulchra Tomo primo 106. a.

O quanta infelicitas liberorum, quas improbæ, genuerunt, & educârunt matres! *Filius magis conuerſatur cum matre, quando tener eſt, & quando poſſunt fieri fortes impreſſiones in eo, & ideò ſi mater malè imbuit filium ſuum in tenera ætate, ſemper erit vir malus, niſi ex magna Dei miſericordia, & labore dirigatur.* Ità ſapientiſſimus Abulenſis in c. 24. Geneſ.

Hanc dixero cauſam eſſe, quare improbæ quædam mulieres,Deo ſic prouidente, maneant improles,vt quæ nonniſi Orco ſuos nutrituræ ſint liberos. Vnam certò ſcio, quæ ſterilitate propter ſuam impietatem, & ſuperbiam damnata fuerit, ne ſimilem ſui crearet ſobolem. Volo rem hanc verbis pluſculis exponere.

2. Regum 6. c. ducebatur Arca Dei ex domo Obededom in ciuitatem Dauid. Aderat hìc pientiſſimus Rex præſens ſolennitati,neque ſolùm aderat, ſed & feſtiuitatis pars magna erat. Septem enim choros Symphoniacorum ſecum habebat, & victimam plurimam mactabat, & non contentus vel aliorum hominum vocibus, vel brutorum ſanguine, & carnibus honoraſſe Deum, ipſe quoque ludebat, & totis viribus coram Domino ſubſultabat. Vidit hoc vxor eius Michol, & primùm quidem *deſpexit illum in corde ſuo,* (ibid. v. 16) deinde etiam verbis contumelioſis dehoneſtauit, & turpia petulanter probra dixit, & hoc præter multa ad ſummam ignominiam obiectauit, quòd velut vnus è ſcurris nudatus fuiſſet. Non hæc ſegniorem, immò verò alacriorem reddiderunt Dauidem, vt magis, magiſque & ludere, & vileſcere velle diceret,quòd illam ſubmiſſionem tam gratam Deo ſciebat, quam diſplicuiſſe mulieri videbat. De hac re ſic ait S. Ambroſius Epiſt. 30. ad Sabinum: *Non erubuit Dauid fœmineas opiniones, nec opprobria apud mulieres ſubire pro religionis obſequio verecundatus eſt, ludebat enim Domino puer ſuus, & ideò ampliùs placuit, quià ità ſe humiliauit, vt regale poſthaberet faſtigium, & vltimum exhiberet Deo quaſi ſeruulus miniſterium.* Quid Michol? Fortè an impunè religioſiſſimi viri piam humilitatem riſit. Dicat hoc nobis ſacer huius hiſtoriæ ſcriptor. *Igitur Michol filiæ Saul non eſt natus filius vſq, in diem mortis ſuæ,* ait ille ibid. v. 23.

Riſit virum ſuum Michol,& ſcurrilitatê interpretata eſt, quod erat religioſa pietas,*igitur non eſt natus ei Filius,* An ſolius contumeliæ causâ factum, quòd manſit illiberis? Non ob id tantùm ſterilitate mulctata fuit, quòd ludenti coràm Domino, & ſubſultanti viro ſuo illuſit, & inſultauit, verùm etiam, *ne ſuperbos crearet* mater ſuperba liberos, inquit rurſùm B. Ambroſius. Itané ergò certò futurum erat, vt nonniſi ſuperbam prolem educaret ſuperba mater, quæ pareret? Vix alios ſperare poſſis ex tali matre liberos. Cauſam ex Abulenſi, præfati ſumus.

Acceſſit adorans, & petens. Quod latinus dicit adoraſſe, id Græco eſt inclinaſſe ſeſe, aut genua in terram ſubmiſiſſe, quod Maldonatus eò pertinuiſſe interpretatur, vt Chriſti ſibi gratiam, beneuolentiamque

tiamque

tiamque supplex pro filijs, mater conciliaret. Proprium est hominis humiliare se, cùm quid ambit, & obliuisci benefactorem cùm exambijt, quod prensauit. PP2. 601. o.

Receperat se Dauid ab irato Saulo in desertum Idumææ, & in antro Odollam viuum velut sepelierat, quando in extrema præsentanei periculi necessitate positus, & auxilium Dei vehementer suspirans aiebat: *Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea*, Psal. 62. Dicit in hæc S. Augustinus: *Modò oratio, quamdiu sitis, cùm sitis transierit, transit oratio.* Quamdiu febrientem ardens sitis vexat, quàm ardenter aspirat ad fontes, quotquot vbilibet nouit! Totum immergere se in flumen velit, si per vires, & tempus liceat. Abit febris, simulque illum & sitis, & omnis fontium, & aquarum cupiditas destituit. Sic plurimi hominum cùm ærumnarum siti laborant, vehementi ad Deum omnis boni fontem desiderio feruntur, humiliterq; illum, & contentis vocibus inclamant, acceduntque *adorantes, & petentes*: Verùm cùm angustiæ sitis præterijt, præterijt & memoria fontis &c. Ibid. 601. c. 2.

Sunt plurimi hominum quales illi apud Bernardum, *importuni vt accipiant, inquieti donec accipiant, ingrati vbi acceperint, largissimi promissores, & parcissimi exhibitores.* Ibid. c. 2.

Dixerat Pharao ad Moysen, & Aaron: *Orate Dominum, vt auferat ranas à me, & dimittam populum, videns autem quòd esset requies, ingrauauit cor suum, & non audiuit eos.* Exod. 8.

Sic faciunt multi, inquit Lyranus: *qui cùm in afflictione positi sunt, multa Deo promittunt, sed extrà periculum positi retractant.* Ibid. 602. c. 1.

Multa sunt in hoc capite, quibus profanorum huius saeculi politicorum, & simulatorum officiosorum magnificas sponsiones, & insolentia submissionis verba delineat, & perstringit, quibus aliorum, quorum beneuolentia indigent, opem eblandiuntur, quorum frequens in Concione visus esse possit.

Dic vt sedeant hi duo filij mei. His verbis Salome Mater Iacobi, & Ioannis Apostolorum, vt affirmat S. Matthæus, Christum pro filijs appellabat. B. Marcus ait, filios ipsos his verbis ad Christum vsos: *Magister volumus, vt quodcunq; petierimus, facias nobis*, Marc. 10. 35. Malum exordium orationis, cuius funem ducit voluntas propria, quæ tametsi gemma pretiosissima sit, & donum Dei gratuitum, magno tamen sæpè nobis constare solet. Abrah. 30. o. Hæc enim fecit, vt Lot incideret in Sodomam. Hæc fecit, vt Ierosolymitæ peruenire in veri Dei cognitionem, ex qua salus eorum pendebat æterna, non potuerint. Hæc fecit, vt Abraham post deuictos Reges sibi timeret, veritus ne malè egisset, quod iniussus, & ex propria sententia egerat. Hæc etiam fecit, vt Lot in turpissimum incestum prolaberetur.

Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dextram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo, Matth. 20. Collaterales Christi esse optabant, ideoque Dominus difficilem se illorum votis præbebat, vt doceret, non facilè admittendos quosq; in familiare consortium, maximè cum quibus communicare de tuis rebus debeas. Et quoniam superioribus omnibus mors ex laterum dolore minatur, & interitus ex ea parte afferri solet, vigilanter curare debent, vt sanos, & rectos consiliarios à latere habeant, ne tam acuto ex morbo decedant. Abrah. 153. o.

Abimelech nocturnum quoddam vehementer sollicitabat visum, & statim *de nocte consurgens vocauit omnes seruos suos, & locutus est omnia verba hæc in auribus eorum, timueruntq; omnes viri valde*; Gen. 20. Ita debent Principes, quoties occurrit arduum aliquid, statim accersere consiliarios, sed hoc ante curare, vt quàm rectissimos habeant.

Eugenio Papæ dicebant S. Bernardus: *Non te dixeris sanum dolentem latera, hoc est, ne dixeris bonum innitentem malis*, subaudi consultoribus, Consiliarij quidam sunt cæci, scilicet, non videntes quid sit consultum, & vtile, quidam claudi, qui in vtramuis partem inclinant, nihil certum statuere possunt, nisi hos tales Dauid antè abstulisset, intrare Ierosolymam non potuisset. Ibid. & 154. c. 1. & 2.

Dic vt sedeant hi duo filij mei, &c. Sic obsecrabat Christum Salome pro filijs Mater. Seiens autem Christus, has à filijs causas preces, illis etiam respondit. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Matth. 20. quod est apud Marcum: *Potestis baptismo, quo ego baptizor*, baptizari? Et illi promptè, atq; extemplò: *Possumus*, nihilq; tam arduum occurret, quod non læranter aggrediemur, dum preces nostræ modò obtineant, & exambiamus sedes, quas cupimus.

Euthymius ait: *Omnia promittunt, petitionem consequi cupientes. Chrysostomus autem dicit, quòd nec poculo, & baptismo intellectis solâ animi promptitudine gratiam quærebant.* Quanquam nescirent vel quid calix sibi vellet, quem hausturi erant, vel quid baptismus esset, quo baptizandi dicebantur antè, quàm in locum superiorem peruenire possent,

omnia tamen *promittunt*, ad omnia se offerunt & facienda, & ferenda, quæcunq; Dominus pro illorum subselliorum consecutione & fieri, & ferri vellet. Ita præcipitat hominem dominandi libido, quem semel inuasit. PPP. 313. c. 1.

Immò ita cæcat, vt nihili duceret, Deum ipsum in crucem agere, dum per hoc appetentiæ isti satisfacere, & obtinere principatum posset. Ibid o.

Crucifixionem suam vocat Christus exaltationem, idq; minimùm ter. *Exaltari oportet Filium hominis*, aiebat Nicodemo Ioan. 3. dein reliquis Iudæis communiter apud eundem c. 8. *Cùm exaltaueritis Filium hominis*, Et c. 12. *Ego si exaltatus fuero à terra.* Dicebat olim Propheta regius: *Accedet homo ad cor altum*, Psal. 63. id est, efficietur arrogans, ambitiosus honoris, cupidus imperandi, regnandi libido illum exoculabit. Et quid hinc fiet? *Exaltabitur Deus*, hoc est, vt superbus eiusmodi homo sui voti compos fiat, in ligno suspendet, si fieri possit, & cruci affiget ipsum Deum.

Non de nihilo accensa est contentio inter Apostolos, quis eorum videretur esse maior, quando illud ex Christo nocte cænæ audierunt. *Ecce manus tradentis me mecum est in mensa*, Luc. 22. Simul enim ac hoc intellexerunt, corrixari cæperunt, quis eorum videretur primatum, & præfecturam collegij Apostolici post Christi mortem ambire, vt illum non dubitarent fore Saluatoris proditorem, quem viderent esse primariæ dignitatis cupidum. Ita ferè autor sermonum, ad fratres in eremo Serm. 28. Ibid. 314. c. 1. & 2.

Et vnus ad sinistram. S. Laurentius Iustinianus apud Nouarinum in c. 20. Matthæi ait: *Collocandi erant ad Christi dexteram miseratione diuinâ, sed ipsi perniciosâ petitione secum damnandis constitui flagitabant ad sinistram.*

Sic quod maximè demoritur homo, id illi celeriorem adferre mortem solet. PP2. 637. o. Qui vitiauerat Dinam, cùm non posset habere coniugem, nisi antè circumcideretur, *non distulit quin statim, quod petebatur, expleret.* Sed quantâ festinatione matrimonium accelerabat, tantâ maturatione mortem accersebat. Tertio namq; die, quo grauissimus erat ex circumcisione suscepta dolor, occisus tum ipse, tum omnis suæ vrbis masculus fuit.

Nauseam Israëlitis manna mouit, carnesq; petierunt, & consecuti sunt. Sed *adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos*, Psalm. 77. *Consecuti sunt, quod desiderârunt, & ingluuiem impleuerunt, veruntamen satietatis pœnas dependerunt*, inquit Theodoretus. Perdidit illos, quòd perditè appetierunt. Ibid. 638. c. 1.

Asael pedum pernicitate mortem, quam effugere posse putabat incurrit. Ib. 638. c. 1. & 2. *Ferũt certè* Gentiliũ *fabula fuisse regẽ quendam* (Midam volunt) *qui quidquid tangebat, aurum fiebat*, inquit S. Ambrosius. At quo fructu id fiebat illo, vt ipsa mantilia digitis apprehensa rigescerent, & cibus in ore crepitaret, ferretq; non alimenta, sed inferret vulnera, & in gutture potus hæreret, nec penetrare facilis, nec redire. Hæc ferè idem. *Digna beneficia votis, digna tanto munere precatore.* Ibid. c. 2.

Rachel morituram se clamabat, aut veriùs in mortuis recenseri posse putabat, quamdiu sine liberis erat. Simul autem eniti secundùm filium, & agere animam cæpit. Ibid. 639. c. 1. *Vide in hanc rem plura ibidem.*

Nescitis quid petatis. Petebant enim, vt alter eorum ad sinistram Christi statueretur, ad eam verò statuentur hædi, & ii, quibus dicetur: *Ite maledicti in ignem æternum &c.* Quàm turpiter ergò hallucinabantur, qui tale quid rogabant. Nec miror tamen istam quantumuis grauem, & enormem prolapsionem, quia ambitiosorum obsecratio erat. Antè verò ignis adurere, & lucere sol desinet, quàm errare homo arrogans, sibique nimiùm tribuens. PPP. 373. o.

Nescitis quid petatis. S. Chrys. in catena aurea B. Thomæ ait, decem reliquos discipulos ex hac Domini increpatione intellexisse, quidnam ii duo Iacobus & Ioannes petierint, adeòque indignatos fuisse, maximè cùm simul recordarentur, quòd etiam in transfiguratione præ se honorati fuissent. Vt video de inuidia nata est cæterorum Apostolorum indignatio aduerùs hos duos fratres, & de inuidia non solùm illius honoris, quo in monte Thabor singulariter ornati fuerant, sed etiam de primatu, quem ne consequerentur, tam vehementer timebãt quàm auidè ipsi adipisci cupiebant. Itaque si fortunatorum catalogo inseri potest, qui inuidiosorum sortem est expertus, si ægrotasse quæri non potest, qui inuidentiæ morbo non laborauit (PPP. 382. o.) duo illi fratres quidem in felicibus numerari possunt, quia inuidiosi fuerunt, reliqui verò decem malè valuisse dici, quia inuidiæ malo correpti.

Perquàm prolixus est Nissenus in huius argumenti tractatione, vt materia deficere non possit Ecclesiasten, qui de illo differere pro Concione velit.

Habuit hoc magnus Hispanorum patronus Iacobus de suorum Clientum ingenio, quòd initio suo

Aposto-

Apostolatus promptus ad arma fuit, ignem inferre cupiens Samaritanis, à quibus hospitii repulsam Christus passus erat: *Domine, vis dicimus, vt ignis descendat de cælo, & consumat illos?* dicebat ille, & frater eius Ioannes apud Lucam 9. Increpauit eos Dominus, ac meritò, quia siquidem ad benefaciendum sine longa deliberatione deproperare absque periculo, vt videtur, possumus, ad inferenda supplicia tamen suspenso pede cunctanter pergere debemus, multoque & maturo consilio vti. Abrah. 123. o.

Perspectissimam habebat Deus Sodomitarum improbitatem, & tamen aiebat: *Descendam, & videbo &c.* Cur hoc? *Ad instruendum iudices, qui licèt delictum cognoscant per famam, velut singulares personæ, donec eis perfectè constiterit, peccatum esse commissum, sententiare non debent, sed primò rei gestæ inquirere veritatem*, inquit Abulensis.

Neminem Deus ad pœnas damnat, nisi cui pro malis scelerum suorum meritis iure sit indignatus, quique antè fecerit, ob quod plecti dignus sit. At verò vitam, gratiam, & omne genus beneficii cuiq; propriâ voluntate tribuit. Ita exponit Basilius illud ex Ps. 29. *Ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius.* Eo exemplo docemur, ad irrogandas pœnas maturum consilium adhibendum, beneficia sine consulatione longa pro arbitratu conferri posse.

Virgas, & secures, quibus Romani prætores olim plectebant scelera, validè colligatas præferebant. Quid ita? *Signum est non oportere magistratus iracundiam promptam, ac dissolutam esse*, inquit Plutarchus.

Ad sponsam suam veniebat Deus *saliens, similis capreæ, hinnuloq; ceruorum*, Cant. 2. Postquàm peccarunt Protoparentes, *audierunt vocem illius deambulantis in paradiso ad auram post meridiem*, Gen. 3. Quare tam celer ad sponsam, tam tardus ad lapsos Protoplastos? *Retardabatur, & lentis gradibus incedebat, vtpote qui veniebat tristem mortalibus inferre sententiam, ad sponsam verò veniens festinabat, & latis admodum saltibus aduolabat, æternæ reparationis afferens medicinam.* Sic Galfridus. Discant hinc Iudices, vt ad austeriùs agendum lento pede pergant, ad benefaciendum volent, si volunt.

Quidam apud Senecam tyrannus irato, & festino iudicio tres occidit innocentissimos milites. Primum, quia incomitatus veniebat. Secundum, quòd priori causa mortis fuisset, quia seriùs aduenerat. Tertium, scilicet lictorem, quòd primum non satis celeriter obtruncasset. Contrà ac sanctus rex Iob, qui *causam, quam nesciebat, diligentissimè inuestigabat*, Iob 29. qua in re notandum vidit Magnus Gregorius, ne ad proferendam sententiam præcipites simus, neué indiscussa iudicemus. Ibid.

Sed illud in verbis Iacobi, & Ioannis sapienter pressit Nouarinus, quòd non aiebant, *Domine dic, & iube, vt ignis descendat*, nouerant quippè illius mansuetudinem, & clementiam, quòdque per se id facturus non esset. Tam inuito nempè, repugnanteque animo Deus ad irrogandas pœnas adducitur, vt velut pro miraculo haberi possit, cùm infert supplicia. Abrah. 128. o.

Vesperi venerunt Sodomam Angeli, qui eam exusturi, Gen. 19. ad Abrahæ tentorium in ipso feruore diei Gen. 18. Tardè velle, vt dicitur, nolentis est. Repugnante ergò voluntate, & velut nolentes venerunt qui tam cunctanter, & nonnisi sub seram noctem ad inferendum ignem Sodomis venerunt.

In fatali illo, & supremo mundi expirantis die etiam *virtutes cælorum*, vt est apud Lucam 21. *mouebuntur*. Chrysostomus ait: *Angelos tremor apprehendet. Et cur Angeli trement? Terrebuntur constantiâ Iudicis.* Dei Iudicis, & diei illius furor *in momento, in ictu oculi* consummabitur, 1. Corinth. 15. & hanc tam celeriter transituram, hoc est, momentaneam iram vocat ille constantiam irati iudicis: Quia cùm plectere sit valdè alienum ab ingenio Dei, integrum sæculum, & totam æternitatem sibi vertere videtur ad puniendum, cùm vnicũ momentum ad castigandum adhibet. Ibid. 128. c. 2.

In illa hora, inquit S. Ioannes c. 5. *procedant, qui mala egerunt, in resurrectionem iudicii.* Et nonne vt cruciatus dependant æternos, reuiuiscunt? Ioannes nihilominùs ait, resurrecturos (quod ad Deum attinet) vt iudicium subeant, pœnis ille non oblectatur, sed has ipsi sibi commeruerunt, & conflarunt peccatores. Ita ferè Caietanus.

Propterea etiam tunc *mittet Filius hominis Angelos suos, vt colligant de regno eius omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittant eos in caminum ignis*, Matth. 13. vbi Euthymius obseruauit, quòd *per se quidem seminauit ostendens quòd sibi proprium est beneficia præstare, per alios verò* (puta Angelos) *supplicia infert, demonstrans quòd sit à se alienum punire.*

Apud Ieremiam sic minabatur Dominus: *Cadent in gladio, & in fame, & erunt in miraculum.* LXX. transferunt: *Erunt in perditionem.* Et Chaldæus: *Erunt*

Erunt in vastitatem. Itaque quod vulgato *miraculū*, hoc LXX. & Chaldæo dicitur, *perditio & vastitas*, tanquam miraculo adscribi possit, si quos Deus gladio, aut fame perdat. Ibid. 129. c. 2.

FESTA AVGVSTI.

De Sancto Dominico Ord. Præd. Fundatore.

SI amor æstimari de memoria potest (vt habes in vita Abrahæ 15. o.) maximus fuit S. Dominici ergà salutem peccatorum, qui eius ætate viuebant, amor, quorum tam viuam, cùm viueret, habebat memoriam, vt pro eorum conuersione noctibus singulis non preces tantùm, neque lachrymas solùm, sed & sanguinem funderet, corpus suum duris flagellis castigans, & concerpens, & hoc asperioris pœnitentiæ sacrificium Deo pro illis offerens, libentissimè impendens sanguinem suum, & superimpendi ipse totus cupiens pro animabus eorum, vt Paulus pro Corinthiis 2. Corinth. 12. 15. Vt suum hic Apostolus ergà Philippenses affectum testaretur, aiebat: *Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri, semper in cunctis orationibus meis,* Philip. 1. 3. 4. Sic enim ea exponit Primasius, inquiens: *Ostendit circa eos dilectionem suam, pro quibus semper exorat,* (ibid. 16. c. 1.) Quantam ergò dilectionem ostendit S. Dominicus erga coætaneos suos peccatores, pro quibus non modò flagranter exorabat, sed etiam flagris carnem suam immaniter exarabat, idque non semel, & iterùm, sed in singulas noctes!

De hoc Festo habes prolixum sermonem in Centonibus secundi Tomi. Vide etiam commune Doctorum.

De Sancto Augustino Episcopo & magno Ecclesiæ Doctore.

IN tribus, quæ seruo Dei seruanda S. Augustinus monebat, hoc primum erat, *vt vxorem nunquam cuiquam posceret, idq; ne dum inter se coniugati iurgantur, eum maledicant, per quem coniuncti sunt.* Refert Possidonius. *Pronubos sæpè diris omnibus deuouerunt nupti, etiam ipso die, quo thalami strati sunt,* inquit S. Chrysostomus. Addit porrò: *Quin & multi iuuenes, cùm ineundi matrimonii potestas esset, non aliam ob causam ab vxore ducenda abhorruerunt, quàm ob molestias, quas id vitæ genus haberet.* PPP. 261. c. 1. Est quidem Matrimonium Sacramentum sanctum, sed status illius plerumque valdè ærumnosus. Ibid. 259. o. Vt meritò S. August. suaserit, neminem debere alteri esse conciliatorem nuptiarum.

Inumbrare aliorum maculas, & famæ labes seruare tectas tam enixè studuit Magnus Augustinus, vt neminem vellet mensæ socium, quem sciret detractioni addictum. Non qualiscunque hæc illius laus est. Nam tegere, & excusare proximorum errata tam est gratum Dei oculis opus, vt velit eum, qui hoc facit non solùm velut Angelum è cœlis dilapsum, sed etiam tanquam perdilectum filium suū haberi. Abrah. 122. o.

Ibat ad sumendum supplicia de impuris Sodomitis sanctissimus Deus, & aiebat: *Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum?* Gen. 18. Quid ni potuisset? Quare ergò sic loquebatur? *Quia Deus est valdè difficilis ad publicandum occulta crimina nostra,* inquit S. Thomas. Si pœnas inferendas Sodomitis aperuisset Abrahæ, commemorare debuisset etiam culpas, ob quas infligere vellet. Et quia vix facere potest, vt scelera nostra prodat, etiam vix à se impetrare poterat, vt supplicium indicaret.

Lucas ait de Christo, vocasse ad Apostolatum Simonem, qui vocabatur zelotes, & Iudam Iacobi, & Iudam Iscariotem. Cùm Simonem à singulari erga Dei cultum ardore, & alterum Iudam à parente descripserit, cur non etiam postremum Iudam à suo proditionis scelere denotauit? Respondet Chrysostomus: *Illum de animi sui virtute nuncupauit, istius malitiæ nomen abscondit, & ideò non dixit,* Iudas proditor, *vt te doceret, detractiones nescire, & accusationes declinare.*

Aristotelis pulchra obseruatio est, vnum quodq; animal infirmum sui corporis loco aliquo esse, ac partes infirmiores naturam semper integere consueuisse. Si in naturalibus, vbi sine animi vitio vitium est corporis, tam vigilanter teguntur defectus, quanto studio debent occultari ægritudines animi, quas suâ culpâ sibi quisque accersit?

Cur aqua illa piscinæ mouebatur, vt languentes in ea curarentur? *Turbabat Angelus aquam ne languentium vulnerum turpitudo appareret,* inquit Chrysostomus. Fœdæ erant multorum plagæ, quæ ne incurrerent in oculos alienos, dùm illi essent intra aquas, mouebat eas Angelus. Ergò quidam è

cœlo

cœlo Angelus eſt, qui cùm audit aliorum lædi famã, nudari turpitudinem, & detegi vulnera, ex charitate, aut miſeratione abrumpit, aut interpellat detractoria colloquia, aut criminatorias quouis modo turbat narrationes.

Cùm Petrus videret Chriſtum in monte transfiguratum, *neſciens quid diceret* (vt eſt apud Marcũ) aiebat: *Domine, ſi vis, faciamus hic tria tabernacula &c. Et adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos*, nimirùm vt Petri multis modis errantis, & ex dæmone volente Chriſtum à Moyſe, & Elia ſeparari, loquentis imprudentes ſermones interciperet, obnuberetque. Simul Chriſtus tegere errata Petri cæpit, & vox Patris inſonuit: *Hic eſt filius meus dilectus &c.* Et rectè tunc veſtimenta illius facta ſunt alba ſicut nix, nam quemadmodum nix omnia immunda non ſolùm cooperit, ſed etiam venuſtat, ita ille turpes Petri prolapſiones occulebat obtensâ nube, tanquam pallio iniecto. Talis filii inſtar ſunt, qui eiuſdem inſtar agunt, vt Auguſtinũ meritò in Angelis, & filiis Deo dilectis recenſere poſſimus.

Vt verò charus Deo Patri filius eſt, qui aliorum amat inumbrare fœditatem, ita qui proximum temerè iudicat, leuiterque illi maculas allinit, quidam Lucifer eſt, Deique autoritatem occupare per tyrannidem tentat. Abrah. 125. o. Quòd Deus cùm ad illum clamor Sodomitarum aſcendiſſet dixit, velle deſcendere, & videre vtrùm clamorem opere compleſſent. Gen. 18. id fecit, vt nemo cæco impetu, & auſu temerario ad iudicandum leuiter aliorũ dicta, ſeu facta deproperet. Hæc doctrina vtiliſſima eſt, & plurimùm commendari, & inculcari debet, nam *maxima pars generis humani in diſcreto iudicio ad reprehendendum prompta, & parata eſſe probatur*, inquit S. Auguſtinus.

Temerarii eiuſmodi iudices peccant in totam ſacroſanctam Trinitatem, inuaduntque ea, quæ ſunt Perſonæ cuiuſque propria.

Tempora *poſuit Pater in ſua poteſtate*, Act. 1 Horum notitiam ſibi arrogant, dum hunc vel iam eſſe flagitioſum, vel fore ſceleratum affirmant, qui ſuperiora pœnitendo expiauit, & à futuris cauere propoſuit. Filii ſapientiam inuadunt, dum de ſecretis, quorum ille ſolus conſcius, pronuntiant. Spiritus ſancti benignitatem vel maximè offendũt, cùm eos in reprobis numerant, quos ille in libro beatorum deſcriptos habet. Hæc ferè Ioannes Cluniacenſis.

Propter ſuam iudicandi temeritatem damnatus eſt Phariſæus, Lucæ 18. de quo hæc ferè S. Dorotheus: *Neq; ex hoc iudicatus à Domino eſt, quòd puru m à rapinis, iniuſtitia, adulterio affirmauit, neq; quòd* non eſſe cæterorum ſimilem dixit, *ſed ob hoc, quia ad Publicanum conuerſus, neq;* inquit *vt hic Publicanus. Tunc enim iudicatus eſt, tunc actum eſt eius væ.* Multa ſolius ſtultitiæ plena, cæterùm vacua, & inania verba effutierat Phariſæus, atque tulit Deus, ſed hoc tolerare non potuit, quod addidit, *velut etiam hic Publicanus.* Quare? Quia *iudicauit ipſam perſonam, diſpoſitionem mentis, & vt breuiter dicam, omnem ipſius vitam.* Velut alter quidam Lucifer inuadere iuriſdictionem Dei, & ſimilis eſſe altiſſimo voluit adeò etiam tanquam ille inemendabilis fuit.

Dauid obſecrabat Deum: *Iudica iudicium meum, & redime me.* Pſalm. 118. Quale hoc iudicium? Illud, quo alij res occultas, & dubias cenſere ſolent, inquit ferè S. Ambroſius. Nota, quòd ex perſona peccatoris loquitur, qui ſuum temerarium cupit iudicari, & caſtigari iudicium. Quare caſtigari, & non condonari quoad pœnam? Quia illud vitium tam eſt exoſum Deo, vt culpæ remiſſionem precari potuerit, pœnæ indulgentiam rogare auſus non fuerit. *Iudica*, Domine, inquit, temerarium *iudicium meum*, & plecte, ac puni. Vt verò meriti ſupplicij gratiam conſequeretur, commonebat Deum miſericordiarum ſuarum, velut earum immemorem ipſum tanti ſceleris magnitudo feciſſet, dicens: *Miſericordia tua multa, Domine*, quas cùm in memoriam reuocas, illud ſimul recogita, quòd operum tuorum glorioſiſſimum eſt miſericorditer condonare offenſas. Cur miſericordiam eius hac occaſione ſic extollit? *Quia dixerat*, Iudica iudicium meum, *ideò ſubtexuit miſerationes Dei nimiùm multas eſſe, graue eſt enim de alio iudicare.* Ita S. Ambroſius.

Apud Lucam 6. ex obſeruatione S. Dorothei comparauit Chriſtus feſtucæ peccata quæuis alia, iudicium autem temerarium trabi, *quia excedit omne peccatum iudicium temerarium*, inquit ille, & quantùm intereſt inter pondera trabis, & paleæ, ſeu feſtucæ, tantùm ſuperat illud peccatum ſuâ grauitate quoduis aliud. Ibid. 126. c. 2. & ſeqq.

❧)(*)(❧

De Sancto Ioanne Baptista Decollato.



CVm esset Ioannes in vinculis, in quibus & decollatus est propter reprehensum Herodis tam publicum incestum, misit duos ex discipulis suis ad Christum, vt interrogarent eum, num ipse esset ille venturus, non quòd Ioanni hæc res dubia esset, sed vt discipuli, qui dubii erant, fierent certiores. Ergò ea legatio ad aliorum vtilitatem dirigebatur. Quis hoc non videat? S. Chrysostomus ait, id Ioannis factum esse, *super humanam naturam*, & insolentissimum hominibus facinus: quòd *missus in carcerem non de suo periculo solicitus erat, sed de aliorum salute cogitabat.* Mos enim, & consuetudo communis hoc habet, vt suam quisque rem curet, suisque studeat, & inuigilet commodis. At veri amoris integritas in maiorem celsitudinem peruenire non potest, quàm cùm alienam infelicitatem sic deplorat, & leuat, vt propriam. PPP. 274. o.

Cur Ioannes, cùm è carcere discipulos suos ad Christum ablegauit, non suam illi captiuitatem, & innocentiam, non vel iniuriam, quam ab obscæno Herode patiebatur, nuntiauit, contràque regem tam flagitiosum, & crudelem querimonias dedit, qui contrà fas omne in illo facinorosorum infami diuersorio inculpatum compeditum attinebat? *Quod Herodes ille faciebat pro pœna, ille suscipiebat pro beneficio, & ir actus quasi Dei misericordiâ fruebatur.* Ita S. Chrysostomus. Duo erant in illa ignominiosa captiuitate, quam patiebatur Baptista, alterum ira, feritas, ac tyrannis incesti Regis, alterum merendi occasio, patientiæ fructus, & magnus animæ quæstus, quem facere in carcere poterat, Ioannes ergò non loci, in quo versabatur, vilitatem, sed benè merendi occasionem, quæ se ibi offerebat, attendit, & carcer illi visus fuit non præclaræ suæ famæ nubes, sed gloriæ cælum, & sanctæ fænerationis locus, acceptauitq; pro beneficio, quod Herodes deputabat supplicio. PPP. 306. c. 2. Ita vbi sunt, quæ & commodo, & offendiculo esse possint, debemus ea spectare quâ parte commodant, non quâ officiunt. Ibid. 305. o.

Non licet tibi habere vxorem fratris tui, dicebat Ioannes Herodi, quâ sui incestâ cum fratria Herodiade consuetudine ingens non subditis tantùm suis, sed & vicinis regnis præbebat offendiculum. Quo animo salubria boni monitoris verba acceperit, ex eo licet æstimare, quòd illum trucidasset, nisi vulgi metus eum à cæde retardasset. *Volens illum occidere, timuit populum*, inquit S. Matth. 14. Itaq; prædicatorem virginem præuaricator incestus vitâ exuere voluit. Quid illum à scelere absterruit? *Timuit populum.* Non amor Dei, non horror tam iniustæ occidionis viri tanti, & tam sancti, sed populi metus, & motus publici formido illum tantisper coërcuit.

Hoccine verò tibi solùm manus obstringit vt ne mortem Ioanni inferas? Neque tu diu abstinebis, neque ille multos posthac soles videbit. Factum ita, nam paulò pòst *misit, & decollauit Ioannem in carcere.* Pulchrè in hanc rem disserit S. Petrus Chrysologus: *Facilè deuiat à iustitia, qui in caussis non Deum, sed hominem pertimescit. Hic timor peccandi facultatem differre potest, auferre non potest voluntatem.* Abrah. 187. c. 2. & seq.

Ita leuiter intereunt virtutum opera, quæ Deũ non spectant, neque ab illius amore, & obseruantia veniunt. Quare vt in bonorum operum studiis perduremus, inter benè agendum Deum solum respiciamus. Ibid. o.

Adiicere animum ad mactandum filium vnigenitum, & vnicè charum Abraham non potuisset, nisi propter Deum fecisset. Ibid.

Numero non sunt, & nullius pretii, qui vel solo hominum intuitu, vel priuatæ vtilitatis suæ amore seruant legẽ Dei, & sectantur quod bonum est, nam eorum virtus, vt in fragili fundamento construitur, sic intercidit facilè. *Solus est Dei timor, qui fugat crimina, innocentiam seruat, mentes corrigit, perpetem tribuit facultatem*, inquit Chrysologus. ibid. 188. c. 1.

Malogranata, siue *punica flores facilè amittunt quia nexus eorum debilissimus est*, vertebrasque delicatulas, & tenellas habet, inquit Theophrastus, eam ob causam leui aspiritu deiicitur. Si quæras, cur ille à vita pœnitente destitit, cur illa vitæ solitariæ, & modestiæ studio deposito depositum semel mundum muliebrem resumpsit, & ad vanum putidulæ cuticulæ cultum est reuersa? respondebo, *quia nexus eorum debilissimus.* Populi aurâ, & plausu hominum fouebatur illius pœnitentia, ista latebras coluit, vt in admiratione esset, ac propterea amborum benè cæpta leuiter corruerunt. *Nihil perpetuum, quod videtur*, aiebat S. Ignatius, quod sic accipio, ac si dixisset, diu stabile esse non posse, quidquid agitur solùm vt videatur, & non pro solo Deo.

Nam *solus est Dei timor, qui fugat crimina, & innocentiam seruat.*

Non licet tibi habere Vxorem fratris tui. Nefariā & incestam Herodis regis cùm fratria sua consuetudinem nemo ignorat, nisi qui de sacris historiis nihil nouit. Crebra per annum fit scandalosi illius conuictus mentio. Non dubito quin passim in compitis publicis, & in conuentibus priuatis pauperes æquè ac diuites de turpi illo pellicatu pessimè tum senserint, tum locuti fuerint, vixque aliud dixerint, quàm intolerabilem esse perniciosi exempli illam Herodis cum fratris sui vxore amicitiolam. Ad murmurandum nulli deerat lingua, ad arguendum infamem istam consuetudinem soli Ioanni supererat animus: *Dicebat enim illi Ioannes, non licet tibi habere eam.* S. Chrysostomus exclamat: *Quot diuites erant tempore Herodis? Quot potentes? Et quis in medium prorupit? Quis tyrannum increpauit? Quis contemptas leges Vltus est? Diuitum nullus.* Multus erat per id tempus virorum magnorum numerus, atque in his nullus, qui non clam admorderet obscænam illam familiaritatem, nullus etiam, qui regem adire, & palàm obiurgare auderet. *Sed qui neq; lectum neq; tectum, neq; mensam habebat, ille solus, ac primus omni libertate tyrannum arguit, & præsentibus omnibus, ac audientibus nuntiata sententia eum damnauit.* Cur vnus hic nihil metuebat, cùm omnes alii timerent? Quia ille rerum omnium inops erat, hi diuites. PP2.598. c. 1.

Abundare, & timere differunt plurimùm literis, syllabis, vocabulis, sed reapse nihil. Ibid. 597. o.

Effœminatus Herodes misso spiculatore *decollauit* Ioannem *in carcere.* Marci 6. Fuit Ioannes, si virtutum eius copias spectas, maximus, si vitæ sanctitatem, illustrissimus, denique vt *spiritum ponderator Dominus* aiebat, omnium ex mulieribus natorum eminentissimus. Cur ergò in ipso ætatis flore occisus? *Præcursoris Vitam triginta duorum, & semis annorum esse Voluit Christus, Vt quia curat non ex quanto tempore, sed ex quanto corde sibi seruiatur, perfectionem meriti non tempori adscriberet, sed Virtuti.* Sic Algerus. PPP. 191. c. 2. & seqq. Decrepitus fuit Ioannes, quando obtruncatus, quià sanctissimus, ætatis enim magnitudo non ex dierum numero, sed multitudine meritorum pensanda. Ibi. 290. o.

Cùm pro vno Ioanne occiso, duodecim Apostolos contrà dæmonem emisisset ad prædicandum Christus, variaque cùm per hunc, tum per illos ederentur miracula, variè de Christo opinari homines cœperunt, alijs affirmantibus, esse illum Eliam, aut quempiam ex Prophetis, Herode autem dicente: *Ipse est Ioannes, quem ego decollaui.* Marci 6. Ridet S. Petrus Chrysologus hoc scelerum caput dicens: *Iste rex sapiens, egregius iudex, censor morum, disciplinæ custos, Vindex innocentiæ,* scilicet. *quòd decollauerit Ioannem dicit, quare decollauerit, tacet, ne potestatem regiam tanti facti confunderet turpitudo.* Hæc ille serm. 173. Putauerit Herodes magnum aliquid fecisse, quòd virum tam magnum minui capite iussit, causam etiam addidisset, ob quam hoc iussit, ità incesti adulterij sui fæditatem simul patefecisset. Verùm fecit, quod homines plerique solent, qui optimè nouerunt & commemorare ea, quæ ad sui commendationem faciant & dissimulare, quæ labeculam qualemcunq; aspergant. PP2.642.o.

FESTA SEPTEMBRIS.

In Festo S. Crucis Exaltatæ.

Autore Interprete.

Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ità exaltari oportet filium hominis. Gen. 3.



AVditores de Episcopo hodie argumento paucis vobiscum agam, & de Sacramento abscondito à sæculis in Deo, de sapientia ante sæcula in salutem nostram prædestinata, de qua Paulus in mysterio, in absconso, neque omni passim vulgo, sed prouectioribus tantùm loquebatur, populariter, ne vel nimiâ prolixitate molestus sit noster sermo, vel immodicâ sublimitate, ac subtilitate (quam ego in mea dictione nullam agnosco) inaccessus, obscurus, & infructuosus.

Copiosissimum porrò argumentum voco Sacrosanctæ Crucis Dominicæ hodie exaltatæ mysterium quod vnum est totius scripturæ, omniumque sacrorum librorum caput, summa, & epilogus, de quo apud Iacobum Pintum lib. 2. Crucifixi, tit. 1. loco 1. num. 22. Alexander monachus autor antiquus ex antiquis multis ostendit, *etiam diu antè quàm in* Caluariæ monte palàm ostentaretur, *ab ipso orbis*

principio, in Vniuersa hac rerum machina semper reluxisse. De quo D. Hieronymus in caput 11. in Marci Tom. 4. (si tamen is illorum commentariorum autor) ait, *nihil esse nisi figuram quadratam mundi:* de quo apud eundem Pintum lib. 1. tit. 1. loco 1. num. 12. Prudentiùs canit, nascente mundo, vt primùm fastus est homo, expressum esse signis, expeditum literis, aduentum eius mille per miracula ore consono vatum prænunciatum, & nec Reges, nec Prophetas, nec Iudices, nec Principes destitisse virtute bellis, cultibus sacris, stylo pingere formam crucis, prænotatamque crucem, & adumbratam priùs, & vetustis combibitam sæculis. Quid copiosius argumento, quod tractârunt, nec pertractârunt tamen omnia non modò sacræ scripturæ, sed etiam sæculorum volumina? Quid verò tam & copiosum, & absconditum, quàm liber scriptus intùs, & foris, & obsignatus, & inuolutus, quem ex Isaiæ 29. capite etiam sciens literas nesciat legere, vt Ioannes, ille arcanissimorum Dei mysteriorum conscius, fleuerit Apoc. suæ cap. 5. quòd non inueniretur, qui aperiret librum, & solueret signacula eius? Hic liber D. Bernardo serm. 1. de resurrex. crucis signaculum est, idemque agnus stans tanquàm occisus, id est, crucifixus, qui & stantis speciem referebat in cruce, & semetipsum explicauit, & expandit maiusculis foraminum characteribus, & vulnerum cœlaturis insculptum. *Hic planè est liber ille intùs, & foris scriptus,* inquit D. Hieronymus Epist. de vera circumcisione Tom. 4. *secretus, & publicus, apertus, & opertus, paginis superioribus videndus, interioribus non videndus, quia incomprehensibilis. Intùs scriptus est, cùm Propheta dicat: Generationem eius quis enarrabit? foris scriptus, cùm Euangelista ait: Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, &c. Intùs scribitur, cùm per Ioannem dicitur: In principio erat Verbum; Foris scribitur per Matthæum: Generatio autem Christi sic habet.*

Foris scribitur, cùm Dominus esurijt: Intùs scribitur, cùm quinque panibus multa hominum millia saturauit. Foris scribitur, cùm Amici morte lachrymatur. Intùs scribitur, cùm ipsum, quem flebat, exsuscitat. Foris scribitur, cùm affigitur cruci: Intùs scribitur, cùm Paradisum latroni promittit in Cruce. Foris scribitur, cùm spiritum moriens secundùm rationem humanæ carnis emittit: Intùs scribitur, cùm in passione sol fugit, dies absconditur, terra concutitur. Foris scribitur, cùm sepelitur: Intùs scribitur, cùm tertiâ die sepulchri liminibus remotis erumpit in lucem. Hæc D. Hieronymus.

Fuerit autem liber hic olim septem, & pluribus sigillis obsignatus, & inuolutus, *in die illo tamen* (sc. quo in Cruce expansus, & tam insignitis vulnerum, ac vibicum literis notatus fuit) *audient surdi verba libri signati, & oculi cæcorum videbunt, & exultabunt,* inquit Isaias cap. 29. De tam copioso ergò argumento breuiter, de libro isto iam euoluto, & luculento populariter vobis velut prælegam, quare Christus potiùs talem Crucis, quàm aliam mortem oppetere voluerit, & quamobrem illum in Crucis probrosissimo stipite exaltatum Ioannes dicat.? Si quid moribus aptum inter hæc occurrerit, id cum cæteris donabo liberaliter, modò vacuis auribus, & exoccupatis animis ea accipiatis, quod tametsi vehementer spero, plurimùm etiam oro, ac rogo.

Exaltari oportet Filium hominis, &c.

QVare ergo Christus hoc genus mortis elegit, vt è sublimi stipite pendulus moreretur potiùs, quàm aliud quoduis è tam multis, quibus illius Martyres vitæ concesserunt? Vetus hæc quæstio est, quam in sermone inter Augustinianos 81. de tem. quidam sic proponit: legimus in Euangelio, quòd *Pharisæi voluerunt eum præcipitare de monte, & ille transiens per medium illorum ibat.* Luc. 4. 29. Alibi quoque legimus, quòd *Iudæi tulerunt lapides, vt iacerent in eum, ipse verò abscondit se, & exiuit de templo.* Ioan. 8. 59.

Quare noluit Dominus præcipitari, vel lapidari, aut etiam gladio truncari? Quare vnam inter omnes Crucis mortem oppetijt? Hinc mortem, Aud. Christus non oppetijt modò, sed & appetijt tam vehementer, vt semel illius post longa, & ardentissima desideria copiam nactus, præ gaudio vix matrem suam posthæc nouerit, iamque nec illum mundus, nec seipsum ille capere potuerit. Nemo hæc subtilia dicat, nisi hoc nomine censere velit, quæ pulchra sunt, & iucunda, quia rara, pluscululq; labore de scripturæ, vt Patrum abditioribus recessibus eruta. Tantùm non passim obuia sunt apud qualescunque promiscuè scripturæ tractatores, alioquin facillima, & conspicua, quantùm sol cùm sudum est cœlum, quod ostendo & explico.

Drogon Hostiensis ait de Sacramento Dominicæ passionis serm. 1. Christum in Cruce Pascha manducasse, eamque velut palmam quandam inscendisse, cuius dactylos (sic palmæ fructus, dulces illos, vocat) manibus, pedibus exporrectis, velut vncinis quibus-

quibus-

quibusdam collegit. Quid se facturum his verbis antè affirmârat: *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me. Quæ omnia? Cœlum, terram, & inferos.* E cœlo Patrem ad se traxit, *quia clamor eius introiuit in conspectum eius & in aures eius*, quando *preces, supplicationesq;*, vt est apud Paulum Hebr. 5. 7. *Cum clamore valido, & lachrymis offerens exauditus est pro sua reuerentia.* Terram suo tractu adeò concussit, vt contremiscens varijs locis hiaret, apertisq; monumentis mortuos, velut quædam viscera sua Crucifixi Epulonis mensæ expromeret, transmitteretque. Ab inferis animas habuit rediuiuus illis corporibus tectas. Hæc ferè Drogon.

Putas parùm auidè manducauit? Dicat hoc Petrus Cellensis, autor grauis, quàm doctus, ac vetustus, de panibus cap. 22. *Pungebatur*, inquit ille, *cruentabatur, crucifigebatur, impinguabatur.* Hæc ille. Saginabant Christum pungentium clauorum, spinarumq; dolores, & cruores, & quæ prætereà è cœlo, terra, & inferis fercula attraxerat, animoque inde inprimis ita augescebat, vt propè denosse Matrem suam, iamq; & mundus ipsi, & ipse sibi angustus esse cæperit.

Sed aliunde primùm videamus, quantùm animi magnitudine creuerit, postquam in palmam Crucis penetrauit, pœnisque, & opprobrijs saturatus est, quando & mortem absorbuit, ac deglutiuit.

Sponsa, quæ sponsum alijs horis, ac locis Dilectum, & fratrem, talibusque cognatæ necessitudinis blandis nominibus familiariter compellabat, Regem vocabat, dum in accubitu suo illum cerneret, Cant. 1. *Dum esset Rex in accubitu suo*, inquit, *nardus mea dedit odorem suum.* in quæ Glossa interlineаris: *Dum esset Rex in accubitu Crucis.* Dum illum in Cruce accumbentem vidit, non hic dilectum, non fratrem dicit, neque cum illo quidem loquitur, quamuis de illo, quod habet S. Bernardi obseruatio, quæ ante cum illo velut cum amatissimo, & Germano fratre, & coniunctissimo loqui, & agere solita.

Quidni etiam hîc, vbi illum in suo Crucis accubitu vidit? Hîc illum palmæ fructus saginârant, impinguârant, tantumq; animi, & maiestatis magnitudine auxerant, vt non satis reuerenter facturam se sponsa putaret, si illum iam pro superiori consuetudine familiariùs conueniret, aut inferiori quàm Regis titulo etiam absentem compellaret, qui hoc loco tanta fecisse magnitudinis incrementa sibi ipse est visus, vt visum sit mirum Ambrosio, tanto Doctori, in c. 23. Lucæ, quòd inter hæc Matrem suam tamen nosse potuerit.

Solus Ioannes me docet, inquit Magnus Mediolanensium Antistes, *quod alij non docuerunt, quemadmodum in Cruce positus appellauerit matrem.* Quæ cum S. Latrone egit Saluator, ea D. Chrysostomus homil. 2. de Cruce & Latrone Rom. 3. plurimorum, taliumque miraculorum loco habet, quasi Christus illa effecerit, *vt ex omni parte eius Diuinitas sentiatur*, quâ voluit *Latronis mentem commutare.* Cumq; ea omnia Lucas diligétissimè annotârit, Ioannes Tacitus prætérijt, agnitamq; à Christo è Cruce Matrem conscripsit. Quid verò hoc præ illo? Respondet D. Ambrosius: *Pluris putauit, quòd victor suppliciorum, atq; pœnarum pietatis officia diuidebat, quàm quòd regnum cœleste donabat.* Hæc ille. Fuerit magnum, & plurimorum miraculorum instar, quòd Latronis mentem commutauit, animamque toto cœlorum regno donauit, pluris tamen putauit Ioannes, quòd pietatis officia diuisit, matremq; adeò non denouit, vt illam etiã Ioanni omni obseruantiæ studio, colendam cõmendârit. Sed quare pluris putauit? Quia in Cruce positus, tantam capiebat ex loco diu plurimùm expetito voluptatem, tantumq; animo augescebat, cùm in stipite factus fuit sublimis, vt non tam magnum visum fuerit Ioanni, dedisse latroni regnum, quàm inde matrem nosse potuisse.

Quod ne quis miretur, dicam, eâdem Ambrosij autoritate fretus, etiam aliquid ampliùs. Tam ardentibus votis Crucis inire solium Christus petijt, vt in ipso vitæ primulo momento, vix carnem indutus Patrem feruentissimè compellârit: *Ecce venio, vt faciam voluntatem tuam Deus*, hoc est, vt Crucis arâ incensâ pro veteribus hostijs nouam offeram, & meo sanguine diluam humanorum scelerum maculas, quas abolere illa holocautomata non potuerunt. Vbi verò talium votorum aliquando compos factus penetrauit in Crucem, in tantam magnitudinem animus illius excreuit, vt iam non mundus illum, nec seipsum ille caperet. Audi enim quid è Cruce dixerit: *Pater*, aiebat, *in manus tuas commendo Spiritum meum. Vide magnum mysterium*, clamat hic Ambrosius. Quale illud? *Nunc commendat in manibus Patris Spiritum suum, nunc sedet in gremio Patris, quia totum alius non capit Christum.* Nemo oscitanter accipiat, quod vigilantissimè dictum est ab Ambrosio: *Nunc commendat in manibus Patris Spiritum suum*, cùm scilicet Crucis aliquando potitus, quia tunc in tantam se amplitudinem ex voluptate obtentæ Crucis explicauit animus, vt cum nec ipse illum, nec mundus totus dein-

deinceps capere posset, Patri commendandum, & immenso illius gremio reponendum putârit.

Quid verò illius desideria in Crucem tam vehementer inflammauit? Hoc nimirum est, quod primum exponere promisi. Varias autem tam arden ter expetitæ Crucis causas inuenio. Adferam huc duas, aut plurimùm tres è plurimis. Prima apud Augustinum, quem suprà dixi, sic habet: *In Cruce mori voluit vtiq; causa salutis nostræ, mors enim Christi signum est salutis nostræ.* Hæc ibi, quorum hæc est sententia, quòd Christus in Cruce mori voluit, vt & salutem nobis adferret, & quomodo curare eam ipsi debeamus ostenderet. *Noluit ergò lapidari, aut etiam gladio perire, quia videlicet nos semper nobiscum lapides, aut ferrum ferre non possumus, quibus defendamur, elegit verò Crucem, quæ leui motu manus exprimitur, quâ & contrà inimici versutias munimur.* Hæc ille iterùm. Non lapidibus ergò opprimi, non obtruncari ferro, sed Crucis stipite occidi voluit, vt eodem Crucis fuste omnia pericula nostra, ea maximè, quæ à malo dæmone imminent, depellere disceremus.

Pretio empti estis, non fitis serui hominum, aiebat Paulus 1. Cor. 6. in quæ sic commentatur D. Chrysostomus homil. 55. in Matth. *Pretium hic Crucem appellauit, quam non simpliciter digito in corpore, sed magnâ profectò fide in mente formare oportet, nam si hoc modo eam impresseris, nullus scelestorum dæmonum, cùm hastam viderit, quâ lethale vulnus accepit, congredi tecum audebit. Si enim nos ingenti horrore concutimur, cùm solummodò loca, in quibus capite damnati pœnas persoluunt videmus, quid passurum putas diabolum, si mucronem tenere te viderit, quo vires eius Christus dissoluit, & caput draconis magno ictu rotauit?*

Quantum est hoc Dei beneficium, Auditores, vt hostem, cuius *potestati*, vt ait Iob cap. 41. & 24. *nulla super terram comparari potest, qui factus est vt nullum timeret*, solo Crucis signo, eoq; digitis solùm ficto fugare queamus, quod cùm inde S. Dauid præuidit modo, in humillimam gratiarum actionem effusus aiebat, Psalmo 143. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Sed quid hic de Crucis signo? Plurimùm, inquit Theodoretus, tantùm si ad Prophetæ verba attentum animum aduertas: *Nam à diaboli tyrannide liberati, à Deo pugnare manibus, & digitis docti sumus, manibus quidem iustitiam operantes, & per digitos Crucis signum frontibus imponentes.* Hæc ille pulchrè, & appositè.

S. Ephræm Crucem *baculum claudorum vocat.* Claudi autem propè omnes sumus, idq; pede vtroque, vt quos voluptas, ac tristitia in hanc, illamué partem plerumque inclinant, vt ne rectâ per virtutis tramitem progrediamur. Effundimur plerumq; in cibos, ventriculumque vltrà mensuram distendimus, & cùm sint multi, qui ad hoc solùm viuunt, vt edant, pauci interim edunt vt viuant, ex quo fit, vt honorabile connubium dehonestetur, & thorus immaculatus sæpè sordeat, eorum, qui, vt est apud Salomonem Sapien. 14. neque vitam, neque nuptias mundas iam custodiunt, *vasa sua possident non in sanctificatione & honore, sed in passione desiderij, vt Gentes, quæ ignorant Deum*, vt loquitur Paulus 1. Thes. 4. 5. Hinc etiam adeò prona in libidinem effunditur mollis iuuentus, hinc tam crebra, ac deploranda pudicitiæ, & castitatis naufragia. Omnes verò vna voluptas claudos facit, vt ne rectâ ad temperantiæ amussim pergant. Iam tristitia sæpè multos impedit, vt boni operis, quod cum difficultate quapiam coniunctum est, vsum intermittant, non ieiunent ad carnis petulantiam coërcendam, & nec vigilare, nec orare ament, tametsi earum rerum præsidio non corpus modò in officio continere, sed & multam eruditionem comparare, & Dei beneuolentiam sibi demereri possint, vt ne dicam, quod eadem tristitia primùm quidem impatientiam excitat, deinceps verò ad simultates, rixas, contumelias, cædes adeò, & immortales hostilitates impellit.

Qui ex talibus impeditos habent pedes, ijs claudis suæ crucis baculum reliquit Dominus, quo is illa mala priùs à se depulerat, & profligârat. De voluptate Christum in Eremo satan tentabat, vbi vertere lapides in panes suadebat, sed non persuadebat: *cùmq; incassum adhiberi hanc machinam cerneret, ad tristitiam longè validiorem balistam se conuertit, omnesq; aduersùs Christum inflammauit discipulos, vt proderent, negarent*, fugerent, milites vt illuderent, prætereuntes vt blasphemarent, falsos testes, vt illum mendacijs onerarent, Iudæos vniuersim, vt calumnijs incesserent, & tanquàm maleficum morti addicerent, & hæc omnia agens, quod maximè voluit, minimè egit, baculo enim suo inhærens Christus quàm non capi voluptate, tàm non moueri tristitiâ potuit. Hæc ferè Calceas Patriarcha Tom. II. Biblioth. vel P.P. Hunc igitur baculum assumamus, quoties adire mensam, aut periculum necessitas aliqua cogit, vt ne ex voluptate, aut tristitia claudicantes impeditis pedibus per viam virtutis feramur. Cruce studiosè obarmemur, quoties

ties cibus sumendus, quoties corpori aliud quiduis indulgendum, quoties iniurijs lacessimur, quoties ærumnis alijs exercemur, quoties calamitatem aliquam præuidemus, aut timemus, taliq; baculo non solùm nitamur, sed & inuadamus dæmonem tentatorem, vt ne propiùs accedere ausit, & præualere tentando non possit.

D. Chrysostomus,& ex illo Ioannes Calceas Patriarcha, Theophenes Cerameus Archiepiscopus, autores Græci, tum alij aiunt, idcircò Christum in excelso ligno, & non sub tecto, sed sub libero cœlo immolatum, vt aër sanctificaretur per eum,qui terram tum sacris vestigijs, tum fuso inde sanguine iam consecrârat. Iudæis in vno Hierosolymorum templo, eoq; solo offerre sacrificium, & facere oblationem fas erat: At verò *ab ortu solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus*, hoc est, nobis ad ipsum ab ethnicismo conuersis, *& in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*, ait ipse Dominus Malach. 1. 11. Quare in omni loco nunc agitur, quod tunc in solo Hierosolymorum templo? Respondent pulchrè, & sapienter Chrysostomus ser. de Cruce & latrone.

Quia tunc omnem latè terram fumus, & graueolentia sacrificiorum Gentilicorum contaminârant, adeò in vno solo Iudææ templo sacrificia peragebantur,terq; in anno ex iussu Dei coibant homines: At deinceps clamare ausus fuit Apostolus, & præcipere 1. Tim. 2. *Volo viros orare in omni loco*, quià Christus omnem suo sanguine, & vestigio terram sacrârat: Ne verò solus beneficiorum Crucifixi expers aër esset, stipite sublimis fieri, aëremq; etiam extensione manuum purgare voluit,& contrà aëreas potestates obmunire, vt ne illo in nostram perniciem pro sua libidine abuti possent. Ni crucis clauam potestates, quæ sunt in cœlestibus, hoc est, dæmones pertimescerent, iam pridem penè omnem aërem vitiassent, ignemque inde rebus humanis intulissent, aut nouo diluuio orbem inuoluissent, vt duplici nomine inexputabiles gratias Cruci Dominicæ, siue vt veriùs dicam, in Cruce exaltato Domino debeamus,qui & infensas illas inferorum vmbras, ne in superis nocere,quantùm volunt,valeant, prohibet, terramque sacrauit, vt templa deinceps ædificare, vt libet, liceat, nec iam sit pagus sine oratorio, non arx, non domus aliqua honoratior sine ara, & larario. Vide quas vices Deo reponas, felix, & sancta Agrippina Colonia, qui te tantis cumulauit honoribus, vt vix sit absque templo platea, in quod se in vsus tuos adduci Sacerdotum verbis quot dies non permittat. Vide quàm inuenibilis erit olim negligentia tua, si non assiduè limina domus Dei teras, quam ille tuis ædibus proximam constituit, vt excusare torporem nequeas, si inuisere negligas, qui eorum, quæ ad salutem tuam spectant, nihil prætermittit.

Iam illa quoq; præcipua fuit causa, cur Deus crucē maluerit, quòd illâ exaltari eum fuit necesse, inquit Lactantius Firmianus lib. 4. Inst. c. 26. quod necui obscurum sit, ita etiam exponit: *Nam quoniam is, qui patibulo suspenditur, & conspicuus est omnibus, & cæteris altior, crux potiùs electa, quæ sanctificare illum tam conspicuum, tamq; sublimem, vt ad eum cognoscendum pariter, atque colendum cunctæ nationes ex omni orbe concurrerent.* Crucem maluit, ait, quia in ea exaltari illum necesse fuit, planè ad sensum non modò Ioannis, qui ait, *oportuisse exaltari filium hominis*, sed etiam ipsius filii hominis, qui item dicebat, oportuisse se pati, & ita intrare in gloriam suam. Paulus verò, inquit, decuisse autorem salutis omnium per passionem consummari. Heb. 11. 10.

Quanta huc adferre possem,ni me breuitatis pollicitatio prohiberet: Perstringam reliqua, ne sic quidem futuris multus, si multa dicam paucis. *Necesse fuit, & oportuit exaltari in crucem Christum.* Primò, quia in Cruce fuit sensus Christi. *Qui cognouit sensum Domini?* aiebat Paul. 1. Cor. 2. 16. vbi sensus Domini, ex Anselmo, is est, quòd Deus mori voluit, quo viueret homo. In Crucis morte fuit sensus Christi. dicam vernacula, quod non possum satis eloqui latinâ, vnser HErr GOtt hat alle seine Sinn/vnd den gantzen Kopff auff das Creutz gesetzt/oder geschlagen / Crucem vigilans cogitauit, somniauit dormiens. Necesse ergo fuit in Crucem agi, vt his votis fieret satis quibus se huc ita obstinârat. vt Andreas Cretensis Archiepiscopus dicere ausus fuerit: *Si crux non esset, Christus in terra non esset, non humanitatem induisset Deus.* Orat. 1. In hoc Festum. Secundò necesse fuit cruce exaltari Christum, quia per illam solam esse conspicuus voluit. Erat ille Deus, & homo è nobilissima Patriarcharum,Regum, Principum,ac Sacerdotum prosapia oriundus, ante crucem tamen esse obscurus,& ignotus adeò voluit,vt Apostolis præciperet Matth. 16. 20. *Ne cui dicerent,quia ipse esset Iesus Christus.* Exinde verò vbi vix se prædicare prohibuerat, *cæpit ostendere discipulis, quia oporteret eum ire Hierosolymam, & multa pati à Senioribus, & Scribis*, tanquam dixisset, inquit S. Hieronymus: *Tunc me prædicate,*

dicate, cùm ista passus fuero, sublimis, & conspicuus nonnisi per Crucem esse volo.

Non iudicaui nescire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum, aiebat Paulus Corinthiis, tanquam & illi Christus vix de alio, quàm de Cruce notus fuerit, Christo haud dubium id agente, qui in Paulo loquebatur, vt dicitur 2. Corinth. 13. Ergò necesse fuit, & oportuit exaltari in Cruce Christum, ob id etiam, quia *si Crux* cum Christo *eleuata non esset, Christianus populus in æternum periisset*, vt habet S. Augustinus Serm. 50. de tempore.

Decuit etiam sic fieri, quià *maiorem ex Cruce, quàm mundi conditione gloriam Christus retulit*, vt loquitur D. Chrysostomus. Nimirùm nobilius est in gloriam multos adducere per passionem, quàm in hunc mundum per creationem.

Decuit 2. quià sic prædixerat olim Dauid: *De torrente in via bibit, propterea exaltauit caput*, vbi S. Augustinus, *quia de torrente bibit, propterea exaltauit caput, (quia humiliatus est, & factus subditus vsq; ad mortem, mortem autem Crucis.* Vbi S. Augustinus verba Psalmistæ verbis Pauli ex 2. cap. Epist. ad Philipp. pulchrè nectit. Primò, quia Christus non solùm ex voluntate Patris bibit calicem passionis, sed vt suam hac in re obedientiam testaretur, etiam caput in Cruce inclinauit, & humiliauit, vt caput omnium erigeretur, & suum ipse super omnia caput erigeret. Secundò, vt videas illum ad bibendum de torrente sese demisisse, quasi ad viatores allusum fuerit, qui ex itinere fessi, sitique & æstu laborantes, in torrentem, quem proximum offendunt, incuruant sese: vt olim Gedeonis milites Iud. 7. 5. Atque ad bibendum cum ore caput in aquas demittunt, indeque rursum erigunt: Ita Christus in Cruce salutis nostræ sitientissimus, sese, vt potuit, caput inclinando, demisit, & ad mortem vsque gustandam, inclinato etiam capite humiliauit, epotâque iam morte, & absorptâ in victoria, iterùm exaltauit caput, factus inde meritò caput, principium, primogenitus ex mortuis, & primatum tenens in omnibus.

Indicabo tertiam decentiæ rationem, & velut eminùs solùm ostendam, tum finiam. Assimilauerat olim superbia hominem Dei imagine insignem iumentis, atque in bestiarum stabulum, indignum deiecerat! Decebat ergò, vt Christus per humilitatem contemptibilis ligni Crucis exaltaret denuò hominem, faceretque iam non bestiarum modò Dominum, sed & cœlorum Principem, & vniuersi caput, ac Monarcham.

Si oportuit, si necessum fuit exaltari in Cruce filium Dei, & ita intrare in gloriam Dei, erras quisquis ad hanc gloriam nisi per Crucem aspiras. Si decuit innoxium, sceleris omnis purum, ac nesciū, humiliari, itaque exaltari, vide quàm te deceat humiliari post tot Dei offensas, & cum pœnitente Dauide ascensiones ponere in corde tuo, sed in valle lachrymarum, atque hinc de virtute proficere. Sic age, sic viue, & vide Deum Deorum in Sion. Amen, Amen. Dixi.

De Sancto Matthæo Apostolo & Euangelista.



Capharnao digrediens Dominus *vidit hominem sedentem in telonio*, iussitque sequi, qui hilariter, celeriterque obtemperans, extemplò *relictis omnibus surgens secutus est eum*. Ita B. Lucas de Matthæo, qui sedebat in telonio incubans quæstui, immersus in lucra.

S. Paschasius in c. 9. Matth. ait: *Quæritur, cùm sicut Lucas insinuat, relictis omnibus secutus sit Christum* Matthæus, *quomodo postea in domo sua suis sumptibus pascat eum cum publicanis, & peccatoribus?* Vnde tanta impendia homini, qui se iam rebus omnibus nudauerat, vt magnum conuiuium in domo sua, quod Lucas ait, facere posset? Respōdet: *Hinc liquet, quòd res votis magis, quàm manu relinquitur.* Nondum de sua domo, rebusque decesserat, dicit nihilominùs Euangelista, reliquisse omnia, propter solam voluntatem, quâ certum, deliberatumque habebat abdicare se domo, familiâ, opum copiis omnibus. Et hæc voluntas pro opere acceptata fuit. Abrah. 186 c. 1.

Hinc intelliges, quòd in domo Dei gratum, probatumque habetur, quod volumus, & non possumus, non verò illud, quod possumus, & non volumus. Ibid. 185. o.

Integrum sermonem ex his, quæ in hoc capite prolixè tractat, facile cudet, qui non prorsum iners, imperitus, brutus sit faber.

Sequere me, & surgens secutus est eum. Publicani, per id tempus multi erant. *Erat turba multa Publicanorum*, inquit B. Lucas c. 6. 29. Hi cum Christo mensæ accumbebant, sed non sequebantur eum. Poterat eorum exemplo retardari Matthæus, vt non obtemperaret Christo, neque Comitem se illi adiunxisset, si magis attendisset quid ab aliis

fiebat,

fiebat, quàm quid ipſe facere deberet. Qui autem vult ſuo officio ſatisfacere, non quid alii agant, ſed quid ipſe agere teneatur, conſideret. Abrah. 5. o.

Non eſt opus Valentibus medicus, ſed malè habentibus, aiebat Dominus Matth. 9. Phariſæis murmurantibus, quòd manducaret cum peccatoribus.

Hippocrates dicit: *Ad perficiendam curationem oportet non ſolùm medicum ſuum præſtare officium, ſed & ægrotantem ſuum exequi, etenim ægri eſt, Vnà cum medico morbo reluctari.* Quòd ergo Chriſtus medicum ſe vocat, cùm nos ſimus ægroti, id fecit, vt moneret, quòd debeamus ad ipſius opitulationē adiungere diligentiam noſtram, ſi volumus ab animæ ſpiritualibus morbis liberari. Abrah. 205. c. 2.

Sic quanquam Deus ſuâ bonitate, & miſericordiâ nos ſaluet, & beet, non tamen vult nos omni ſolicitudine vacuos, & feriatos, ſeu otioſos. Ib. 204. o.

De beatiſſimo Apoſtolo, & Euangeliſta Matthæo, ſic ait S. Petrus Damianus: *Vt audenter dicam, nemo poſt Chriſtum eſt, cui magis debeat ſancta Vniuerſalis Eccleſia, quia primus omnium Matthæus Euangelium ſcripſit. Quia igitur ad ſanctum Euangelium deſcribendum primus iſte prorupit, ſcribendi cæteris Euangeliſtis Viam præceſſor aperuit, & tanquam dux Vexillum ſequentibus prætulit, ſicq; eos exemplo, Vt ſcriberent, incitauit. Illi ergò debemus Euangelium, quem Euangelicæ narrationis conſtat inituliſſe principium, & quem in cæteris nouimus primum, non ambigimus inter eos cuiuſdam priuilegii tenere primatum.* PP2. 443. c. 1.

Reliquorum ergo Euangeliſtarum hiſtorias vni Matthæo quodammodo tenemur ferre acceptas, eò quòd ille rarum fecerit initium, & principium cuiuſque rei ſit pars illius potiſſima. Ibid. 441. o.

De S. Matthæo refert Clemens Alexandrinus, ſeminibus, baccis, atque oleribus abſque carnibus victitare ſolitum. Dixerat Dominus apud S. Lucam c. 10. omnibus communiter Apoſtolis, vt quando domum quampiam intrarent, in eadem manerent, ederentque quæ apud illos eſſent. Id S. Ambroſius lib. 7. in Lucam ſic vult dictum, vt intelligerent, ſe cibo, potuque oblato oportere eſſe contentos.

Quantùm ex ea doctrina Matthæus profecit, qui etiam cibis, quos dixi, tam parabilibus, & vilibus contentus erat, tametſi antehac, cùm adhuc publicanus eſſet, magnifica conuiuia inſtruere ſolitus. Hanc victus parſimoniam imitari omnes meritò debemus, cùm & natura noſtra parco, tenuique cibo contenta ſit, & profana, effuſaque victus intemperantia incolumitati officiat, facultates opum exhauriat, & mundo ſupremum exitium adfert. PPP. 343. o.

Inuenies in hoc c. multa, quibus immoderatum, & perniciabilem Sybariticarum menſarum luxum perſtringere poſſis.

De Sancto Michaële, & omnibus Angelis.

In Euangelium Feſti.



QVis putas maior eſt in regno cælorum? Tale quid ex Chriſto ſciſcitabantur eius Diſcipuli Matth. 18. Marcus c 9. ait, diſputaſſe illos mutuò per viam, quis eorum maior eſſet. Apud Lucā c. 22. *facta eſt contentio inter eos, quis eorum Videretur eſſe maior.* Et apud Matthæum quidem, & Marcum exemplo parui pueri illorum perſtrinxit ſuperbiam, apud Lucam verò ſuâ ipſius humilitate confundit eorum arrogantiam, dicens: *Quis maior eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat, nonnè qui recumbit? Ego autem in medio Veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat*, quod Chryſoſtomo apud S. Thomam tale eſt, quale ſi dixiſſet apertiùs? *Si ego, qui nullo egeo, quo Vniuerſa egent cæleſtia, & terreſtria, ad miniſterialem gradum condeſcendi*, quantò magis vos debetis mutuò ſeruire, nec velle dominari, quorum alter alterius operâ opus habet: Cùm talibus verbis illorum tumorem compreſſiſſet, ſubiecit: *Vos autem eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis.* Hoc autem eſt, quod ait: Ne ſitis ambitioſi, quia fortiter mecum inter aduerſa perduraſtis, nec paſſi eſtis, vt paſſio vos vlla à latere meo auelleret. Sed quid ad curandam ſuperbiam eorum facere potuit commemoratio conſtantiæ, quâ illi inter varias Iudæorum calumnias, & alias ærumnas adhæſerant? Plurimùm, ait Caietanus: Reuocat enim ante oculos eorum, quòd ſecum perſeuerauerint, ac ſi apertiùs diceret: *Conſiderate tanti temporis laborem, quem exantlaſtis mecum perſeuerando*, & hinc perpendite quàm dedeceat vos in ambitionis vitium modò incidere, & per inanem gloriam pueriliter prodigere theſauros meritorum, quos per moleſtā tolerantiam grauiſſimarum aduerſitatum comparâſtis, & pretioſas meritorum opes cum vani ambitus leui aura commutare. PP2. 509. c. 1. & 2.

Quòd homines tam ſint mortaliter infenſi ſuis anima-

animabus, vt æterna bona ſua cum temporalibus permutent, id inſignis amentia eſt, tamque rarum prodigium, vt quò magis videtur, eò maiori ſit admirationi, & quò ſæpius auditur, eò magis obſtupefaciat. Ibid. 508. o.

Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt. Matth. 18. Quorum Angeli? Puſillorum, paruulorum. Itané verò quilibet etiam puſillus habet ſuum Angelum, hoc eſt, cœlorum, palatinum ab officiis, & cuſtodem? Omninò, inquit S. Laurentius Iuſtinianus; *Adeſt enim vnicuiq; noſtrum etiam minimo Angelus bonus, Angelus Domini, &c.* Sic ille apud Nouarinum.

Angeli illi, quos Iſaias c. 6. vidit, cùm ſex alas haberent, duabus velabant faciem Domini ſedentis ſuper ſolium excelſum, & eleuatum, duabus velabant pedes eiuſdem, & duabus volabant. Itaque extremis alis ad velandum, ad volandum mediis vtebantur. Cur ſolis in medio poſitis alis ad volandum vtebantur? *Ad deſignandum, quòd Angeli ſemper ſunt parati ad diuina aſcendere, & ad inferiora deſcendere ſecundùm Domini voluntatem, ideò volatus in medio loco diſponitur, quaſi ad vtrumq; paratus.* Ita Lyranus. Abrah. 147. c. 1. & 2.

Non ſupremis, non infimis alis volabant Angeli, ne alterutrarum remigio, vel ſurſum ſemper, vel deorſum contenderent, ſed mediis, quibus aut ſuperiora petere, vel infernè ſe demittere pro voluntate imperantis Dei poſſent. Indicatum eâ re fuit, Angelos promptos, paratoſque fuiſſe pergere, quocunque eos Deus deſtinaret, vel ſi mendiculi alicuius Lazari anima in ſinum Abrahæ perferenda, vel ſi Habacuc quidam cum caniſtro, & cibariis in lacum leonum deportandus, vel ſi recens effuſus ab vtero matris pupulus cuſtodiendus, & curandus, vel ſi lapis ab oſtio monumenti piis mulieribus reuoluendus, vel ſi Agar fugitiua famula in viam, & ad mentem ſaniorem reducenda, vel ſi lamenta mœrentium ærumnoſorum Deo in cœlis offerenda.

Nihil tam vile eſt, quod Angeli in Dei ſui obſequiū non faciant, inquit Nouarinus in c. 28. Matth. Plurima faciunt Angeli, quæ vires noſtras ſuperant, ſed hoc imitari poſſumus, ac debemus, vt Deo quiduis imperanti promptè, ac humiliter obtemperemus.

Nam verus Dei ſeruus tam debet eſſe illius amans, quando ab eo cæditur, quàm humilis, quando indulgenter habetur. Ibid. 146. o.

Tantus erat Prophetæ regii erga Deum amor, vt non contentus, quòd ipſe illum laudaret, etiam Angelos ad celebrandum alternatim eiuſdem laudes ardentibus votis, & contentis vocibus inuitaret, dicens: *Benedicite Domino omnes Angeli eius, benedicite Domino omnes Virtutes eius*; Pſal. 102. Nec diſſimulauit ſacer Propheta modum laudum, & orationum, quibus communem daturi erant operam Angeli, dicens: *Facientes verbum illius ad audiendam vocem ſermonum eius, miniſtri eius, qui facitis voluntatem eius*, velut dixiſſet: Facite quæcunque illum velle noſtis, quidquid voce imperat, vel annuit oculis, explete, eſtote famuli eius promptiſſimi, & expeditiſſimi ad complenda omnia iuſſa illius. Inuitauerat Dauid Angelos, vt communibus laudibus communem Dominum colerent, benedicerent, magnificarent, ſtatimque ſubiungebat, vt voluntatem eius facerent, præcepta eius opere perficerent. Quid verò connexionis inter inuitationem ad orandum, & exhortationem ad faciendum, quæ iuberentur? Quomodo qui vacare laudibus ſuaſerat, mox dare operam explendis iuſſionibus conſuluit?

Reſpondet S. Auguſtinus, Dauidem valde conſequenter locutum, quando primùm ſic appellauit cœlorum ephebos: *Benedicite Domino omnes Angeli eius*, ac ſtatim addidit: *Facite verbum illius*. Itané facere verbum Dei eſt benedicere illi? Illené Deum laudat, & orat, qui operatur quæ illi grata putat? Immò verò, inquit ille: *Si vis benedicere Dominum, fac verbum eius, voluntatem eius.* Si vis vacare orationi, quæ Deo ſit accepta, ſepone interdùm omnem orationem, intermitte meditationem, ceſſa parumper ab illius laudibus, quando aliæ ſtatus tui occupationes aliò te vocant, quando ex officio facere aliud teneris, cui dum diligenter vacas, gratiſſimam Deo laudem offers. Optimum genus orandi eſt, Deum aliquando pro Deo relinquere. PP2. 589. c. 2. Et conſulendum nonnunquam aliquibus, vt Deum pro Deo relinquant, quò ſibi eum magis deuinciant. Ibid. 588. o.

S. Ioannes Chryſoſtomus quærit. *Quid in Angelis magnificum prædicamus?* A quo illos commendare ampliſſimè, & extollere plurimùm poſſumus? A Rege cantore hoc accipies inquit, qui de ijs ſic ait: *Benedicite Domino omnes Angeli eius potentes virtute facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum eius.* Pſal. 102. Cùm plurima eſſent, à quibus prædicare beatos illos ſpiritus poſſet, poſtquàm generatim dixiſſet, illos eſſe potentes virtute, hoc eſt, omnibus gratiis cumulatos, cunctis prærogatiuis excultos, & perfectionibus ornatos, mox

ab

ab obedientia speciatim eos extollit, quæ tanta sit, vt simul & faciant, quæ Deus facere iubet & aures interim arrectas habeant ad auscultandum, quæ post absoluta priora iterùm, iterùmq; fieri velit: *Facientes Verbum illius ad audiendam Vocem sermonum eius*, tanquam inde euincere vellet, illos esse potentes virtute, siue circumfluere omnibus virtutibus, & quoddam cunctarum gratiarum cimeliarchium esse, quòd sint verè, prompteque obedientes. *Quid ergò in Angelis magnificum prædicamus? Profectò quia cum omni cura obediunt Deo. Quod Dauid quoq; admirando dicebat, Potentes Virtute, facientes Verbum illius. Huic enim bono æquale est nihil, prorsus etiamsi sint millies incorporei, hoc est enim, quod maximè præstat eos beatos, quia obediunt præceptis Dei.* Hæc Chrysostomus. Abr. 177. c. 1.

Confirmatos esse in gratia Angelos sana theologia docet. Ea gratia facit, vt non peccent beati illi spiritus. Estné verò aliud, quod illos cohibere posset ab offendendo Deo, si communem solùm gratiam haberent? Nullus Angelorum vellet manum suam ad mensam Diuinitatis extendere, nullus iuxtà Deum, à quo conditus est, sedere, similisq; Altissimo esse vellet, *Vidit namq; consortem naturæ suæ Luciferum aliquando gulam desiderij sui ad hanc mensam extendisse, & non exinde diuinitatem, sed mortem degustasse, idcircò abstinet, & superponit digitum ori suo, nec manum conferens mensæ, nec os aperiens negatæ diuinitati, Vt Velit eam deglutire.* Ità Petrus Cellensis. Ex immoderata Luciferi ambitione, & damnatorum angelorum miserabili prolapsione documenta hauserunt alij, & permanere humiles didicerunt. PPP. 233. c. 1. & 2.

Ex aliena clade discere, quid debeas vitare, est pulchra ratio curandi emolumenta propria. Ibid. 232. o.

Nimiùm præceps est, qui transire contendit, Vbi alium cecidisse conspexerit, & Vehementer infrenis est, cui non incutitur timor, alio pereunte. In subuersione labentium Vos experimenta perterreant, aiebat S. Cyprianus ibid.

Theophylactus affirmat fabulam fuisse, quod Sadducæi Christo de muliere vna septem ex ordine fratribus nupta proposuerunt. *Pone quòd duo acceperint ipsam, & mortui sint*, inquit ille, *qui fieri potuit, Vt tertius nuptias non recusârit, periculis præcedentium admonitus?* Sit ita, quòd secundus spe liberorum supparandorum duxerit quam frater improlem reliquerat, cæteri plusquàm insani fuissent, nisi eos priorum infelicitas fecisset sapere, & fugere mortem.

Visitans speciem tuam (is est proximus noster ex Richardo Victorino) *non peccabis*, dicebat Iob 5. quià dum aliorum hominum errata intuemur emendare propria discimus.

S. Ennodius suadet illi, qui sit inops aliorum librorum, alienis incommodis, & supplicijs pro libris vti, & aliorum errata pro Bibliotheca habere, atque in ea perpetuò versari, & discere. Gratioso ergò sit pro libro Aman, auaro diues epulo, Dauid præfidenti, sapienti Salomon, Samson robusto, superbo Antiochus, helluoni populus Israëliticus, qui ex cibo, quem demoriebatur, mortuus est, &c.

Compendiosum est felicitatis genus, alterius periculo discere, quid debeas deuitare. Ita S. Zenon. Ibid. 233. c. 2.

De Sancto Hieronymo Doctore Ecclesiæ.



Vare Isaac mactari iussus? Quid peccauit innocens adolescens, vt immolari, & exuri, & in cineres verti mereretur? Abulensis ait: apud homines innocentem fuisse Isaacum, & nemini incommodasse, apud Deum non item, sed peccasse venialiter, & peccato veniali homines ad mortem obligari. Si vnum peccatum veniale morti obnoxium facit, quibus supplicijs digna erunt tot immania scelera, quibus Deus tam grauiter offenditur. Hinc natus scelerum horror, qui sanctos perfudit, hinc eorum implacabile aduersùs peccata odium, ex quorum acribus pœnis, quibus sua errata vindicârunt, & quotdies plectunt, possunt sumere peccatores exemplum asperæ pœnitentiæ pro suis flagitijs suscipiendæ. Abrah. 180. o.

Habes in hoc c. prolixam quandam, pulchramq; pœnitentiæ, quâ se B. Hieronymus tantùm non mactauit, expensionem, quam non in illius tantùm, sed etiam SS. Francisci, Bertrandi, aliorumque quotquot duriores in carnem suam fuerunt Festo pro concione cum fructu proponere queas.

Vide Commune Doctorum.

FESTA OCTOBRIS.

De Sancto Francisco Ordinis Minorum Fundatore Seraphico.



Opulentia, & concordia tam mortaliter sunt sibi infensæ, vt vbi illa imperat, hæc viuere non possit. Abrah. 23. o. Seraphicus ergò Patriarcha Franciscus, vt suos haberet quàm maximè concordes, voluit esse omninò pauperes. Militia nempè est vita hominis super terram, & multi partem vitæ magnam in militia transmittunt, vt vilem terram quampiam obtineant. Ibid. 23. c. 2. & seqq.

Et si nullam aliam causam habuisset relinquendi mundanas diuitias, ob hoc procul eas abijcere potuisset, ne quis illi propter eas litem moueret, sicut aliquando earundem ergò à patre suo ad Episcopum pertractus fuit. Quia litigare tam misera res est, vt opulentissimi regni iacturam numerare quis in felicitate possit, si per eam iacturam fiat, vt non affligetur iudicijs. Abrah. 25. o.

In Centonibus primi & secundi Tomi inuenies multa de hoc Festo.

De Sancto Luca Euangelista.



Ioannes, & Lucas non longis temporum interuallis à se abfuerunt, & cùm vterque Christi veri Dei, ac hominis historiam scribendam susceperit, Ioannes tamen circa Diuinitatem eius occupatus fuit maximè, Lucas omne studium suum ad recensendas curationes miraculosas, quas cœlestis medicus fecit, potissimùm vertit. *Nihil aliud in illa reperimus historia*, inquit S. Petrus Damianus, *nisi duntaxat languentium medicinam.* Cur Lucas nobis Saluatorem de medicinæ incomparabili peritia solùm commendare voluit?

Respondet Eminentissimus Cardinalis, causam huius facilè diuinare posse, qui consideraret, quàm potenter sua quemque inclinatio trahat, & abripiat. Describit itaque Lucas Redemptorem mundi tanquam medicum, quia medicus est ille, qui scribit. Itaque solent homines procliuiter sequi, quo eos sua propensio ductitat. Abrah. 149. c. 1.

Tam æquale habent dominium consuetudo & inclinatio, vt æquè difficile sit illam obliuisci ac hanc superare. Ibid. 148. o. *Vide in duorum primorum Tomorum Indice rerum verbo* consuetudo, *vbi occurrent, quæ huic causæ sint apta.*

De Sancto Ludouico Bertrando Ord Præd. Confessore.



Beatus Ludouicus Bertrandus septies prudentissimè obiuit officium Magistri Nouitiorum, quorum defectus vel minimos acriter corrigebat. Refert P. M. Vincentius Iustinianus qui annos cum illo plusculos vixit, Non vna causa fuit, quare in leues defectus non leniter animaduertebat. Potuit & hoc illum mouere, quòd ex eorum dissimulatione grauia nasci solere incommoda non nesciret, & paulatim in magna peccata dilabi eos, qui minima negligunt. Non sunt per ludũ ferenda vitia, etiam quæ videntur ludicra, grauis enim semper est negligentia, quæ irreparabilium damnorum potest esse occasio, vel causa. Abrah. 172. o.

Sancta, & vetula erat Sara, & tam vehementer tamen inflammata aduersùs Ismaelem fuit, vt eum domi suæ ampliùs tolerare non posset, adeoq; virum suum inclamaret, dicens: *Eijce ancillam, & filium eius.* Quid enim mali fecit? Vidit enim ludentem cum filio suo. Quid lusus hoc fuit? Oleastro videtur Ismaël risisse Isaacum, & cum eo pueriliter altercatus fuisse quisnam hæres futurus esset totius substantiæ paternæ, vt propterea dixerit Sara: *Non erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac.* Caietanus apud eundem putat, quòd Ismaël etiam alios pueros adduxit, vt illuderent Isaaco. Talemné verò ob causam mulier talis tantoperè commota animo fuit? Fuit & iure meritò, tametsi solus lusus fuit, quidquid cum Isaaco vel Ismaël solus, vel alij etiam ab eo incitati fecerunt. Nam quod tunc per ludum fiebat, fieri posthæc seriò poterat, cum adoleuissent ambo. Itaque in herba malum succidit, & scintillam extinxit, ne exurgeret incendium.

In plagis Ægypti etiam sciniphes numeratæ fuerunt. Et plagam facere animalcula tantillula potuerunt? *Hoc animal ita subtile est, & minutum. vt oculi visum nisi acutè cernentis effugiat, corpus tamen cum insederit, acerrimo terebat stimulo,* inquit Origenes.

genes. Sciniphum ergò plaga in cæteris Ægypti plagis immanioribus numeratur, vt videamus quantoperè peccata, quæ minutula videntur, fugitare debeamus, quia sæpè ex vitio, quod muscula videtur, elephas nascitur. *Parua quidem sciniphes, superbi Pharaonis tamen, & totius Ægypti superauêre virtutem*, inquit S. Petrus Damianus.

Plurima de tali argumento habes tum in illo capite, tum in alijs locis ad finem adscriptis.

Quo tempore supremam regij Conuentus Valentini præfecturam (Prioratum vocant) susceperat, vt omnes statim inter ipsa officij primordia intelligerent, quid de ipsius gubernandi more sperare deberent, quæué illius vel vnica, vel prima cura futura esset, hanc suæ cellæ ostio cum scheda affixit sententiam: *Si hominibus placerem, seruus Christi non essem.* Rectè illud proq; imitatione Pauli, qui Galatis c. 1. tantundem scribebat. Dummodò habeamus Deum contentum, & beneuolentem, non est cur hominum dicta, factaque curemus. Abrah. 97. o.

In Centonibus primi & secundi Tomi dedi plurima de hoc Viro Sanctissimo.

De Sancta Vrsula, & vndecim millibus Virginibus.

Vide commune Virginum.

De SS. Simone, & Iuda.

Vide commune Apostolorum.

FESTA NOVEMBRIS.

De Festo Omnium Sanctorum.

B*Eati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Quærit Sanctus Gregorius Nyssenus, cur felix illa patria, in qua Beati sempiternâ gaudent quiete, vocatur regnum. Cur ab eo regni nomine primum suum, illum in monte, sermonem exorsus est Christus, dicens:

Beati pauperes, quoniam &c. acsi dixisset: Beati, qui huius vitæ bona temporalia volentes, libentesq; propter me reliquerint, quia in futura vita Reges erunt, qui hic spontanei sunt pauperes. An fortè aliud aptius non erat nomen, quo donari illa cœlestis habitatio posset, quàm regni? Potuit sacer Magister aliâ appellatione cœlestem paradisum denotasse: Verùm vt prudens Concionator ad ingenium auditorum se accomodare, & sagax piscator gratissimo cibo hamum tegere, & ita incautum allectare piscem solet, ita Diuinus Magister, vt homines attraheret, dulcem, & expetissimam regni escam hamo prædicationis circumposuit, beatamq; illam patriam vocauit *regnum*, vt auidis auribus, quæ dicebantur, haurirent, & ex desiderio regnandi paupertatis voluntariæ hamum arriperent, atq; ita salui fierent. Nihil est, quod auidiùs expetat homo, quàm regnare, adeoq; Christus putaui. nullo alio efficaciùs, quàm regni promissione posse hominem permouere ad amorem paupertatis. Ita ferè Nyssenus PPP. 309. c. 1.

Dominandi cupido omnibus affectibus flagrantior est, inquit Cornelius Tacitus, estque pestis tam communis, vt in totum terrarum orbem sua contagia diffundat, cùm alia peccata soleant esse infirmitates particulares. (Ibid. 308. o.) Et vna imperandi libido ita cæcat hominem quem semel inuasit, vt nihil duceret, Deum ipsum in crucem agere, dum per hoc modò ambitioni illi suæ satisfacere, & obtinere principatum posset. Ibid. 312. o.

Beati pauperes spiritu. S. Laurentius Iustinianus cùm ea verba expenderet, sic exclamabat: *O beata paupertas voluntaria nihil in hoc sæculo possidens, nihil formidans! Non irruentes piratas, non insidiantes latrones, non terræ sterilitatem, non aëris tempestates pauescit*, cùm ea omnia miseri diuites pertimescant. Quare quos fauentioris fortunæ beneuolentia opulentos fecit, ij pluribus, & maioribus etiam auxiliorum copijs opus habent, quàm illi quos vel libera electio, vel mundi ærumnæ inopes, rerumq; præsentium egentes fecerunt, & humi afflictos tenent. Abrah. 58. o.

Concionabatur in festo in cœlos assumptæ Angelorum Reginæ B. Ildephonsus, & aiebat: *Oremus, vt in prosperis sit protectrix*, cùm magis illius inter aduersitates expetendum subsidium & præsidium videretur. Sed hoc fecit Sanctus Archiepiscopus, sciens rerum mundanarum conditionem, sciens quibus in periculis versari soleant, qui bonis, & felicitatibus affluunt temporalibus.

In principio mundi *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, Gen. 1. siue *incubabat aquis*, vt est apud Basilium Magnum. Cur non æquè incubabat terræ, eamq; pariter fouebat? Aquæ occupabant omnia, *terra* verò *erat inanis, & vacua.* Aquæ diuites

symbolo referebant, terra inopes, & rebus omnibus vacuos. Aquis ergò incubabat Spiritus Sanctus, quia copiosi indigent singulari fomento, & adiumento Dei, non terræ, quia pauperes nihil in hoc sæculo possidentes nihil formidant.

De turturibus aiunt, ad Aquilonem absq; rectore volare, ad Austrum verò sine duce non pergere. Sic illi qui in frigore aduersitatis habitant, non egent rectore, quia vexatio dat intellectum. Sed illi, qui ad austrum mundanæ felicitatis anhelant, rectore indigent, qui ducat, & moderatore. Eapropter Nazianzenus aiebat: *Profectò faciliùs esse videtur aduersam fortunam ferre, quàm secundam conseruare.* Ibid. 59. c. 1. & 2.

Beati pauperes spiritu. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Matth. 5. Paupertas spiritus, id est, humilitas facit, vt ne præsens felicitas, & gloria reddat superbos, & persecutiones temporales ferre patienter facilè potest, quisquis se ex eis fore æternum beatum, seriò cogitat. Sed ob id etiam neque extolli prosperis, nec frangi, deijciq; aduersis debemus, quòd par sit vtrumque conditio, quia neq; hæc perpetuò durabunt, nec illa semper manebunt. Abrah. 144. o.

Mons Thabor ad Occasum situs est. In eo Christus & ostentauit gloriam suam, & apud Moysen atque Eliam commemorauit ignominiosam passionem suam, quam completurus erat in Ierusalem. Quare auté in illo monte ad occasum sito? Vt mysticâ eâ actione institueremur, quòd nec efferri hui⁹ vitæ gloriâ, nec deijci ærumnis debeamus, vtræq; enim repræsentãtur sicut & illæ Christi, in parte ad occasũ vergẽte, & diu permanere neutra potest. Ibi. 145. c. 1.

Paulus iubet 1. Cor. 7. vt *qui flent, tanquam non flentes sint, & qui gaudent, tanquam non gaudentes.* Causam huius reddit, dicens: *Præterit enim figura huius mundi.* Et quid sibi vult istud? S. Theodoro Studitæ idem est, quod *labitur, præter equitat, nec vel diuturnam stabilitatem obtinens, sed qui heri nitidus, hodie squalidus, nunc extollitur ille, nunc alter dignitate ruit, hic è paupere fit diues, alius è diuite pauper, milleq; mutationibus, atq; vicibus nostra ærumnosa subiecta est vita &c.*

Chrysostomus & alij legunt: *Præterit scæna huius mundi.* Simulata est omnis, quæcunq; in scænis repræsentatur siue gratia siue infelicitas, & siue in speciem minui capite, siue in regium thronum efferri aliquem videamus, nihil mouemur talium rerum fictitiarum spectaculo: Ita nec mœrore contabescere debet, qui flet, neque insolescere, qui gaudet; quia præterit scæna huius mundi, & inanes quædam repræsentationes sunt, quæcunque hîc accidunt.

Nuper Abraham armauerat trecentos vernaculos domus suæ, quibus reges Syriæ debellaret, & nunc baculo in manus assumpto ipse, & vxor eius cogitur ad Geraras descendere, ibiq; mendicare, inquit Oleaster in illud ex c. 20. Gen. *Et peregrinatus est in Geraris.* Ibid. 146. c. 1.

Beati pauperes. Beati, qui persecutionem patiuntur &c. Beati eritis, cùm vos oderint homines, &c. Tam parùm mali habent, paupertas, persecutiones, odia hominum, & cætera talia, quæ mundus mala malè vocat, vt Christus etiam beatos prædicet eos, qui illa patiuntur. Malum culpæ verè malum est, cui mala alia omnia cedunt. PP2. 646. o.

Itaq; S. Chrysostomus dicebat: *Collachrymandum est, non cùm in paupertate sumus, sed cùm peccamus, hoc quippè est, quod lachrymas meretur, nam alia eiusmodi sunt, vt risum etiam ciere debeant.* Proptereà & Christus gaudere, & exultare iubebat eos, qui propter ipsum probrosis onerarentur mendacijs. Ibid. *Non contristabit iustum, quidquid ei acciderit*, inquiebat Paræmiastes Prou. 12. & Hugo Cardinalis: *Præsens prosperitas, & tribulatio adest, & abest iusto præter eius corruptionem, & conturbationem*, quoniam accidentia sunt, quæ homini adueniunt, destituuntque eum absque illius interitu. Ibid. 647. c. 2.

Beati pauperes. Beati qui lugent. Beati, qui persecutionem patiuntur &c. Nihil ergò mali habet paupertas, nihil luctus præsens, nihil persecutiones, & ærumnæ temporales. Nihil omninò. Solum peccatum malum est. Abrah. 35. o. Hoc nomen Christus peccato dedit, cùm nocte cænæ Patrem obsecrabat, vt Discipulos seruaret à malo. Ioan. 17. Hoc solùm malum lacessere Paulus timuit, cùm tribulationem, angustiam, famem, nuditatem, pericula, persecutiones, gladium, & cætera talia, quæ mundus in malis malè censet, prouocauit, Rom. 8. Omnes Christi dolores, quamuis immanissimi, & intolerabilissimi fuerint, picti videntur fuisse, quia eos absque peccato tolerauit. Ibid. 37. c. 2.

Beati, qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Non quæuis perfunctoria iustitiæ cupiditas, sed longa esuries, & diuturna sitis beatum facit. Sic neque mitis, qui vnam semel vituperationem, aut aliam qualemuis iniuriam patienter accipit: Neque beatus pauper, qui vnam aliquando æquanimiter, ac lætanter fert egestatem, sed omnem constanter exci-

pit

pit inopiam. Ita neminem censere in sanctis possumus propter primum virtutis actum, ea enim nimis præpropera pietas est, vti & præceps impietas; eum perditum peccatorem arbitrari, qui semel aliquid egerit malè. Abrah. 65. o.

Iudas Ioan. 18. dicitur sciſſe locum, in quo reperturus esset Christum. Vnde sciuit? An quia semel eò diuertere vidit? Inde sciuit, *quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum Discipulis suis.*

Scit dæmon, quòd boni properant ad paradisum, inquit Hugo Card. Vnde nouit? Ex hoc, quòd frequenter visitant, & animo obeunt cœlum, inquit ille rursum.

Vnus ex vobis diabolus est, aiebat de Iuda Christus Ioan. 6. Non dicebat, *erit*, aut *erat*, sed *est*, vt indicaret peccatum præsens non in vno actu, sed in vsu, inquit Caietanus. Diu, multumq; assueuerat Iudas calumniari, proptereà dictus est diabolus, non ob vnam solam delationem.

Malè Iosephtem vocârunt somniatorem fratres eius, quia somniator sonat frequentiam & ipse bis tantùm somniaret. Caiphas semel prophetauit, neque ob id tamen mox in Prophetis numeratus. Ibid. 66. c. 2.

Beati qui lugent, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, qui persecutionem patiuntur. Hæc dicebat in monte cœlestis Magister, postquam regnum cœlorum pauperibus spiritu, & terræ possessionem mitibus addixisset. Expendit autem in superioribus verbis S. Gregorius Nyssenus, quòd Dominus beatos pronuntiauit non eos, qui luxerint & sitierint iustitiam, & passi fuerint persecutionem, sed qui nunc lugeant, sitiant, patiantur, dicens: *Magis conueniens erat, vt eos, qui luxissent, beatos iudicaret, non eos, qui lugerent.* At si ita est, cur beatos dicit hos, qui hodie sunt, non qui olim fuerunt in mœrore, & luctu positi? Respondetur, vtrumque hoc est, & præsentem, & præteritum à Domino commendari luctum, sed quòd eos, qui nunc in præsenti lugent, peculiariter beatos pronuntiat, hoc peculiari, eoq; mysterio factũ, vt intelligam⁹ nõ satis esse olim luxisse, sitiuisse, esuriisse iustitiã &c. sed vt benè actorum præteritorum merita salua maneant, & augescant, necessum esse ijs immorari, neq; ab eorum vsu, & exercitatione feriari. PP2. 455. c. 2.

Qui virtutis iter ingredi cæpit, debet in eadem via semper pergere, manet enim retro, cùm non progreditur. Ibid. 455. o.

Vidit scalam Iacob, inquit S. Bernardus, *& in scala Angelos, vbi nullus residens, nullus subsistens apparuit, sed vel ascẽdere vel descendere videbantur vniuersi quatenùs palàm daretur intelligi inter profectũ & defectum in hoc statu mortalis vitæ nihil medium inueniri.* Ibid. 455. c. 1.

Profectus perstudiosi fuerunt parentes Baptistæ, de quibus S. Lucas dicit: *Erant ambo iusti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis Domini*, in quæ Hugo ita: *Rectè postquam dixit*, iusti, *addidit* Incedentes, *in quo profectus est operis &c.* Ibid. 456. c. 1. & 2.

Profectus studium, & solicitudo debent ob id etiam nobis esse quàm maximè cordi, quòd nullius anima sit tam harmonicum instrumentum, vt non aliquando eius nerui dissoluantur, aut non relaxentur contentæ fides. Ibid. 458. o.

Vt autem in supremum perfectionis cacumen perueniamus, necessum est, vt hinc spe, illinc timore stipati, ac suffulti ascendamus. Ibid. 461. o.

Nec quisquam putet vno, quod aiunt, saltu in illud cacumen penetrare posse. Nam cùm nemo se repentè in infimum insolentiæ præcipitet, quanquàm facilè sit hoc agere, quomodo Christianus in summum perfectionis apicem, quod tam arduum est, & operosum, vno volatu vult subitò peruenire? Ibid. 464. o.

Beati pacifici. Meritò beati dicti pacifici, quia in alma, & amabili pace omnes felicitates, & bona omnia continentur. PP2. 472. o.

Sanusne est Laban? Id sciscitabatur Iacob ex pastoribus Haran. Alij id transferunt: *Paxne est illi?* quia pacis nomine omnia bona intelligunt Hebræi. Et Poëta canit: *Pax optima rerum, quas homini nouisse datum.*

Pace non modò ij, quibus natura sensum dedit, sed etiam tecta, atq; agri lætari mihi videntur, inquit Cicero.

Pacis statuam Athenis ad mulieris Plutum puerum diuitiarum deum manu tenentis speciem esse effictam Pausanias autor est, diuitiæ enim pace magis, quàm bello parantur.

Christus ab hac vita in alteram demigraturus aiebat Discipulis suis: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, Ioan. 14. *Qui autem pacem dedit, vno verbo omnia dedit.* inquit Glossa Ibid. 474. c. 1.

Beati pacifici. Vt ne pax dissoluatur, & rumpatur concordia, debemus aliquando de nostro honore, ac iure cedere, idq; exemplo Abrahæ, Pauli, ipsiusq; Dei. Abrah. 26. o.

Beati, qui lugent. Ergonè omnes, qui lugent? beati? Nequaquam, sed qui peccata deplorant, quæ

perpetrârunt, vel committere possunt, si gratiâ Dei, quod facilè accidit destituantur. Facilè accidit, aio, quia qui beneuolentissimum habet Deum, leuiter excidere ex gratia illius potest, vt proinde minùs sapiat, qui nimis præfidit. Abrah. 60. o.

Dauidi beatus dicitur vir, qui non abijt in consilio impiorum. In hac vita nemo beatus, nemo ergò etiam in hac vita qui non abierit in consilio impiorum, itaque nemo etiam, qui non habeat, quod lugeat.

Christi sanctitas consummatissima, & testatissima erat, locus, in quo à dæmone tentabatur templum Sacrosanctum Ierosolymitanum. Nihil horum tamen deterruit diabolum, quò minùs cum illo congrederetur, & posse de illo referre victoriam speraret. Ergo neq; sanctitati nostræ nimiùm tribuere, neque loco fidere debemus, sed perpetuò lugere propter periculum in quo versamur, ne tam versuto, & importuno ac valido hosti succumbamus.

Cur putas dictum Abrahæ post insignem obtentam victoriam, *Noli timere?* Verebatur ille, ne aliqua sibi vana gloria de tali victoria obrepisset. Vt namque homo erat, sic fieri potuisse putauit, quòd vanus quidam cogitatus incauto animo furtiuè se insinuasset. Ibib. 61. & seqq.

Beati misericordes. Qui miseriam alienam miseratur, & dolenti condolet, hominem se egregiè probat, quem verò ærumnæ proximorum non mouent, irrationalis potiùs, quàm intellectu præditus homo videtur. Abrah. 50. 6.

Beati misericordes, &c. Varia sunt misericordiæ etiam corporalis opera, quorum cultores sic amat misericors Deus, vt eos solos, qui talib. studuerunt in vita prædicaturus à morte, idque coram toto mundo videatur. Nam cùm pro extremo tribunali supremus Iudex sedebit, hoc solùm toto mundo auscultante dicet: *Venite benedicti Patris mei, & Esuriui enim, sitiui, hospes eram, & nudus, & infirmus, & in carcere* (Matth. 25.) & omnem miseriam meam piâ ope vestrâ leuastis. Quo spectant illa tam multa miserationum genera, quæ olim ob aures cœlorum, ac terræ deprædicabit Dominus? Quo consilio illa commemorare Dominus voluit? *Varias humanitatis partes recenset, vt siquidem possumus omnes impleamus, sin autem, saltem eas, quas possumus.* Ità Euthymius. Cui per tenues facultatulas non licet dare vestem nudo, is per corporis vires poterit visitare infirmum, & qui ne hoc quidem per affectam valetudinem potest, det calicem frigidæ, det bona verba, qui non habet aliud. PPP. 219. c. 1.

S. Chrysostomus disserebat quondam de varijs virtutibus, & gestis præclaris eorum, quos omnes hodie vno communi festo celebramus, & aiebat: *Tanquam ornamenta quædam proposuit Patrum certamina, vt vnusquisq; nostrûm ad quam voluerit certationem seipsum conformet.* Constituit nobis ex Deo sancta Mater Ecclesia hodie ob oculos pugnas, & virtutes, & benefacta Sanctorum Maiorum nostrorum, & quos vetus lex peperit, & quos noua edidit, vt ex his sibi quisq; sumat, quæ statui suo magis conueniunt, & cum ingenio, & viribus magis congruunt. Cùm ait Chrys. *certamina*, adde, & gesta Sanctorum nobis *tanquàm ornamenta*, siue etiã monilia nobis proposita, alludere videtur ad officinas mercatorum, & auri fabrorum. Apud hos est reperire variam conficiendarum vestium materiam, pannum rudem, & subtilem, sericum, bombycinum, laneum vestitum, gemmas pretij summi, infimi, medij. Hinc sibi viri, ac mulieres, plebeij, & nobiles, summates, atque infimates, quisq; pro sui status, & facultatum conditione coëmit. Talem hodie officinam aperit Ecclesia, inq; ea exponit tanquàm ornamenta quædam omnium Sanctorum gesta, vt ex his sibi deligat, quæcunq; per vires commodiùs exequi posse putat. Hic est inuenire Apostolos, Martyres, Confessores, Doctores, Viduas, Virgines, Coniugatas, &c. *Vt vnusquisq; nostrûm, ad quam voluerit certationem, seipsum conformet.* Ibid. 220. c. 1. & 2.

℣ Non omnia possunt omnes, nemo tamen est qui nihil possit eorum, quæ ante ipsum fecerunt alij, & qui maximum consequi non potest, non proindè committere debet, quin minora tentet, ac procuret. Ibid. 218. o.

Brutus sit, aut nimisquàm rudis in arte concionatoria, qui non optimum Sermonem ad Festum Omnium Sanctorum ex hoc cap. adornare sciat.

Gaudete, & exultate, merces enim vestra copiosa est in cœlis. His verbis Dominus præsentes appellabat Apostolos, quos beatos pronuntiabat si conuitia, maledicta, calumnias æquanimiter tolerarent, adeò exultare gaudio iubebat propter ingentem remunerationem, quam constitutam haberent in cœlis.

Nullum tale connubium, quale gaudij, & risus cum patientia, nemo enim adibit gloriam, nisi antè subierit pœnam. PPP. 263. o.

Isaac accepit Rebeccam vxorem, Rebecca patientiam significat, Isaac risum. Rebecca ergò nupta est Isaaco, vt intelligamus quàm coniugata sint

pati & ridere, tolerare pro Deo probra, & gaudere, longanimiter excipere iniurias & exultare, &c.

Quando Samuel tulit cornu olei, & vnxit Dauidem in medio fratrum eius, 1. Reg. 16. non tam regem inaugurauit, quàm persecutionibus omnibusq; semel ærumnis initiauit. Nam ab eo tempore & fratres illum vexabant, & Saul vbiq; insectabatur, vt occideret, & nullus locus securum habebat. Quare tanta passus, antequàm regni quietam possessionem adeptus. *Non statim sceptriger in solio sedit, purpurâ insignis, & diademate clarus, vel coronâ aureâ splendidus, sed priùs egenus, & vagus, profugusq;, & exul prius amaritudinis totius, & infelicitatis, quàm nectareos, aut mellitos Regum populi liquores epotauit.* Itâ Rupertus.

Sic tametsi in baptismo vncti simus reges coronæ gloriæ, priùs tamen quàm eius possessionem ineamus, Dauidis nobis fortuna subeunda, sic vt antè patiamur aduersa in terris, quàm læti rideamus in cœlis.

Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris, inquiebat Sponsa Cant. 4. Priùs ergò myrrhæ, (quæ amaritudinis symbolum receptissimum est) transijt, quàm ad collem thuris, hoc est, aspectum Deitatis perueniret. *Per hoc ostenditur, quòd qui cum Christo fuerit myrrhæ particeps, omninò erit etiam particeps thuris, nam qui fuerit cum eo passus, simul etiam conglorificabitur.* Itâ S. Greg. Nyssenus.

In strage Ierichunti illata seuerissimè prohibuit Dominus, ne quis recularum illius ciuitatis vel minimum quid sibi retineret, in excidio ciuitatis Hai totam eius supellectilem & bona omnia libidini & spoliationi militum permisit. Cur hic magis, quàm ibi? Nullam operam contulerant milites ad expugnandam Ierichuntem, at in Hai occupanda fuit aliquis militaris virtutis vsus. Itâ ferè Andreas Masius. Noluit Deus esse præmium, vbi nullus fuit labor, vt nemo palmam sine defatigatione exantlata spondeat. Ibid. 265. c. 2.

Arctam esse portam, & angustam viam, quæ in cœlum ducit, id ex eo etiam comperies, si omnes ex ordine percurras vias, quas in hodierno Euangelio designat Dominus, inieruntque omnes, quotquot nunc cum Deo viuunt beati.

Sed quid causæ sit, cur Deus electos suos per angusta viarum, per arcta paupertatis, per tristia luctus, per dura iniuriarum voluit tendere in cœlum? Rationes alias alibi dedimus, causæ præsenti illa commoda, nimirùm vt ex suis angustijs, & miserijs discerent, condolescere ærumnis alienis. Voluit ergò Deus suos in hac vita miseros esse, vt essent misericordes, & suis humeris periclitari pondera temporalium malorum, vt ea experti facilè mouerentur ad leuandum alios, quos viderent prægrauatos.

Exodi 22. v. 21. aiebat Dominus: *Aduenam non contristabis, neque affliges eum, aduena enim & ipsi fuistis in terra Ægypti.*

Pulchra est Oleastri annotatio moralis in ea verba, & sic habet: *Optima pietatis magistra, experta indigentia, vnde cùm te ad misericordiã prouocare volueris, cogita an simile aliquando malum sis passus, aut te passurum timeas.* Quemadmodum ergò Deus Israëlitas voluit diu peregrinari, & duram seruitutem tolerare in Ægypto, vt liberi effecti essent erga peregrinos prolixi, erga afflictos humani: Sic etiam electos suos voluit exerceri vitæ præsentis incommodis, vt erga alios secum in via positos miseros pia haberent viscera. Ita quoniam & nos vel aliquando labimur, vel casui expositi sumus, plurimùm congruit cùm nostræ caducæ naturæ fragilitate, vt miseros lapsos miseremur, & erigamus. Abrah. 52. o.

Octo habemus in huius Festi Euangelio, quæ nos in beatitudinem, hoc est, finem nostrum vltimum, tanquam viæ quædam ducere possint. Nulla tam est compendiosa in locum tam abstitum via, vt vnico, quod aiunt, saltu in eum peruenire queas.

Summa est illius temeritas, qui summum derepente statim posse attingere præfidit. PPP. 221. o.

Iuxta puteum habitabat Isaac, hoc est, *morabatur in discutiendis profunditatibus scripturarum*, vt ait Glossa interl. non primo statim momento in altitudinem mysteriorum penetrauit.

Nemo primo statim passu perfectionem assequitur. Etiam natura nihil magnum voluit effici citò, cuius ea est lex, vt maiora animalia diutiùs visceribus parentum continerentur.

Ezechielem Angelus non statim in cœlum ipsum, sed inter terram, & cœlum leuauit. Ezech. 8.

Dauid Psalmum 118. per literas Hebræorum digessit, vt homo noster tanquam paruulus ab infantia per literarum elementa formatus vsque ad maturitatem virtutis paulatim excrescat. Sic Ambr.

Rebecca priùs inaures, & armillas, demum vasa aurea, & argentea, & vestes accepit, cuius mysterium vide Magno Gregorio enudatum. Ibidem 222. c. 2.

Non vias tantùm nobis demonstrauit Christus, quibus itur in cœlum, sed totetiam viarum duces dedit,

dedit, quot sancti nos in cœlum præcesserunt. Franciscum dedit, vt ad paupertatem spiritus nobis præiret, Elizabetham, quæ misericordes esse doceret, Bertrandum, qui lugere erudiret, Paulum, qui ad anteriora seipsum extendens, esuriem, sitimque iustitiæ, & desiderium perfectionis in nobis excitaret suo exemplo, &c. Tot viæ cœlorum ductores, tot vitæ bonæ doctores ignauia, & ignorantia nostra requirit.

Verùm vt quis peccandi artis peritissimus euadat, alio quàm se magistro non eget, & vnusquilibet sibi ipsi & supremus architectus, & prototypon esse potest. PPP. 242. o.

Nihil minoris negotii, difficultatisq; est, quàm fieri malum, etiamsi nemo ducem se nobis ad vitium prebeat, rara tamen, atque ardua est virtutis adeptio, quamlibet etiam multis modis ad eam inuitemur, ac retrahamur. Ita S. Greg. Nazianzenus ibid. 244. c. 2. *Expendit hæc verba accuratè Nissenus, multaq; habet in hoc capite, quæ multùm facere possint ad coarguendum, excitandumq; torporem nostrum.*

Omnium Sanctorum, qui ex nostro conuictu in contubernium Dei commigrârunt, festum læti celebrare non possunt, sed mæsti, lugentesque agere debent, qui nihil minùs, quàm sancti sunt, & non student esse illorum similes.

Quæsitum fuit à doctis, quamobrem Deus voluerit, vt sanctus Lot inter illos sordidos, & contaminatos Sodomitas degeret. Respondet vnus è multis, id factum, vt suo bono exemplo, & conuersatione Sodomitas ad odium peccatorum, & virtutis amorem excitaret, & siquidem illius consuetudine, & hortatu non efficerentur meliores, de pœnis posthæc sibi irrogatis iustè queri non possent. Abrah. 32. c. 2. Ita solet Deus submittere pia exempla, & monita, vt peccatores, qui per ea non abstrahantur à malis, non habeant aliquam iustæ querimoniæ causam, cùm à Deo subiiciuntur pœnis. Ibid. 32. o.

Quid ergò in die illo mundi supremo tunc dicemus, qui legem Dei leuiter nunc præterimus, quãdo tantam videbimus nobis impositam nubem testium, qui nos suo exemplo ad illius obseruantiam tam ardenter sunt cohortati, neque habuerunt obsequentes? Et quomodo gaudere hodie possunt, qui Festum agentes Omnium Sanctorum nullius sanctitatem imitantur, sciuntque quàm graues huius negligentiæ sint daturi rationes, & pœnas?

De Sancto Martino Episcopo.



Vm B. Martinus obitum suum imminere dixisset, tunc luctus, & mæror omnium, vox plangentium, vnaq; precantiũ, ne pastor oues deseras. Hæc Sulpitius in illius vita. Quid sibi voluerunt illo mœrore, & luctu? Sciebant ii, qui tunc mœrebant, & lugebant, quòd amici Dei, in quibus Martinus erat, essent validi athlantes, quorum humeris niteretur machina mundi, quòdque hunc illi suis precibus, & meritis suffulcirent. Abrah. 156. o. Facere ergò non poterant, quin acerbè plorarent, cùm illam suo contubernio subtrahi columnam cernerent.

Pulchra in eam rem habes toto illo capite, & aliis in locis ad calcem illius adnotatis.

De Sancta Cæcilia Virgine & Martyre.

Vide commune Virginum.

De Sancta Catharina Virgine & Martyre.

Vide commune Virginum.

De Communi Apostolorum.



Vntes prædicate sed *nolite possidere aurum, neq; argentum, neque pecuniam in Zonis vestris*, aiebat Christus Discipulis suis, cùm eos ad promulgandum Euangelium emittebat. Ergonè voluit illos aut famelicos, aut mendiculos? Neutrum. Cibus enim illis tanquam operariis debebatur ab his, quibus spiritualia seminabant, & qui illos ad laborandum destinabat, eiusdem erat curare, vt necessaria ipsis ministrarentur, quòd tam cumulatè præstitit, vt omnium agrorum suorum pretia fideles quidam ad pedes Apostolorum deponerent, vnde tum ipsi, tum alii multi abundè viuere possent.

Ita quisquis rem aliquam curandam ex Dei iussione suscipit, vt officium prædicationis susceperũt Aposto-

Apoſtoli, certò ſibi promittere poteſt,quòd ſubminiſtrabit quæcunque ad perficiendum ſunt neceſſaria, qui imperauit laborem. PP2. 569. o.

Poſt inſtauratam, & confirmatam iuramento amicitiam cùm Labano iter ſuum Iacob proſequebatur, videnſque obuiàm venire Angelorum copias aiebat: *Caſtra Dei ſunt hæc*, & exercitus ſuperorũ ſpirituum inde huc ſubmiſſi, vt mihi ſint præſidio. Nec errauit, ad hoc enim miſſi fuerant, vt illum per viam defenderent. Dei iuſſu iter hoc ſuſceperat Iacob, qui ei dixerat: *Reuertere in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam*, ſi verò quæpiam per viam occurrerint difficultates, noli metuere, quia *ego ero tecum*, ego comes, & cuſtos. Ibidem.

Vetus quæſtio eſt, an peccârit Moyſes, cùm occidit Ægyptium. Caietano videtur hæc à ſacro Scriptore iam deciſa dubitatio, qui refert, quòd Moyſes non antè trucidauit inſolentem Ægyptiũ, quàm *circumſpexiſſet huc, atque illuc, & nullum adeſſe vidiſſet*, qui cœlis ſpectator, & renuntiator eſſe poſſet. Facitné hæc circumſpectio, vt nullâ ratione, quod Moyſes fecit, excuſari poſſit? Facit. *Huiuſmodi* enim *circumſpectio ſignum eſt humanæ cautelæ, non diuinæ inſpirationis.* Videtur iniuſſu Dei occidiſſe hominem, qui homines alios conſcios cædis habere timuit. Si enim Deus illi ſuggeſſiſſet, vt interficeret Ægyptium, animi etiam robur illi addidiſſet, vt nullum metueret periculum. Mos enim Dei iſtud habet, vt cùm aliquem diſcrimini exponit, etiam perficiendi audaciam ſubminiſtret. Ibid. 570. & ſeq.

Tametſi verò ſacer peregrinus Iacob ſecum ferret ampliſſimum ſaluum conductum omnipotentis Protectoris, vt ſecurè terrâ, mariq́ue itinerari poſſet: Nihilominùs cùm intellexit fratrem ſuum Eſau in via eſſe, timens eius ſtomachum pio ſurreptæ benedictionis furto commotum, legatos ad illum cùm muneribus miſit, qui furorem irati lenire ſtuderent. Submiſerat illi Deus numeroſiſſimum exercitum, & leuis armaturæ, ſed ex ſolis Angelis conflatæ milites, quos ad ſe iuuandum è cœlo deſtinatos tam nihil dubitabat, vt diceret: *Caſtra Dei ſunt hæc*, & ſuppetiæ mihi ab illo miſſæ; nihiloſeciùs tamen miſit extemplò legatos, qui mitigarent fratrem, & tranſeundi licentiam peterent. Quorſum hæc placandi fratris induſtria illi, qui parata ſciebat ſuæ defenſioni caſtra Dei? Reſpondeo. Sciuit quòd auxilium, & opitulatio Dei non ſemper excludit ſtudium, & ſolicitudinem cooperationis humanæ. Ibid. 572. o.

Pax huic domus. Inter cætera monita, quæ Dominus diſcipulis ſuis dedit, cùm illos ad diſſeminandum Euangelium miſit, præcipuum illud fuit, vt hoſpites ſuos tali verborum formulâ ſalutarent: *Pax huic domui*; Matth. 10. hoc eſt, vt illis quietè, & abſque timore pacatè viuere apprecarentur. De hac re doctus quidam ſic ait: *Id ſi expendas quantũ ſit, fateberis nihil in tota vita præclarius eſſe.* Pax contrariatur bello, bellum plenum eſt timore, tumultuatione, perturbatione, curis. Optare ergo domui alicui pacem, eſt precari, vt ſit vacua omni timore, perturbatione, inquiete, anxietate, quæ talia ſunt, vt nemo prudens ſit, qui cùm illis non mauelit eſſe mendicus, quàm rex, aut Imperator cum timore. PP2. 578. c. 1. Vt crudelitatem timoris cognoſcas, ſatis eſt ſcire, quòd mors & pulchra eſt, ſi cum illo componatur, & ſuauis medicina dolorum, quos ille adfert. Ibid. 575. o.

Verè terribile eſt mortis myſterium, vt etiam ante tormentum ſufficiat timor ad cruciatum, inquit S. Nilus. Ad crudelem mortem miſero homini ſat eſt ipſe mortis vnicus, ac ſolus timor. Ibid. 575. c. 2.

Tantùm malum eſt timor, vt Cain à quocunque primùm obuio trucidari optaret, quò mortis, quam commeruiſſe ſciebat, ſemel vnâ occidione timorem euaderet. Verùm Dominus non præſenti eum ſtatim damnauit ſupplicio, quòd confeſtim ei calamitatis ſenſum adimeret, ſed mille mortes intentando, vt ſentiret alios ſuper alios pauores, &c. Ita Philo ibid. 576. & ſeq.

Nolite poſſidere aurum. Alii apud Nouarinum transferunt: *Ne comparetis*, ſiue *Nolite comparare.* Præcepit ergò Dominus non vexari, non torqueri corradendarum pecuniarum ſolicitudine, ac ſtudio. Feriari ergò à labore imperauit. Nihil noui. Similem habemus aliam eiuſdem Domini iuſſionem vetuſtiſſimam æquè, ac grauiſſimam. *Septem diebus azyma comedetis, in die primo non erit fermentatum in domibus veſtris. Quicunq; comederit fermentatum, peribit anima illa de Iſraël*, aiebat iam olim per Moyſen Exod. 12.

Admiratus hanc legem S. Gaudentius ait: *Si fermentatum fieri iuſsiſſet, diligentia illic neceſſaria eſſet, ne deeſſet. Quòd iuſsit, deſidia eſt, non laboris.* Non habere fermentatũ, aut non ſubigere farinam fermento, eſt feriari, & nihil agere, otium autem ex ſeipſis nimiſquam vehementer amant homines. Cur ergò Dominus, cùm illos vult otioſos, ac feri-

ates, id sub certa capitis pœna imperandum putauit? Respondet Gaudentius: *Negligentiam iubet, vt obedientiam probet.* Quamuis appetitus humanus quietem, otium, vacationem nimiopere amet, quia tamẽ deprauata voluntas magis inclinat in vetita, putauit otium Hebræis sub comminatione mortis præcipiendum, vt qui sciret, nec otium acceptaturos, sed vetitum laborem potiùs arrepturos, neque obtemperaturos vt feriarentur, nisi tanti supplicii metus eis obedientiam extorqueret. PP2. 631. c. 1. & 2. Tam vehementer nitimur in vetitũ, eaque auidiùs appetimus, quæ seueriùs negantur. Ibidem 628. o.

Nolite possidere aurum, neque argentum, &c. Voluit Christus Discipulos suos esse pauperes, vt essẽt intrepidi concionatores. Ecclesiastæ opulenti sunt meticulosi: Nam abundare, & timere quãquam literis, syllabis, vocabulis plurimùm discrepent, reapse tamen nihil differunt. PP2. 597. o. At pauperes sunt imperterriti. Ioannes, qui neque lectũ, neque tectũm, neque mensam habebat, solus ac primus incestam Herodis cùm sua fratria consuetudinem publicè audacter arguebat, cùm diuitum nullus tantùm haberet animi, vt id faceret. Ibid. 597. c. 2.

Tertullianus suadebat mollibus quibusdam mulieribus stare expeditas, ad omnem vim, & nihil habere, quòd relinquere timerent. Aptiùs hoc cadit in Concionatores. Ibid. 599. c. 1. & 2.

Prædicator diues *timet pro domo, pro famulis, pro agris, pro opibus, ne quis aliquid ex his auferat, & qui multorum est dominus, multorum seruus esse cogitur*, inquit Chrysostomus ibid. 600. c. 1.

Elias tam inops erat, vt qui virum pilosum, & pannosum, & Zonâ pelliceâ accinctum renibus audiret, illum statim intelligeret. Et hic inops Elias prophetas falsos plurimos vnâ occidione deleuit. Hic regi Achab intrepidè restitit. Hic igne è cœlis aduocato quinquagenos milites semel, & iterùm consumpsit. Hic regi Ochoziæ suam idolomaniam exprobrauit. Hic cœlum pro suo arbitratu nunc clausit, nunc reserauit. Hic terrori fuit omnibus hominibus. Hic Deum iuramento adstrictum tenuit triennio, & vltrà, ne quam interea guttulam aquæ è loco superiore deplueret. Quare hic omnia ista? *Quia nihil præter meloten possidebat.*

Nihil enim, nihil omninò sic liberè loqui, & in rerum discrimine fiduciam habere, & contrà captiuitatem satis munitum, & fortem facit, vt nihil possidere, & nullis sæcularibus obrui negotiis. Ibid. c. 2.

Nolite portare sacculum, neque peram neque calceamenta. Lucæ 10. Similia habes Matth. 10. vbi & aurum & argentum, & pecunia omnis Apostolis interdicebatur, & dicebatur: *Gratis accepistis, gratis date.* Quamobrem voluit Dominus, vt nullam vel circumferrent, vel admitterent pecuniam: Primò, ne Iudas, qui loculos habebat, de potestate faciendi miracula pecuniam congregare vellet. Sic Glossa apud S. Thomam in cap. Matth. 10. Deinde ne prædicationis munus ob quæstum exercere putarentur, amouet istam suspicionem, præcipiens, vt nihil secum deferrent. Ita ex aliis Nouarinus in Matth. Tam graue nimirùm scelus est, accipere pretium pro eo, quòd gratuitò dare debeas, vt Discipulos suos ne suspectos quidem de illo esse voluerit.

S. Paulus de se aiebat 2. Cor. 2. *Non sumus adulterantes verbum Dei.* Chrysostomo adulterare hoc est, *cùm quis pecuniâ vendit, quòd gratis dare debebat.* Adulterium fuisse, ex quo Thamar grauida erat, vult Tostatus. Illud putatitium adulterium volebat Iudas igne vindicare. Si ergò adulterium committit, qui pretio vendit, quod gratis dare debuit, igitur talis meretur, vt rogo iniectus igne conflagret. Quo ergò supplicio ille Iudex mulctandus, qui pecuniam admittit pro eo, quod non solùm gratuitò, verùm etiam ex iustitia facere tenebatur? PP2. 488. & seq.

Nulla maior malitia, aut crudelior iniquitas, quàm accipere lucrum, aut pecuniam pro eo, quod dare, vel facere iustitiâ debeas. Ibidem 488. o.

Hic inuenies pulchra, quibus corruptos Iudices munerum amatores perstringas.

Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Matth. 10. Quamuis mites mores omnem hominem deceant, eis tamen maximè conueniunt qui sunt aliorum doctores. *Qui enim locum prædicationis suscipit, mala inferre non debet, sed tolerare, vt ex sua mansuetudine iram sæuientium mitiget, lupósq; conuertat in oues.* Ita S. Greg. Magnus apud Nouarinum. Nullum tam efficax incantamentum ad placandum stomachosissimos, & ad occupandum animos eorum, qui maximè barbaro, iracundo, & efferato sunt animo, quàm verba amica, & suauis sermo. PP2. 604. o.

Hac mando vobis, vt diligatis inuicem. Ioan. 15. Dixerat illis antèhac Christus: *Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos;* Luc. 10. 3. Dixerat: *Iniicient vobis manus suas, & persequentur, tradentes in Synagogas, & custodias, trahentes ad reges, & præsides;*

des; Luc. 21. 12. Dixit item in hoc Euangelio: *Non est seruus maior domino suo, si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Dicturus erat paulò pòst: *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ*; Marc. 16. 15. Vt hoc laboriosum officium hilariter susciperent, vt in medios lupos intrepidè se inferrent, vt omnes persecutiones forti animo adirent, & tolerarent, vnâ charitate eos obarmandos putauit, certus nec prædicationis laborem defugituros, nec luporum ferociam formidaturos, nec frangendos persecutionibus, si charitate solùm inflammati, tecti, ac muniti essent. Nam *vbi charitas est, quid est quod possit deesse?* inquit Magnus Augustinus apud S. Thomam c. 15. Ioannis aptè in rem præsentem, & verè. Qui enim charitate affluit, illum nec animus destituere potest ad occurrendum lupis, nec vires deficere ad excipiendas quasuis pro Deo ærumnas, nec vllus defatigare labor. Immò nescit, quid sit charitas, qui laborem sentit, paradisus namque eius, qui amat, est delassari his, quibus dat operam. PP2. 491. o.

Amplissimum campum hoc tibi caput aperiet, per quem excurrere, & vagari longâ oratione queas.

De Communi vnius Martyris.

SI quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, &c. S. Ambrosius in Ps. 72. ad finem expendit hæc tam aridè, & asperè, vt videtur, dicta, *Tolle crucem tuam, & sequere me*, si vis post me venire, & meus esse discipulus. Cùm arduum sit crucem tollere, & *animam periculis, mortis corpus offerre, & negare quod sis, cùm velis etiam esse, quod non sis*, vt loquitur idem Ambrosius l. 7. in Lucam in principio, quid est, quòd Christus tam absolutè vult esse crucis baiulos, & sui ipsorum velut iuratos hostes, qui velint esse ipsius imitatores, neque infirmitatem mentis humanæ promissione alicuius remunerationis sustentat, quod fecisset, si addidisset ad verba superiora, se laurum quietis æternæ paratam, iisque constitutam habere, qui vt ipsum sequãtur, semetipsos abnegauerint, & crucis mortificationem in suo corpore circumtulerint? Respondet S. Doctor, Christum ibi perfectò locutum, *qui non præmio ducitur ad perfectionem, sed perfectione consummatur ad præmium. Imitatores enim Christi non propter spem boni sunt, sed pro amore virtutis*, sicut & Christus *ideò passus est, quia benefacere eum delectauit, non quia incrementum gloriæ ex sua passione quærebat.* Hæc ille ibi. Qui ergò benè excultus est disciplinâ cælesti, is Christum imitari debet, hoc enim est illum sequi, vt sicut ille passus est nullâ cupiditate lucri, sed solo amore benefaciendi, ita & ipse ad ferenda mala, & facienda bona incitetur non desiderio præmii, non spe remunerationis, sed solâ cupidine ferendi aduersa, & faciendi, quæ Deo scit esse grata. Tomo primò, Periochâ 3. Dominicæ 4. in Quadrag. p. 301. c. 2.

Vult Dominus, vt quicunque illum amant, non ob aliud ament, quàm quòd amare amant, quòd iste sit amor, quem maximi æstimat, eâque voluntatis beneuolentiâ, quam & summè probat, & prolixè remunerat. Ibid. pag. 299. o.

Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam. Matth. 16. Apud Lucam 9. iubet quotidie crucem tollere. Crux est, quidquid affligit, & cruciat. Vt autem hoc leuiter feras, illud efficiet, si cogites, quòd nomen afflictionum, & calamitatum non merentur, quæ simul cum vita expirant. Abrah. 74. o. Ærumnas præsentes vocat Christus viam, & portam, dicens: *Quàm angusta porta est, & arcta via, quæ ducit ad vitam!* Matth. 7. Theophylactus ait: *Neq; minima consolatio est, vocare ipsam portam, ac viam, neutra siquidem permanet, sed transit.* Omninò plurimùm imminuit pondera calamitatum mundanarum, quòd eas præterire nouimus.

Infirmitatem Lazari non esse ad mortem Christus aiebat. Sed quomodo non ad mortem, ex qua mortuus fuit? Respondet Theophylactus, non fuisse, ad mortem diuturnam, sed quatriduanam solùm, talis autem mors nomen mortis non merebatur, vt absolutè affirmare Christus potuerit, non fuisse Lazari infirmitatem ad mortem. Sic & possumus dicere, ærumnas præsentes, quià temporales sunt, non mereri nomen ærumnarum, maximè si cum æternis comparentur.

Comicæ miseriæ, hoc est, solæ quædam repræsentationes verarum miseriarum sunt eæ, quas hic toleramus.

Vt mors Christi, eiusq; absentia leuior Discipulis accideret, dicebat eis Christus, se non ampliùs triduo abfuturum. *Hoc abire sic fuit, ac redire, vt eum non defuisse perluceat*, inquit S. Ioannes Chrysostomus. Vt Christus velut non abfuit, qui solo triduo abfuit: Ità vitæ huius aduersitates velut non grauant, quæ paruo tempore solùm grauant. Ibid. 75. & seqq.

Qui vult venire post me, sequatur me. Chrysostomus in catena S. Thomæ ait: *Cùm Saluator sit pius, & benignus, nullum inuitum, aut coactum habere vult famulum, sed spontaneos, & gratias agentes ei pro famulatu.* Quid facturi sunt, Domine, illi spontanei imitatores, vt tibi pro famulatu gratias agere possint, ac debeant? Abnegabunt semetipsos, & tollent crucem suam. Abnegatio sui ipsius Basilio quidem est totalis præteritorum obliuio, & recessus à proprijs voluntatibus, Origeni verò abstinentia cuiuslibet criminis. Crucem autem tollere est appetere mortem pro Christo tolerandam, & mortificare membra, quæ sunt super terram, & viriliter disponi ad omne periculum sustinendum pro Deo. Sic idem Magnus Basilius. Itaq; hæc à seruis suis officia Christus requirit. I. vt præteritarum voluptatum, quibus antehac assueuerint, omnem prorsùs memoriam, simulq; voluntatem propriam totam abijciant. II. vt ab omni deinceps flagitio abstineant, neque hoc solùm, sed etiam virtutibus sedulò studeant, & qui lubrici fuerunt, in posterum castos seipsos custodiant. III. vt mortificent membra sua, quæ sunt super terram, & viriliter se disponant ad omne periculum, mortem adeò, eamque probrosam pro Domino sustinendam. IV. vt beneficium arbitrentur, quòd ad talia officia admittuntur, proq; eo gratias agant. Quâ spe lucri isti facient vt gratias agere debere videant? *Qui enim perdiderit animam suam propter me*, inquit, *saluam faciet eam*; hoc est, qui mei gratiâ fecerit, quæ dicta sunt, ei inuicem conferam gratiam, quâ animam suam cœlo inferat, æternùmq; saluet. Si corporale aliquod pollicereris vel oblectamentum, vel emolumentum, Domine, plures, promptioresq; reperires obsequentes: Nam quando proponitur lucrum temporale, omnia alacriter sustinere volumus, etiamsi quid laboriosum sit, & valde ærumnosum, & sordidum, & pœnam in præsenti, & futuro sæculo præbens; propter nostram autem salutem, & vt supernum nobis conciliemus auxilium, remissi, & supini, & dissoluti videmur. Ità S. Chrysost. PP2. 485. c. 1.

Felicissimus foret homo, si quàm est expeditus, & alacer, & velox ad curandas res corporis, tam esset solicitus ad agendum negotium animæ. Ibid. 484. o.

At nunc pars hominum maxima, eheu, caducum propediem interituræ venustatis, & fugacis, turpisque voluptatis florem sic demoritur, vt mortis pericula sæpè contemnat, qui eius vsuram expetiissit, & ad diuinæ pulchritudinis, quæ perpetuò durabit, spectatoresque suos beabit, visionem consequendam perpauci connituntur, & cùm peritura inhianter consectemur, pro sempiternis vix pedem loco mouere nouimus.

Para mihi hospitium, nam spero per orationes vestras donari me vobis. Ità scribebat quondam Paulus viro nobili, & amico suo familiari Philemoni. Certum est, quòd Paulus non petijt sibi adornari domum, vt in ea magnificè exciperetur, & haberetur. Cur ergò?

Respondent SS. Hieronymus, & Anselmus: *Quia in celebri vrbis erat loco, ad quem facilè conueniretur. Deinde quia ab omni importunitate vacua erat, & ampla, quæ plurimos caperet audientium, nec proxima spectaculorum locis, nec turpi vicinia* (prostibuli, seu lupanaris) *detestabilis &c.* At quid obesse poterat, quòd vel theatro, vel meritoriarum mulierum domui vicina esset ea, ad quam Paulus diuerteret? Si propiùs à se abfuissent Ecclesia, & theatrum, prædicator, & comœdus, lupa, & lux Euangelica, maiorem hominum partem ad se abstraxissent dæmon, & mundus suis vanitatibus, & voluptatibus, quàm Paulus suis veritatibus, frequentiùsq; concursissent homines ad vana spectacula, quàm ad sacra oracula, &c. Ibid. 485. c. 2

Quàm alacriter, lætanterq; obtulerunt mulieres Hebrææ sua monilia, vt ex eis funderetur idolum! Aufer nunc ab vxore, aut filia ornamentorũ quodpiam, quod ad Dei cultum verti debeat, vix totâ die fletum, & turbationem domus compescere poteris, cùm tamen facilè pretiosis spoliari sinant ad vana, ludicra, &c. Ita ferè Oleaster Ibid. 487. c. 1.

Sunt multa in hoc capite, quæ feruens Concionator vtiliter dicere pro rostris queat.

Si quis vult venire post me, Chrys. apud S. Thomam annotamentum in ea verba Christi sic habet: *Vide quòd non coactiuum facit sermonem. Non enim dixit, oportet vos hæc pati, sed si quis vult.* Sciuit nimirùm Dominus, coactorum seruorum non posse esse constantia, vel diuturna officia. Nam firmitudinem ab eo, quod per vim fit, expectare, tale est, quale si quis in debili arista montem stabilem consistere posse præsideret. PP2. 546. o.

Si quis vult post me venire, tollat crucem suam, &c. Matth. 16. Hugonis Cardinalis in ea verba commentatio talis est: *Suam* dicit, non *meam*, quasi dicat: *Dolor meus non sufficit, nisi adsit & vester.* Efficacitatis infinitæ sunt merita Christi, efficacia ta-

men

men nostræ saluationi non erunt, nisi ad ea accedant, & opera bona nostra. Abrah. 165. c. 1.

Vna itaq; spes est, quæ laboribus, & studijs nititur alienis, vera enim spes à diligentia pendet propria. Ibid. 164. o.

Abraham non fecit epulum, nisi quando Isaac ablactatus, per se & capere cibũ, & carpere viam potuit, quia debet esse magnum gaudium spiritualis ætatis, quando talis factus est homo, qui pascatur solido cibo, idq; manibus proprijs, non alienis, inquit ferè S. Aug.

Non fuit satis sanctis illis mulieribus, quòd Nicodemus comparasset totas centum libras vnguenti, nisi & ipsæ emerent aromata. Ibid. 164. c. 2.

Tollat crucem suam. Non dicit, tollat crucem meam, sed suam. Nam crucem Domini, & quanta ille tolerauit, ferre nemo potest: Ne quis ergo putet, ab omni crucis tolerantia se liberum esse, quia grauissimam Domini crucem portare non potest: idcirco ait: *Tollat crucem suam,* & pro Deo patiatur, quantùm per vires potest. Sic qui non valet efficere, quidquid vellet, non proinde excusatur ab eo, quod potest, Abrah. 76. o. Non potuit Sara habere ex suo corpore liberos proprios, non tamen prætermisit sibi procurare, quod poterat, ex famula Agar adoptiuos. Vlmus, quanquam infrugiferissima arbor, potuit Deo placere apud Isaiam 41. tantùm quia vitem cum suo fructu sustentat, quæ fructum ipsa nullum profert. Sponsa osculum sponsi, vnguentumque obtinere non poterat, rogabat nihilominùs, vt vel odor nominis illius aqud se pernoctaret.

Si quis summa desperet, tamen est pulchrum in secundis, tertijsq; consistere, aiebat Cicero apud Quintilianum. Et S. Ambrosius: *Si mons esse non potes, esto vel collis.* Miles, cui detruncatæ manus, cùm pugnare nequeat, voce tamen, & clamore confirmare suos, & rem iuuare communem potest.

Buccinarum, quibus soli ex officio insonabant sacerdotes, clangore deijciendi erant muri Hierichuntis, iussus fuit nihilosecius omnis populus clamare vociferatione maximâ, vt laici homines, quoniam aliud non poterant, saltem clamore rem promouerent publicam. Sic qui totum aliquod negotium pertractare non potest, non omne propterea studium deponat. Ibid. 77. & seq.

Tollat crucem suam. Christi crucem vnus aliquando Simon Cyrenæus excepit, sed per vim insolentium militum coactus, qui *angariauerunt eum, vt tolleret.* Cùm autem Dominus optet tales, qui sponte crucem suscipiant, dicit: *Qui vult venire post me, tollat crucem suam*; ne inuitus obtemperet, si meam tollere iubeam, cui impares sunt hominum imbecilli humeri. Domino seruimus, cuius ea est suauitas, humanitas, ac moderatio, vt nemini onus maius, quàm ferre commodè possit, inijciat. PPP. 387. o.

In celeberrimis illis Canæ nuptijs erat aliquid, quod nolebat Dominus, erat aliud, quod præcipiebat, erat tertium, quod ipse volebat, & faciebat. Erant hydriæ inanes, id nolebat, itaque imperabat impleri, denique volebat, vt aqua in vinum transmutaretur, & hoc ipse effecit. Implere aquâ, quod homines poterant, iussit, vt autem aqua in vinum verteretur, cùm id facere homines nequirent, ipse fecit. Ibid. 288. c. 1. ex S. Bernardo.

Apud Matthæum 9. cùm cæcos quosdam donare visu vellet Christus, priùs sciscitabatur ex eis, vtrùm id facere, posse crederent, & apud eundem Ibid. arreptitium quendam dæmone exonerauit nihil tale interrogatum. Quid causæ? Arreptitius mutus, & intellectus vsu destitutus nec intelligere, nec respondere poterat, cæci & promptam linguam habebant, & vsum rationis liberum, & tum intelligere, tum credere, tum dare responsum poterant. Non exigit plùs diuina bonitas à quoquam, quàm præstare queat. Ita ferè Euthymius ibid.

Quare vnusquisq; tanti debitor est, quantùm ingenij sui vires exsoluere valent, nec quisquam apud Deum soluendo non est, dum vltrà facultatem non petit, sed misericordia eius ijs, quæ possumus, contentatur, inquiebat Paulus Burgensis Ibid. 390. & seq.

Tollat crucem suam quotidie. S. Petrus Damianus aiebat, diem huius sæculi nullum esse alium, quàm veneris, quo Christus in cruce mortuus fuit. *Tota hac vita sexta feria est*, inquit ille, *quia videlicet crucem post Dominum baiulare iubemur.* Veneris dies est omnis huius vitæ dies, quia passioni, & cruci ferendæ destinatus, in quo laborare, & sudare oporteat, vt ab illo transeamus ad dominicum diem resurrectionis. Qui hæc vult inuertere tempora, & feriatum diem facere ex operoso, & præsentem habere voluptatem, & futuram consequi lætitiam, ille spe suâ frustabitur, & aliud, quàm expectabat, inueniet. Abrah. 97. c. 1.

Cùm enim fieri non possit, vt quis habeat huius vitæ gloriam simul, & futuræ, necessum est hîc seminare lachrymas, vt ibi metamus lætitiam Ibid. 96. o.

Qui in templum Salomonicum per Aquilonarem

portam

portam ingrediebatur, egrediebatur, per meridianam, nullusque per eam portam exibat, per quam intrauerat. Aquilo ærumnarum præsentium symbolum est, Meridies typus beatitudinis secuturæ. Qui ergò in hac vita per Aquilonarem portam tolerantiæ mundanarum calamitatum ingreditur, egredietur per quietis portam, & gloriæ, in vitam futuram.

Cùm olea benè germinat, tunc malè fructificat, cùmq; benè fructificat, malè germinat, inquit Theop. Si quæratur cur germinet malè oleæ, quo anno fructificat benè, respondet, inde fieri, quòd non sit tanta naturæ vis, vt tribuere vtrumque, pingui illi arbori queat, *cùmq; vtriq; satisfacere parti non valeat, necesse habet absumere alteram, vt alteram seruet.* Ita puta, neminem posse hîc luxuriare germine, & ibi posthæc abundare fructu, hîc ducere in bonis dies suos, & ibi videre voluptatem domus Dei, quia Deus non vult vtriq; satisfacere parti, neq; tantâ quemq; consequenter cumulare gloriâ, sed qui futuram vult assequi, debet hic Christum per ignominias, & ærumnas sequi, *necessumq; habet, alteram absumere* lætitiam, *vt alteram faciat.*

Etiam in naturalibus indicat nobis Deus, quid in moralibus eueniat. *Autumni serenitas*, inquit Plinius, *venturam hyemem facit*, neq; tempora alijs alia succedunt, nisi quæ diuersas, aduersasq; habent qualitates. Non hyemem hyems, sed æstas, nec æstatem ver, sed autumnus excipit. Gaudesné in hac vita varijs corporis oblectationibus, & inter carnis voluptates autumnum huius temporis exigis? Malum omen, quia immitis, & sæua, atque vtinam non etiam æterna cruciatuum hyems te manet. Alterutrum debet esse, vt vel hoc mundo fruaris, vel æterno, vtroq; gaudere nemo potest. Ibid.

Abneget semetipsum, aicbat Christus, qui vult meus esse contubernalis, quia neminem admitto in meam familiaritatem, nisi qui renuntiare, & crucem suam excipere, eâque onustus me sequi velit. Quid est abnegare seipsum. Qui alium abnegauit, tametsi virgis cædi, & alijs malis modis pessimè haberi videat, non dolet, non mouetur, vtpote ab eo abalienatus.

Ita ex Chrysostomo Theophylactus. Abnegat ergò semetipsum, qui non magis dolet suos cruciatus, quàm dolores aliorum, quibus est infensus, quos si vel in frusta cædi, vel raptari in malam crucem videat, non illachrymat, sed neque suspirat. Abrah. 199. c. 2

Est hoc peruulgatum hominum vitium, vt quæ proximè eos non attingunt, tametsi proxima habeant, tanquam procul posita aspiciant Ibid. 198. o. Abnegabit ergò homo semetipsum si mala, quæ patitur, sic accipiat tanquam alijs procul absitis sint inflicta.

Id fecisse sanctos martyres B. Gregorius Nazianzenus his verbis Orat. 9. affirmabat: *Alacri animo velut in alienis corporibus dimicârunt.* Vt namque exiguum dolorem nobis adferunt flagra, quæ inferuntur alijs: Ita Martyres sua non magis sentiebant tormenta, quàm si ea in corporibus excepissent alienis. Ibid. 199. c. 2.

Qui perdiderit animam suam propter me, saluam faciet illam. Lucæ 9. 24. Sanctus Remigius in catena aurea B. Thomæ in c. 10. Matthæi, & similia Domini verba ait, animam non accipi pro substantia spiritus, qui corpus nostrum format & viuificat, cùm dicitur, *qui perdiderit animam suam*, sed pro hac vita præsente, eiusq; dilectione, & voluptatibus. Ergò qui perdiderit animam, *id est, qui hanc temporalem lucem, & eius dilectiones, & voluptates propter confessionem nominis Christi contempserit, animæ suæ inueniet æternam salutem*, inquit S. Remigius ibid. *Sic itaq; perficit damnum animæ in salutem, detrimento enim breuis vitæ fœnus immortalitatis acquiritur.* S. Hilarius ibid. Quare vt alij lucra expetunt, sic debent Christiani optare suarum rerum pro Deo iacturam, cùm æterna de manu ipsius accipiant, eaq; plurima, qui paucula, & temporalia pro illo perdunt. Abrah. 103. o.

De Communi plurimorum Martyrum.

Vide in Festo Omnium Sanctorum.

De vno Confessore Pontifice.



Euge serue bone, & fidelis, quià in pauca fuisti fidelis, super multa te cōstituam, intra in gaudium Domini tui; Matth. 25, v. 21. & 22. Hæc dicta fuêre duobus seruis, quorum alter quinque, alter duo talenta ad negotiationem acceperat. Sancti Chrysostomus, Pelusiota, Theophylactus, quærunt quomodo ijs, quorum imparia erant talenta, par gratia facta est, quando vtriq; promissum, quòd super omnia bona constituendi essent. Qui quinque talenta acceperat, is sublimiore in gradu constitutus fuit, cui duo solùm credita sunt, inferiore dignitate

gnitate

gnitate ornatus videtur. Quomodo ergò non diuersa præmia, quorum fuerunt tam differentia ministeria? Respondet Theophylactus pulchrè: *Vide, quòd & is, qui quinq; talenta acceperat, & is, qui duo, eadem bona consequantur. Quando enim quis etiam pauca acceperit, & datum sibi donum, licèt paruum sit, benè dispensârit, æqualem honorem adepturus est cum eo, qui magna habuit, & fecit. Vnusquisq; enim vt acceperit, ità & excelsus videbitur, si bene egerit.* PP2. 471. c. 1. & 2.

Ergò non magnus est, quem officia magna, & ampla occupatum habent, sed qui ministerium suum qualecunque probè curat, & officij etiam exigui partes omnes labore magno procurat. Ibid. 469. o.

Mundus hic scæna quædam est (*præterit enim figura*, siue *scæna*, vt LXX. habent, *huius mundi*, 1. Corinth. 7.) in qua variæ personæ exprimuntur. Et *velut in theatrorum pompis*, vt S. Gregorius Nyssenus loquitur, *nunc hi, nunc illi censentur apparere, & qui nunc seruus, aut homo priuatus apparet, paulò post bellator cernitur, & rursus habitum subditi deponens, Imperatoris personam, & cultum assumit:* Sic in mundo vt sunt varij status, ita etiam personæ diuersæ repræsentantur. Sed vt solertia, & dexteritas repræsentationis non in eo posita est, vt quis personam sublimem, aut humilem, illustrem, aut obscuram referat, sed vt etiam viuâ imitatione exprimat, tametsi rusticani pastoris sit, aut vilis mendicabuli; Sic *nihil interest, vtrùm quis præsit, aut obtemperet*, inquiebat S. Nazianzenus vtrùm Regem, Principem, Episcopum, aut gregarium militem, aut mediastinum agat. Felix enim, & magnus est, non qui felicem, & magnam personam, refert, sed qui magnoperè curat, vt feliciter, solerterq; repræsentet personam, quamcunq; illi Deus repræsentandam dedit. *Lapicida* enim, vt est apud S. Ephræm, *incidendis lapidibus, & faber ferrarius tundendo, producendoque ferro mercedem recipient.* Ibid. 469. c. 1. & 470. c. 2.

Euge serue bone, & fidelis, quià in pauca fuisti fidelis, suprà multa te constituam, dicebat Dominus seruo cuidam suo, qui cùm quinque talenta accepisset, alia quinque lucratus fuerat. Hic liberalitatem Domini quidam ex eo arbitrantur, quòd pauca vocat quinque talenta; quæ tamen pecuniæ vim ingentem faciant. Ego verò inde etiam æstimo, quòd suprà multa eum constituit, quem in pauca fidelem reperit, hæc enim permagnifica commendatio fidelitatis eius fuit, & existimationem illius magnis incrementis auxit.

Soli ergò ex omnibus dominis supremo Domino seruire & maximè debemus, & facillimè possumus, nemo enim illi ministrat, qui non maior fiat, & augescat. PP2. 505. o.

Domine ecce mina tua, quam habui repositam in sudario, dicebat apud Lucam 19. domino suo quidam ignauus seruus, qui cùm ab eo accepisset pecuniam, deberetque eam tanto corporis & ingenij conatu ad negotiationem, lucrumque exponere, vt necessum esset semper circumferre sudarium ad abstergendum natum de laboris contentione madorem, ipse otio se, & torpori, & somno tradidit, vt ne sudaret. Itaque cùm non requireret ampliùs sudarium, ipsum simul cum pecunia terræ infodit. *Non est hic seruus laudatus, neque honorem promeruit, sed potiùs tanquàm iners condemnatus est*, inquit B. Cyrillus apud S. Thomam & nequam dictus, quià cùm sudario facies mortuorum velari solerent (quod in quatriduano Lazaro videre licuit) qui domini sui pecuniam sudario inuoluit, eam velut mortuam habuit, adeòque otiosam dimisit, & neque auxit, neque tractauit. Ità ferè Theophylactus apud eundem. Ergò nequam famuli iners otium otiosam reddidit pecuniam, & quòd lucrum ex illa nullum fecit, turpis illius pigritia fecit. Sic quod in domo Dei parum proficimus, id fit, quia negligenter ei seruimus, vt enim quisq; ei famulatur, ita & augescit meritis. PP2. 500. o.

Multam ex Lia sobolem Iacob genuerat. Poterat inde satis arbitrari Rachel, quòd is impotentiâ generandi minimè laboraret. Quando verò eius rogatu etiam grauidauit Balam famulam, *didicit manifestè per ancillam, quòd Iacob non fuit in causa, quare ipsa liberis careret.* Sic Abulensis ibid. Itaq; suo solius vitio improlis Rachel fuit. Id multis animabus accidit, quarum infœcunditas non ab impotentia Sponsi cœlestis, sed ipsarum vitio nascitur. Ibid. c. 2. *Dei* namque *amor igni comparatur, quo enim crebriùs agitatur, vehementiùs inardescit, & nunquàm ex sua natura (dummodò materia non deficiat) ardere desistit*, inquit B. Laurentius Iustinianus.

De vno Confessore Abbate.

E*Cce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*, &c. aiebat Christo Petrus Matthæi 19. velut pluribus dixisset: Audiuimus ex te, Magister ac Domine, difficulter obtenturos regnum Dei, qui sunt diuites. Ecce hîc nos, qui nos omnibus nudauimus, ob id tantùm, vt tecum versari, ac morari possimus,

quid ergo fiet nobis. Respondit Dominus: *Vos, qui secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim.* Ergoné iudices olim erunt, qui nunc pro Deo pauperes? Sed quid? Tántumné sedebunt,& otiabuntur, soloq; titulo Iudicum,& loco gaudebunt? Nec *otiosè sedebitis, sed iudicantes duodecim tribus Israël.* Itá exponit Iansenius. Non sola argò inaniter loca consiliariorum, ministrorum publicorum, iudicum occupabitis, sed officia etiam talium propria vos occupatos habebunt. PPP. 318. c. 2.

Qui præfecturæ nomen admisit, neque officium exercet, is probroso titulo gaudet, quo dedecoretur, & honorificam habet ignominiam, quâ dehonestetur. Ibid. o.

Domine Vis dicimus, Vt ignis descendat de cælo, & consumat istos barbaros, & ergà te tam inhospitales Samaritanos? dicebat Iacobus, & Ioannes Christo Lucæ 9.

Quare hi illud ex omnibus dixerunt Apostolis? Cur fulmine tales percelli ii potissimùm optârunt? *Benè præsumunt quòd ad sermonem suum ignis de cælo descenderet, quoniam filii sunt tonitrui,* inquit S. Ambrosius. Probro ducebant, vocari, & non esse filii tonitrui. Verè deridiculus est, qui magnos dignitatum titulos iactitat, & nihil eis dignum actitat.

Nomen habes, quòd Viuas, & mortuus es, dicebat Episcopo Sardicensi ex Deo. Respicitur ad nomẽ Episcopi, quod Græcè significat inspectorem, & speculatorem, inquit Alcazar. Dicere ergò voluit: Nomen Episcopi habes, hoc est, hominis, qui pernox, perdiusque vigil saluti aliorum prospiciat, *& mortuus es*, negligensque & oscitabundus dormis, quid enim tam mortis simile, quàm dormientis aspectus! inquit Chrysologus serm. 24. Ibid. 320. c. 2.

Fortunati, qui pro Deo fortunis suis vel ipsi renuntiant, vel per vim ab aliis exuuntur. Nulla enim felicior iactura, quàm quæ pro Deo toleratur, & quæstuosissimum damnum est, lucrosissimumque incommodum est, quod pro illo sustinetur. Abrah. 1. o.

Vos qui secuti estis me, subaudi, *relictis omnibus, quæcunq; habuistis*, vt legit S. Greg. Nyssenus, *in regeneratione sedebitis super sedes.* Quod hîc dicitur, *in regeneratione*, Syrus habet, in sæculo nouo, & illud, *super sedes*, apud Chrysostomum est: *Super solia*, & apud S. Gaudentium, *super thronos.* Hoc est ergò, quod Christus suis Apostolis promittit: Vos, qui in hoc vetere, & antiquato, ideòque pro- pediem interituro sæculo lacera retia, ruinosa tuguriola, & magis laboriosum, quàm lucrosum piscandi officiolum & reculas illiusmodi relinquentes in meum contubernium vos tradidistis, in nouo sæculo,eòque semper duraturo sedebitis,& in thronis sedebitis, hoc est, in beato, & honorifico, ac glorioso otio æternitatem agetis. Quanta merces eorum,qui pro Deo tantula reliquerunt! Sic Moysen, qui pro Dei obseruantia noluit putari filius filiæ regiæ, fecit Deum regis. Habet hoc mos Dei vt permagnificè etiam non magna remuneret. Ibid. 1. & seq.

De Communi Doctorum.



Vos estis lux mundi, Vos estis sal terræ. Lucis, & salis nomine donantur Doctores Apostoli, & animarum Prælati, vt quod lucis proprium est, videant,& arguant malefacta subditorum, siue auditorum, & mordeant etiam, quod sal facit, si res ita postulat. Nam qui dissimulant vel taciti prætereunt suorum peccata, iidem peccare docent. Nulla enim efficacior vox est ad persuadendum flagitium, excitandamque peccandi audaciam, quàm Superioris videntis, & conniuentis taciturnitas, & dissimulatio. Abrah. 86. o.

Sara in suum Abraham inuehebatur, dicens: *Iniq; agis contrà me*, Gen. 16. quia illius conniuentiâ factum putabat, quòd Agar ancilla tam contumax, & contumeliosa in dominam esset, petulantiamque famulæ hero dissimulanti adscripsit.

Si quis puerum lauantem in præterfluente videat, & præuideat submersionis discrimen, nec moneat periclitabundum, illeque suffocetur, estne is causa mortis eius, qui non aperuit periculum incauto, quòd prænouerat? S. Augustinus respondet: Si videas puerum adire periculum, cùm init aquã, nec auocas clamore si fortè abstrahere manu non potes, *tua patientia illius mors est.*

Dauid Ps. 49. grauiter laxum quendam,ignauũque, & remissum Prælatum increpat, dicens: *Si Videbas furem, currebas cum eo.* S. Pacianus legit: *Concurrebas cum eo.* Alii: *Silebas ad eum.* Concursum Philosophi vocant opitulationem Dei, quâ causarum secundarum operationem sic iuuat,vt nec sol absque illa luceret nec adureret ignis. Prælatus ergò videns subditum malè agere, & silens quid facit? Concurrit cum eo. Taciturnitas Prælati conscij vitæ sceleratæ suorum, & silentis, aut dissimulantis

lantis quidam moralis concursus est, vt licentiùs peccent, & impudentiùs delinquant.

De mercenario aiebat Christus Ioan. 10. *Videt lupum venientem & fugit.* Quomodo fugit? *Fugit silentio,* inquit Caietanus. Et S. Gregorius: *Fugit, quia iniustitiam vidit, & tacuit. Fugit, quia se sub silentio abscondit.* Prælatus silens, & absens, & inanima statua, & idolum pastoris idem sunt. Dum Herodes pro Concione diceret Act. 12. sordidi quidam palpones succlamabant, *Dei voces, & non hominis esse,* quas dabat, *& confestim percussit eum Angelus Domini, & consumptus à vermibus,* vt idola, & statuæ ligneæ consumi à teredinibus omnes solent, *expirauit.* Sed cur ille percussus, & non magis assentator populus consumptus fuit? *Quia populum non reprehenderit, neq; adulationem impiam, & insanam repudiarit, nam dum eam acceptauit, etiam ad maiorem ipsos impietatem assuefecit, atque erudiuit.* Ita S. Isidorus. Ibid 87. c. 1. & 2.

Vos estis lux mundi. Aristotelis obseruatio est, quòd lux, quamuis pertenuis sit, & velox non penetrat corpora densa, quæ tamen strepitus crassior peruadit. Quid causæ sit, apud illum vide in Problemat. sect. 11. num. 94. Mihi illud hîc percunctari libet, quamobrem quidam Doctores, Concionatores, Superiores, Confessarii, qui pro conditione, & assimulatione lucis sunt blandi, lenes, & nimis faciles ergà suos auditores, vel subditos, tam parùm boni apud eos efficiant, cùm è contrà alii, qui perstrepunt minaciis, & terrent verbis asperioribus, plurimùm promoueant? Respondeo hoc fieri, quòd homines plerique magis ducantur timore, quàm amore, vt faciliùs ad eorum animos penetret strepitus indignationis, quàm lux blanda dilectionis. Abrah. 69. c. 1. & 2. Cùm ergò Doctor, superiorque omnis debeat & amori esse, & timori, etiam debet facere, ob quæ & ametur, & timeatur. Ibid. 67. o. Non solùm lux, sed & sal debet esse.

Apud Matth. 16. c. obiurgabat Christus Discipulos suos his tam salsis verbis. *Quid cogitatis intrà vos, modicæ fidei, quia panes non habetis?* ac si dixisset: O perpusillæ & fidei, & memoriæ homines, qui non recordamini miraculi quinque illorum panum, quibus cùm quinque hominum millia saturassem, tanta fuit reliquorum fragmentorum copia, vt duodecim cophini vix ea caperent! Vt video, non intelligitis quòd de pane materiato locutus non fui, quando à fermento Pharisæorum cauere iussi. Quid ea increpatio effecit? Id, quod *tunc intellexerunt, quia non dixerat cauendum à fermento panum, sed à doctrina Pharisæorum.* Exclamat hic Euthymius: *Vidisti præmissam increpationem? Vide etiam fructū eius. Excitauit enim mentem eorum, quæ dormiebat, & intellexerunt.* Quid hinc accipimus? *Quòd non oportet vbiq; mitem esse præceptorem, sed quandoque asperum fieri.*

Sic Elias, cùm primùm se oculis vulgi permisit, perasperum, tamque subausterum exhibuit, vt non tam verba, quàm fulmina ore promere videretur, eâque ratione tanquam scuticâ quadam insolentiam populi coërcuit, vt ferè ait S. Gregorius Nyssenus.

Sic & Christus, cùm pietatem suam multis miraculorum beneficiis manifestasset, ficulneam maledicto fixit, & arefecit Matth. 21. vt seueritatem quoque suam demonstraret, indicaretque posse etiam adimere vitam, & momento, si vellet, extinguere peccatores.

Idem Dominus noster iamiam moriturus, simul & animam, & magnam vocem emisit Matth. 27. Origenes ait: *Magna facta sunt ex eo, quòd magnâ voce clamauerit.* Quænam illa magna? Velum tēpli scissum, terra mota, saxa dissilierunt, monumēta aperta sunt, mortui multi redierunt in vitam. Ita quando subditus velut mortuus est, quando durus vt saxum, immobilis vt terra, faciat Doctor, aut Prælatus, quod Christus, det magnam vocem, contractâ fronte seueritudinem indicet, & videbit magna fieri. Ibid.

Non potest ciuitas abscondi suprà montem posita. Matth. 5. Præsides Ecclesiæ dicuntur hîc Domino ciuitas. Chrysostomus apud S. Thomam in catena ait, per eam appellationem eos moneri esse solicitus de propriæ vitæ moribus, tanquam qui oculis omnium sint expositi.

Ciuitatis à pago rusticano hoc est inter varia discrimen, quod in ciuitate, qui de via lassus, & famelicus venit, obuium habet hospitium, in quod pro quiete diuertat, & cibum, quo esuriem leuet, in pago nihil tale ferè reperitur. Quod si in ciuitate nihil tale inueniretur, probro daretur loco, pago tamen earum rerum penuriam nemo dare solet vitio. Ciuitatis ergò nomine donantur Prælati, vt inde discant, quàm instructi debeant esse ab annona boni exempli, ab ornamentis virtutum, ab apparatu totius sanctitatis. Si enim secùs veniat, id non dolorem modò subditis, sed & scandalum parere potest. Abrah. 151. c. 1.

Prælati vt sunt loco, & officii dignitate aliis su-

blimiores, ita etiam virtute, ac perfectione deberent esse superiores, quia honorem sanctitas exæquare debet, Ibid. 149. o.

Abimelech arbitratus Saram sororem Abrahæ, oppetiit eam, idque etiam Deo teste, simplici corde, & tamen Abrahæ, qui dissimulauerat, quòd vxor esset, aiebat: *Quid peccauimus in te quia induxisti super regnum meum peccatum grande?* Gen. 20. Quomodo id, quod simplici corde fecit rex, & solam speciem quandam peccati habebat, & bonâ intentione tentatum à rege fuerat, peccatum grande nominatur? Hinc vide, quàm sint immania superiorum peccata, cùm sunt vera, quando etiam ea, quæ solùm videntur peccata vocantur grandia. Ibidem.

Vos estis lux mundi. Quod est Sol mundo, hoc Doctor rudibus Christi fidelibus. Sol, & homo generant hominem, inquit Aristoteles. Doctores ergò Ecclesiæ vocantur Soles mundi vt inde intelligamus, quòd sunt parentes hominum non minùs quàm homines ipsi. Nec ineptè Patres Ecclesiæ vocantur, qui sunt illius Magistri, & Doctores, quisque enim tam vocari filius illius suo modo potest, à quo secundùm spiritum eruditur ad virtutem, quàm eius, à quo secundùm carnem est genitus in vitam. PPP. 239. o.

Abraham multos habuit liberos, specialiter tamen dicitur genuisse Isaac, quia dum huic & vitam corporalem dedit, & bonos mores suâ institutione impressit, velut bis pater fuit, carnis puta, & spiritus.

Dauid Ps. 33. clamabat: *Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos.* Quos vocat? Non liberos tantùm suos, sed etiam omnes omninò homines. Ergoné omnes homines tantâ necessitudine coniunctos habebat, vt essent filii? Respondet Magnus Basilius: *Vox est magistri amantissimi, ac per viscera patria ad disciplinam inuitantis, nam & discipulus magistri filius est spiritualis, quicunque enim ab aliquo pietatis formam accipit, is profectò ab eo quasi fingitur, & in lucem educitur.*

Demosthenes cùm ita impeditus linguâ esset, vt artis Rhetorices, quam affectabat, primam literam effari non posset, vsu & exercitatione effecit, vt consummatissimus orator euaderet. Quare de illo Valerius Maximus dicebat: *Alterum Demosthenem mater, alterum industria enixa est.* Itaque & industriæ suæ quodammodo filius fuit.

Cis pater Saulis alibi dicitur habuisse patrem Ner, alibi Abielem. Itané binos habuit patres? Ner dictus fuit pater Cis, *non quòd eum genuerit, sed quòd educauerit.* Ita sanctus Hieronymus. Per suam institutionem morum formam nouam illi indidit, eâque ob causam pater eius appellatus fuit. Et iure, tam enim parentes nostri sunt, qui autores bonæ vitæ, quàm qui genitores primæ.

Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt glorificent Patrem vestrum, quicunque ea vident. Cur non ait, *Vt glorificent Deum, qui in cælis est?* Patris honor redundat in filios, & naturaliter quæritur ab eis. Cùm ergò Christus sciret, quàm vehemens sit in homine appetitus gloriæ & quòd ab omni eius concupiscentia prorsus auelli vix possit, iussit sic facere bona opera, vt cogitet in Patrem suum inde peruenire gloriam atque ex illo in se recidere, quasi putasset, quòd nec Deo bonorum operum officia deferret, nisi inter benè agendum illũ vt patrem respiceret, sciretque se vt filium ab eo haberi, qui honoris commune cum eo habeat lucrũ. Ita ferè Caietanus. PPP. 309. c. 2. Homo tam effictim amat propriam suam existimationem, tamque impotente gloriæ laborat ambitione, vt eam ne Deo quidem cedere posse videatur, nisi illum vt Patrem proprium spectet, idque simul secum reputet, quòd nihil amittat, cùm illum in communionem gloriæ admittit. Ibid.

Cætera vitia omnia solent esse infirmitates singulares, solus dominandi ambitus pestis est tam communis, vt in totum terrarum orbem sua contagia diffundat. Ibid. 308. o.

Multa, eaq; pulchra, & docta habes in eo C. de tali argumento.

Vos estis lux mundi. Omnis, qui malè agit, odit lucem. Ioan. 3. Moraliter etiam illi oderunt lucem, qui prædicatores suos benè docentes odijs, & detractionibus insequuntur. Ità ferè venerabilis Beda apud S. Thomam in catena. Nec oderunt tantùm, sed etiam metuunt, quià *non veniunt ad lucem, vt non arguantur opera eorum,* quæ S. Ambrosius apud Nouarinum sic legit: *Quærunt latibula delictorum suorum,* tam vehementer lucis aspectum, & prædicatorum obiurgationes formidant, vt præ timore sese abdant, & occultent.

Reuerà nullus meticulosior Peccatore lepus, vt nec aliquis formidabilior Iusto leo. PPP. 399. o.

Simul opulescere Isaac, & tam formidabilis esse cœpit ijs, apud quos morabatur, vt eum à terra sua profligandum putarent, & rex ipse illi exulare præciperet, dicens: *Recede à nobis, quià potentior valde factus*

factus es nobis; Gen. 26. cùm ille è contra nihil animo turbaretur ex illa expulsione.

Herodes Ioannem obtrúncari iusserat, & nihilominùs cùm varia ad illum Christi miracula perferrentur, satellitibus suis,& domesticis aulicis aiebat: *Hic est Ioannes Baptista, ipse surrexit à mortuis, &c.* Matth. 14. In quæ Euthymius: *Talis est, qui iniquus est, vt etiam mortuos timeat, & talis est, qui virtutem colit, vt pauorem, etiam post mortem viuentibus immittat.* Ibid. 400. c. 1.

Habebant Iudæi vinctos Christi Apostolos, & tamen aiebant: *Quid faciemus hominibus istis*; Act. 4. vbi Chrysostomus: *In manibus illos habebant, & dubitabant secum, quid de eis facerent. Tanta, tamq; valida res est virtus, tamq; imbecillis malitia, vt illa quidem, licèt patiatur, vincat, hæc verò etsi quid faciat, nihil proficit, nisi quòd suam prodit infirmitatem.* Ibid. c. 2.

Vos estis lux mundi. Lux mundi sol est, qui siue eclipsin patiatur, siue obiectu alicuius nubis obscuretur, in omnium statim oculos incurrit, fitq; toti mundo conspicuus qualiscunq; ille defectus. Apostoli ergò, & viri Apostolici dicuntur soles mundi, vt intelligant, suos defectus,& quantulacunque sint eorum erratula, latere non posse, sed tam facilè videri, quàm facilè Solis illius obscuratio quæuis notatur. Quanquàm hæc ita habeant, de bonis Dei seruis tamen malam habere suspicionem minimè omnium debemus, cùm neminem aliorum leuiter existimare malum liceat. PP2. 549. o.

Audiuit Laban filiorum suorum calumnias aduersus Iacob dicentium: *Tulit Iacob omnia quæ fuerunt patris nostri, & de illius facultate ditatus factus est inclytus*; Gen. 31. Audiuit, & cùm eorum maledicentiam increpare, & compescere deberet, credidit mendacio, quod toruo aspectu satis indicabat. Et qui aliquando dixerat: *Experimento didici, quià benedixerit mihi Deus propter te*, non debuit tam facilè aures præbere rumori, quem veneno inuidiæ tincta corda per summam improbitatem confinxerant.

Quærat quispiam, quamobrem longo interuallo postquam sanctum Iob tam miserè afflictum perceperant, *venerunt amici* ad eum. Respondeo: Putabant temporales ærumnas nemini, nisi, propter peccata infligi. Cùm autem sancti Iob exploratam haberent sanctitatem, tam grauiter afflictum credere leuiter noluerunt, ne simul credere cogerentur excidisse à sanctitate in peccata, atque ob ea mulctatum. Dum itaque cunctabantur credere illum afflictari, ne peccasse & flagitiosum factum etiam putare deberent, etiam cunctati sunt illum inuisere, quousq; plurimorum relationibus indubitatam haberent eius miseriam. Hæc ferè Olympiodorus. Sic ægrè de bonis mala credere debemus. Ibid. 549. c. 2. & seqq.

Vos estis sal terræ. Nihil est, quod ità soli commodo alieno natum videatur, vt sal, qui ad hoc tantùm inuentus, vt conseruandis à corruptione alijs seruiat, quod nisi faciat, sed aliundè euanescat, *ad nihilum valet vltrà, nisi vt mittatur foras; & conculcetur ab hominibus*, adeòq; etiam bestijs. Hoc ex sale mutuari debent prædicatores Euangelici, vt non curent, tametsi studio, ac labore concionandi seipsos exhauriant, & extenuent, & conficiant, vt auditoribus suis prosint. Sic Paulus frigora, nuditatem, famem, sitim, pericula quæuis gaudenter tolerabat, per quæ saluti aliorum commodabat, & libentissimè non sua tantùm impendebat, sed ipse etiam superimpendi paratus erat pro animabus Corinthiorum, 2. Corinth. 12. & cùm omnes debeamus pro fratribus animas ponere, vt ait S. Ioan. 1. epist. c. 3. tum concionatores Euangelici vel maximè.

Nec putent inanem esse operam suam, quam alijs impendunt, quià incrementum proprium nullâ arte faciliùs, magisq; industriè, solerterq; curatur, quàm si quis profectui studeat aliorum, in domo enim Dei sibi emolumenta comparat, qui alijs bona accumulat. PP2. 511. o.

Qui vltroneo mærore (siue labore) *se afficiunt ob peccata proximorum, haudquaquam per id lætitiam exinaniunt suam, veriùs auctiorem eam, & cumulatiorem reddunt*, inquit Magnus P. Basilius ibid. 512. c. 1.

Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & sic docuerit, minimus vocabitur in regno cælorum, qui autem fecerit, & docuerit, &c. Quænam illa minima mandata, quorum prætergressor nomen minimi sibi acquirat? S. Chrysost. in cat. D. Thomæ vult illa Christi mandata, *non irascaris fratri tuo, non concupisces vxorem alienam*, dici minima fortassè quia talia sint, si comparentur cum occisione, & adulterio actuali. *Qui ergò soluerit vnum ex istis minimis*, sic vt venialiter oderit, vel concupiscat, *minimus vocabitur. Qui autem fecerit*, hoc est, nec leuiter vel oderit, vel concupierit, non iam magnus habendus est, inquit Sanctus Augustinus ibidem, quià parum est non inardescere irâ, non incalescere libidine coniugis alienæ, magnus autem euadet, si fecerit,

fecerit, & docuerit quæ Christus docet, hoc est, si & dilexerit inimicos suos, & oculum, animumque prohibuerit ab aliena. Quorsum ista? Vt si quem videris nec irascentem, nec liberioribus oculis spectantem alienas, non statim de primo aspectu, aut congressu censeas illius magnitudinem, sed opera pluscula, & maiuscula expectes, quæ ipsius virtutibus fidem, actionibus existimationem concilient. PP2. 475. o.

Iustum mensem Iacob opilio tyro exegerat apud Labanum, vt hic illius mores, diligentiam solertiamque experiretur, priusquàm ei custodiendas oues absolutè commendaret, ac mercedem constitueret. Hinc disce, vt neminem simulac vides, vel pessimũ, vel optimum censeas, neque inconsulto experimento deoperum alienorum quantitate, conditioneué statim pronunties.

Noli mox Apostolum Iesu Christi dicere, quem seruum Dei putaueris, quià *non omnis, qui seruus statim & Apostolus*, inquit Primasius. Ibid. 476. c. 2.

Semel, iterùmque hortum conclusum vocabat Sponsam suam Sponsus; quià omnis generis flores & fructus in ea videbat, quibus pasceretur visus, oblectaretur olfactus, recrearetur gustus, & sensuum reliquorum quilibet suam haberet voluptatem, *Cypri cum nardo, nardus & crocus, fistula, & cinnamomum cum vniuersis lignis Libani, myrrha, & aloé cum omnibus primis vnguentis*, (Cant. 4.) erant in horto illo. *Vbi tantùm flos vnus est, quis ibi hortum esse definiat?* inquit Gilbertus ibid. c. 2. *Sic nec vna plantatio castitatis, nec vna iustitia potest horti integritatem explere*, inquit idem ibid. 477. c. 1.

Et sicut *senectam vnus crinis*, vt ait S. Greg. Nazianzenus, *non facit*, neque capularem senem eum pronuntiare possumus, cuius vnum quendam capillum prima canities inalbauit: Sic nec Sancti Antonij similem eum, qui vno die arctiùs seruauerit ieiunium, nec alterum Iobtem illum, qui semel iniuriolam quampiam æquanimiter tulerit. Ibid. 478. c. 1.

De Confessore Simplici.

V*Endite, quæ possidetis, & date eleemosynam*, Lucæ 12. S. Petrus Chrysologus serm. 22. in ea verba sic ait: *Homo, tali monito Christus te ditare voluit, non nudare*, neque solùm ditare, sed etiam à grauissimo morbo liberare. *Auri enim custos, & seruator argenti securitatem non habet, nescit quietem: Et cui deest securitas, & quies perit, pœnâ diues est ille, non censu*, maximè cùm etiam perpetuâ siti laboraret plura habendi, quæ nullo alio faciliùs extinguitur, quàm aquâ prolixæ erogationis, & eleemosynarum. PPP. 357. o.

Complacuit patri vestro dare vobis regnum. Si reges futuri sunt, quomodo iubet, vt vendant possessiones suas siue omnia bona sua, vt est apud Franciscum Lucam Brugensem, & erogent in pauperes, seque ipsos in pauperum ordinem redigant? Immò quià reges futuri erant, idcircò terrenas opes suas contemnere debuerunt, paupertas enim Euangelica facit reges, iuxtà illud: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*; Matth. 5. vbi S. Bernardus apud Nouarinum ait: *Regnum cælorum paupertate emitur.* Regius certè animus est, qui transitoria hæc calcare nouit, & vera nobilitas non est illa, quæ suam à sanguine originem trahit, quàm ea, quæ de contemptu omnis præsentis felicitatis, & virtute descendit. PPP. 241. o.

Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam; Lucæ 12. Hæc dicebat Christus discipulis suis, qui perfecti esse volebant. Sed reuerà quilibet Christianus eas vendere, & erogare in pauperes mauelit, quàm earum gratiâ litigare, & iudicio contendere. Res enim miserrima est, quod experientia quotidiana contestatur litigare, vt beatiùs sit regno amplissimo renuntiare, quàm in iudicio litigare. Abrah. 25. o.

Propterea Dominus cuidam qui cum alio controuersiam habebat iudiciariam, dicebat: *Esto consentiens aduersario tuo citò, dum es in via cum eo*; Matth. 5. nec vllam defuge conditionem tametsi onerosam, dum per eam modò euitare litem possis. Quantumuis enim tua causa triumphet, plùs lucri facies, si desertâ lite perdas, quàm si contendens quæstum aliquem facias. Maximum quippè lucrum est, euasisse tædia, pœnales dubiorum euentuum expectationes, & innumeras animi anxietates, nec in bonis recenseri bona debent, quæ per tot mala tardè, ægrè, & sæpè malè parantur.

Addebat Christus ibidem v. 39. *Ego autem dico vobis, non resistere malo.* Quis ille malus? Quidam eum esse volunt, qui velit eripere bona per litem. Chrysostomo malus ille diabolus est. Ex vtraq; hac sententia fit, malum, cui non resistere Dominus consulit, litem esse, & cacodæmonem, & vtrumque horum idem esse. Ibid. 25. c. 2.

S. Petrus Damianus ait de Aduocatis, eos non minùs prouidere generi humano, quàm si clypeis, thoracibusque se, patriamque propugnent. Armatum hîc pingit aduocatum. Quamobrem? Quià

ad

ad tribunal pugnatum vadit, tamq; bellum est, quod ibi agitur, quam quod ruri geritur. Ibid. 26. c. 1.

Dauid perdiu regnum ad se pertinens reliquit Isboseth, ne litium concertationibus repetere cogeretur. Ibid.

Sint lumbi vestri præcincti: Duplices lumbi sunt, alij carnis, alij mentis. Quare 1. Pet. 1. dicitur: *Succincti lumbos mentis vestræ sobrij perfectè sperate, &c.* Vtrosque debemus succingere. *Lumbos autem carnis succingere, est luxuriam ab effectu refrenare. Lumbos autem mentis succingere, est hanc etiam à cogitatione restringere.* Ità S. Greg. lib. 21. Mor. c. 2. Mentis verò, seu cordis lumbi ante omnia coërcendi, quià è corde tanquàm fonte scaturiunt cogitationes immundæ, è cogitationibus opera impura, vt primordijs malorum statim occurratur, & peccatum in herba radicitùs succidatur: Nam si crescere sinas, ità inualescit, vt consuetudo necessitatem pariat. Abrah. 28. o.

Peccauit Adam, & mox à prandio, *ad auram post meridiem,* inquit Sacer Moyses, aduenit Deus, *& ne modicum quidem distulit* (vt loquitur Chrysostomus) *sed ad opitulandum festinauit, vt ne dum grassaretur vlcus, fieret incurabile vulnus, præuenitque, & accelerauit, & velociter crescenti vulneri adfuit.* Ibid. 29. c. 2. *Plurima in hanc rem subministrabunt loca ad finem illius cap. subnotata.*

Sint lumbi vestri præcincti. S. Petrus Chrysologus in ea verba sic ait: *Dominus lumbos nostros astringi iubet baltheo castitatis.* Castos ergò vult eos habere Deus, qui militare ipsi volunt. Meritò illud: Nam si sæcularia castra non casta facilis excipit interitus (Abrah. 46. o.) spirituale cum vitiis bellum multò minùs feliciter agere potest, qui non est castus, sed luxuriæ succumbit.

Sint lumbi vestri præcincti. De militiæ spiritualis cingulo hæc non pauci intelligunt, vt veluti milites, qui ad bellum vadunt, præcingunt sese, quo sint expeditiores, ita qui pugnam contrà vitia sacram aggrediuntur, omnia de medio impedimenta submoueant. Bonum est autem citò assuescere armis militiæ sacræ, vt ferendi molestiam consuetudo leuet, tolerabilioremque faciat. PP2. 452. o.

Sint lumbi vestri præcincti. S. Petrus Chrysologus serm. 24. ait: *Dixisse suffecerat, estote præcincti, cur lumbos potissimùm nominat? Cur tantâ iubentis reuerentiâ lumborum facit magnoperè mentionem? Quaeris quare? Quia in lumbis est tota corporis causa, ex lumbis tota carnis negotia suscitantur, in lumbis tota est humani lapsus, humanæ fragilitatis occasio.* Hæc ille. Lumbos ergò vel maximè succingere iubemur, quia inde plurima nobis mala profluunt. Ibi autem maiore auxiliorum vi succurrendùm, vbi grauiores necessitates opem enixiùs inclamant, & postulant. PPP. 278. o. Neque nostris tantùm, verùm etiam aliorum maioribus malis maiore ope subvenire debemus, sic vt vbi plures simul concurrunt necessitates, grauiorem ante omnia depellamus calamitatem.

Rex pœnitens ait: *Misericordiâ Domini plena est terra,* Ps. 118. in quæ S. Ambrosius: *Fortasse dicas, quâ ratione non dictum est,* Misericordiâ Domini plenum est cœlum? Respondet autem: *Licèt auxilio Domini fulciantur etiam cælites, tamen non tantâ eius indigent misericordiâ quantâ ea, quæ sunt inferiora, ac terrena, non enim illi carnis in volucro vestiuntur, in qua est frequentis erroris illecebra.* Ad iuuandos homines vim sui brachii magis exerit Dominus, quàm ad opitulandum Angelis, quia illi auxilio eius magis quàm hi opus habent. Ibidem 278. c. 1. & 2.

Sint lumbi vestri præcincti. His verbis ex Theophylacto apud S. Thomam in catena talis subest sensus: Estote *semper proclives ad exequendum opera Domini nostri, & cincti lumbos sunt, qui practicâ exequuntur, nam talis est ministrantium habitus.* Vult ergò Dominus seruos suos laboriosos, non pigros, non ignauos, non mollicellos, non dissolutos, sed tam impigros, & strenuos, ac serios operarios, vt fluxas etiam vestes cingulo collectas habeant, ne quod operandi studio impedimentum adferant. Non sunt ergò in seruis Dei, qui mollem in delitiis vitam agunt, & corporis fluxas consectantur voluptates, ii enim quantulocumque mox franguntur labore, ac de vita mox timent, si qua illis ex re etiam leui, & exigua obueniat molestiola. PPP. 335. o.

De Agar sic ait sacer Scriptor: *Affligente eam Sarai, fugam iniit,* Gen. 16. Nihil durius, quàm par erat, in suam ancillam Sara statuebat, ancillæ tamen intolerabilis videbatur qualiscunque heræ suæ obiurgatio, vt cùm ferre non posse putaret, fugâ se proriperet. Habent hoc qui magnos habent spiritus, vt omnem defugiant disciplinam, & grauem putent omnem iussionem. Ita ferè Abulensis.

Angeli, qui cum Iacob colluctabatur, corpus erat phantasticum, & fictitium, & membra nil nisi leuis, & densior aër, & pauculas tantùm horas corpus illud qualecunque gestârat, & tamen, *colluctatus homini toto corporis pondere dimitti desiderabat*

ab

ab eo, à quo detinebatur, vt loquitur Tertullianus. Quia cùm esset purus spiritus, & pondera ferre nunquam solitus, onera corporis quamuis aërei, & leuissimi circumferens, tanquam lassitudini obnoxius esset, sic angi, & afflictari, defatigarique videbatur, vt abeundi, abiiciendique ponderis gratiam vehementer obsecraret. Sic ii, qui totam in lautitiis suauiter exegerunt vitam, quolibet aëris aspiritu facilè offenduntur. Omne frigus bonam eorum valetudinem lædit, quilibet calor eos suffocat, quælibet infirmitas, ærumna, pœna deiicit, frangit, mactat, &c. Ibid. 337. c. 1.

Propterea Vegetius affirmabat, aptiores esse bello eos, qui ruri inter glebas nati, duris laboribus à pueritia assueuerunt, quàm homines vrbanos delicatè vestire, & lautè viuere solitos. Ibid. 338. c. 1.

Propterea & Esau, qui lautis bucceis, & perdicum, leporum, turdorum, taliumque cupediarum esui assueuerat, cùm exiguam famem post venationem sentiret, has cœlo, & fratri voces dabat: *En fame morior*, tanquam sepulchrum sibi parari rogasset. Ibid. 338. c. 2.

Lucernæ ardentes in manibus vestris. Inter alias sacras, & cum Ecclesia natas cæremonias, quæ ad baptismum adhibentur, sunt hæ, quòd baptizandus oleo inungitur, & candela accensa ei in manus datur, fortè vt ad lumen illud videat se paulò post moriturum, & non solùm lucernam ardentem in manibus habeat, sed etiam oleum in vase, vnde lampadem suam nutriat, ne extinguatur, neue imparatum illum inueniat sponsus, quando ad nuptias venit. Quemadmodum ergò quòd Magdalena Christum morti proximum vnxit, hoc ad sepeliendum illum fecit: Sic Christiani baptizandi, & baptizati *vnguntur, & efficiuntur Christi ad recordationem eius, qui vnguenti vnctionem pro sepultura sua habuit.* (ita ferè S. Iustinus Martyr apud Rmũ Nuzam homil. 31. n. 26.) Et velut iamiam morituris accensa candela in manus datur, sic & recèns baptizatis, vt inde à baptismo ipsam mortem ob oculos habeant, quemadmodum habent, qui extremùm vncti, & candelam in manibus habent.

Qui sic mortem meditatur, & mortis scuto obarmatur, is tam securus viuit, vt nec ab hoste attingi, nec feriri ab aduersario quopiam timere debeat. PPP. 351. o.

Iugis *hæc cogitatio salutare quoddam amuletum est aduersùs quodcunque peccatum*, inquit S. Basilius Magnus ibid. 353. c. 1.

Dauid se liberatum aiebat *ab incursu, & dæmonio meridiano.* Hæc alii vertunt: *A morsu insidiantis, insanientis meridie.* Alii: *A peste, ab exitiali morbo.* Alii: *A plaga, & conclusione.* Alii: *A morbo immedicabili.* Quale illud dæmonium meridianum? *Meridies vmbrâ caret, sole lucente super verticem.* Ita S. Greg. Nyssenus. Vmbra dicitur ipsa mortalitas. Vt enim vmbra videtur corpus, & non est corpus: Sic mors talem reddit hominem, vt videatur homo, & non sit homo; dæmon ergò meridianus est, qui adimit vmbram, siue recordationem mortalitatis. Et à tali dæmonio fuisse liberatum, id Dauidi perinde fuit, ac si à rabidi canis lethali morsu curatus, vel à peste, & exitiali, & immedicabili morbo sanatus esset. Reuerà nullum manifestius, magisque præsentaneum discrimen, quàm id, in quo ille versatur, qui vitam sibi promittens longiorem, mortis omnem deponit cogitationem. Ibid, 353. c. 2.

Et lucernæ ardentes in manibus vestris. Quare Christus vult seruos suos habere lucernas ardentes in manibus suis? Dixit quidam argutulus, tam puros sceleris debere esse seruos Christi, tam mundos ab omni peccati labecula, vt maiora eis obtrudere errata nec inuidentissimus, ac maleuolentissimus possit, quàm intermissam lotionem manuum ante sumptionem cibi. Et quoniam homo, quantumuis excultam & perpolitam habere animam putat, semper tamen inuenit, quod emundet, emendet (PP2. 650. o.) si ad lumen rectè, attenteque se aspiciat, idcircò debet semper habere in manibus lucernas ardentes, ad quarum fulgorem videat, quidquid in se obscurum habet.

Este *similes hominibus expectantibus dominum suũ.* O quàm molestum accidit homini vigilare, & expectare dominum, quem tametsi venturũ certò nouerit, quando tamen venturus sit, minimè scire queat! Pœnalius tormentum est animi pendere, quàm duro ligno fixum hærere. Abrah. 178. o.

Sanctus Daniel quondam languit, & ægrotauit per dies. Causam ægrotationis eam dicit fuisse, quòd stuperet ad visionem, & non esset, qui interpretaretur. Dan. 8. Bestias viderat, earum mysterium illi Angelus quidam enudârat, sed non totum, quia *reges audierat, & eorum nomina nesciebat, futura cognouerat, & quo tempore futura essent, dubius fluctuabat*, inquit S. Hieron. Hoc illum languidum, infirmumque reddebat. Quomodo ergò sine languore expectare illi suum dominum possint, quẽ venturum sciunt, sed quando illud, nesciunt?

S. Ambr. ait, esse reos, qui mori malint, quàm diu

diu dubii pendere, quis causæ eorum futurus sit euentus. Et videtur illi in his fuisse Dauid, cùm ait: *Iudica iudicium meum, & redime me, propter eloquium tuum viuifica me*, Ps. 118. velut dixisset apertiùs: Vnum te magnum in modum, Domine, oro, & obsecro, vt causæ meæ finem verbo imponas, quamdiu enim suspensus, timidus & incertus, quem res mea sit habitura exitum, hæreo, acerbiorem vitam duco, quàm captiuus, qui sit alioquin miserrimus. Ergò *propter eloquium tuum viuifica me*, quod feceris, si me perplexum vitâ sui finis tam dubiâ exueris. Nouæ vitæ me tibi debitorem constitueris, si ab hac tam ambigua exemeris. Qualis ergò vita eorum, qui dominum, cuius omninò incertus aduentus, dubii præstolari iubentur?

Qualis agricolarum, quæ *tota est*, quod aiunt, *vlcus, semper paratam doloris habens causam, nunc quidem siccitatem, nunc pluuias, nunc vredinem, nunc rubiginem, nunc vel æstum intempestiuum conquerens*, vt est apud Platonem. Sic expectabundorum vita inter formidinum, dubitationumque scopulos fluctuans *tota vlcus est*, & immortalem in animo vermem timoris perpetui nutriunt, qui cômorficandi nullum finem facit.

Idem S. Ambrosius existimat, nihil esse post damni, & sensus pœnam, quo acerbius Deus cruciet dæmones, quàm quòd illos incertos, dubiosque habeat, quid de pœnis eorum futurum, & an aliquando augenda supplicia. Non vult diabolum scire dolores, quos aliquando sentiet, *ne aliquando securus sit*, & hoc interim intolerantissimè ferat, quòd nesciat, quid posthæc feret. Quàm miseri ergò, qui scire nequeunt, quando veniet dominus, *ne aliquãdo securi sint*, & quasdam dæmonum pœnas velut dependunt!

Simili supplicio addixit Deus Abraham. Dicebat illi. *Tolle filium tuum*, cùmque duos haberet, vtrùm tolleret, hæsitabat. Dicebat iterum: *Tolle filium tuum vnigenitum*. Duo illi ex duabus vxoribus vnigeniti erant, quem horum immolaret, nesciebat. Dicebat rursum: *Tolle vnigenitum, quem diligis*. Ambos charos habebat, itaq; quem Dominus mactatum vellet, dubium illi manebat. Quare illum tamdiu animi pendere, quare tam crebris dubitationibus exagitare, & affligere voluit? *Vt maiorem haberet mercedem*, vt quo acerbiùs cruciabat, eò amplius, opulentiusque prœmium illi pro constante tolerantia rependeret. Hanc eandem ob causam voluit Deus seruos suos incertè sui aduentus dubiâ expectatione torquere, vt remuneraret posthæc copiosiùs. Hanc ob causam voluit suum Bertrandum perpetuò lugere, & flere, dubiumque esse, damnarinè deberet, an saluari, vt deinceps affluentiore consolatione perfunderet.

Beati serui illi, quos cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes. Quare beati? Quia illi Dominus posthac *præcinget se, & transiens ministrabit illis*, quos habuit vigiles ministros. Magna remuneratio, quæ omnem hominem, qui non prorsum torpeat, excitare queat, vt lubens somno pro Deo renuntiet, sed ampliùs præmium addicitur prudenti, & fideli dispensatori, qui suprà familiam Domini constitutus sit, vt det illis in tempore tritici mensuram, quia hunc super omnia bona sua constituet. Caietanus monet videre disparitatem præmii constituti his, qui ad fores excubent, confestimque aperiant, & iis, qui totam familiam gubernant. Hinc autem dispensatorem ampliore mercede remunerat, quàm vigiles seruos, quia operosius est totam domum gubernare, quàm vnius portæ custodem esse.

In domo autem Dei beneficia trutinantur ad pôdera officiorum, & quanta est inter bonos Doctores distantia meritorum, tanta & præmiorum. Abrah. 130. c. 1.

Ergà omnes, vniuersùm illos est prolixior Deus, qui diligentiùs illi seruiunt. Ibidem 129. o.

Beati serui, quos inuenerit Dominus vigilantes, quia præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. S. Petrus Chrysologus serm. 24. in hæc verba sic disserit: *Præcinget se Deus, & faciet seruos discumbere, & ministrabit eis. En mutatio inaudita rerum! En pauenda conuersio seruitutis! Quia parumper seruus in domini sui expectatione succinctus, & sustinendi finem breui fatigatione portauit, vt talionem reddat, discumbenti homini Deus astat, & astat in cælestibus, & epulanti seruo seruit Dominus, & seruit accinctus, & pueris suis, ministris suis ministerium facit Christus, & facit in patris iam gloria constitutus*. Hæc ille. Quanta dignitas creaturæ, habere à suis officiis creatorem! Quanta beatitas serui, seruum habere illum, idque in cœlis, qui sit rerum omnium supremus Dominus! Et quâ re felicitas tanta comparatur? Breui fatigatione, temporariâ expectatione in terris. Verè tam exiguo acquiritur, vt velut inuenisse in compitis, aut furto accepisse videatur, quisquis eam consequitur. PPP. 267. o.

Theophylacto verisimile videtur, quòd Ioseph, cùm diues esset, aurum dederit Pilato pro corpore IESV. Facinorosi, ac turbulenti hominis opinio-

nem habebat Dominus apud Iudæos, quando in cruce obiit. Perarduum ergò fuit, honorifico sepulchro illum à morte inferre: Hæc autem difficultas solo auro auferri potuit, quod est aries, quo obfirmatissimæ portæ sternuntur. Pro magno auro ergò datum est corpus IESV Iosephti, *nam cùm vt seditiosus esset occisus, reliquum erat, vt insepultus abijceretur*, inquit ferè Theophylactus. Sed quomodo hoc cohæret cum illo, quod Marcus ait: *Pilatus donauit corpus Ioseph*? Si donauit, gratis dedit, quod & Græcum verbum apertè indicat. Si gratuitò dedit, quomodo pro auro? Tam ingens erat illius diuinissimi cadaueris pretium, vt gratis dono accepisse Ioseph dici queat, quantumuis illud auri sit, quod pro eo erogauit, ac velut inuenerit, tametsi etiam totius mundi copiis sibi comparasset. Ibid. 269. c. 1. & 2.

At cùm homo pius tam exiguo sibi nundinetur immensas cœli diuitias, peccator momentaneam voluptatulam, ô Deus, quàm magnis sumptibus parat! Dicere potest infelix quisque damnatus illud Ionathæ: *Gustans gustaui in summitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum mellis, & ecce morior.* 1. Reg. 14. Vide hoc pulchrè expensum ibid. 268. c. 1.

Beati serui illi, quos cùm venerit dominus, inuenerit vigilantes. Beati autem non solùm propter futuram remunerationem, verùm etiam propter præsentem conditionem, nempè qui vni tantùm Domino seruiunt.

Non sine causa Moyses, cùm legem promulgaret, aiebat: *Audi Israël, & obserua, vt facias, quæ præcepit tibi Dominus*, & immortali Deo immortales pro insignito datæ legis beneficio gratias age, atque vt non grauatè illi seruias, *audi Israël, Dominus Deus noster, Dominus vnus est*, qui si aliud nihil haberet boni, quàm quòd vnus est, id satis esset vt perlibenter facias, quidquid ille imperat. Pulchra est in hanc rem commentatio Oleastri quæ sic habet: *Considera, ô homo, à quot laboribus nos Deus eripuit. Difficile est multis Dominis seruire, quantò magis multis diis? Ne ergò labores in multorum deorum tam diuersa poscentium cultura, ostendit tibi Deus tuus suam vnitatem. Nemo, ait Christus, potest duobus dominis seruire, minùs duobus, aut pluribus diis, quos triginta millia in orbe fuisse historia prodit. Vide ergò quomodo pauper homo, qui vni Deo vix sufficit, posset triginta millibus ministrare.* PP2. 659. c. 1.

Adorare, & confiteri Deum, qui vnus sit, non solùm magis est salutare, sed etiam minùs laboriosum. Ibid. 658. o.

Beatum pronuntiat eum, non quem inuenerit antehac vigilasse, sed tunc, cùm venerit, constanter, perseueranterq; vigilantem. Sic & Lucæ 12. dicitur beatus futurus seruus, quem cùm venerit dominus eius, inuenerit ità facientem, hoc est, domesticis suam annonam in tempore ministrantem, quià perpetuæ quietis, & immortalis beatitudinis laurus non est strenuè incipientibus constituta, sed perseuerantibus, & pensum bonæ operationis constanter absoluentibus præparata. Non enim qui diu benè vixit, saluus erit, nisi & bonis actibus immortuus fuerit. Abrah. 12. o.

Et si in secunda vigilia venerit, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit. In quatuor vigilias nox olim diuidebatur, & quælibet vnam ætatem vitæ humanæ signabat, prima puerilem, secunda iuuenilem, tertia virilem, quarta senilem. Ita Magnus Greg. apud S. Thomam. Cur ergò quartam (vt de prima nihil dicam) hic prærerit? Cur non dicit: *Et si in quarta vigilia venerit*, & senem decrepitum inuenerit vigilantem, & operibus pœnitentiæ inuigilantem? Eò quòd rari sint, qui in curuam senectam reliquerint studium bonorum operum, ac tum demum seriam serò pœnitentiam agant. Nihilominùs *qui in secunda vigilia vigilare noluit, tertia vigilia remedia non amittat, & qui conuerti in pueritia neglexit, saltem in tempore iuuentutis, vel senectutis resipiscat.* Sic B. Gregorius iterùm apud eundem. Nam tametsi rari sunt pœnitentes senes, non tamen nulli.

Certè si nulli essent pœnitentes seri, cur impiger ille, ac solicitus paterfamilias ad singulas horas excurrisset conductum operarios in vineam suam, primoque mane, & horâ tertiâ, & sextâ, & nonâ, & vndecimâ adeò, hoc est, extremâ forum omne percursasset, vt vineæ suæ cultores sibi compararet? Si aliquam ætatem Dominus iudicaret conuersionis remedio ineptam, non diuersis temporibus operarios vocaret ad vineam. In diuersitatem quippè horarum non incongruè accipitur ætatum diuersitas, ita vt ætas puerilis accipiatur in mane, pubertas in tertia, iuuentus in sexta, grauitas declinantis ætatis in nona, & in vndecima similis ipsa nouissima. Ita S. Fulgentius. PPP. 393. & seq.

Deniq; humana terra nulla tam sterilis, nulla tam infœcunda, vt ferre pœnitentiæ fructum non possit. Ibid. 391. o. *Habes in hoc capite multa, quibus in bonam spem erigere pusillanimes possis.*

Si

Si sciret paterfamilias quâ horâ fur veniret, vigilaret vtiq. Quid ergò faciet homo, qui horam mortis suæ quidem ignorat, scit tamen, quòd truculentus animarum latro diabolus, cùm alioquin semper circumeat quærens quem deuoret, tunc maximè ferociat, & in illam horam seruet omnem solertiæ suæ astutiam, & ingenij vafriciem totam? PP2. 537. o.

Aduersarius noster non quiescit, & in nostrum perniciem hostis interitum obsidet omnes vias nostras, egressusq́, & aditus omnium diligenter explorat, vnius cuiusque vestigiis comes indiscretus affigitur, ac sepes egressibus nostris obijcit, & pedibus interserit, vt in plano quoque latentem salebram malè cautus offendas. Ita S. Paulinus pulchrè, perque eleganter.

Nihil est in hoc capite, quod vtilissimè dicere pro concione prædicator queat.

Quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet. Trita est illa inter sacros Expositores interrogatio, quamobrem nobis Dominus sui aduentus horam voluerit esse ignotam. Magnus Gregorius ita respondet: *Horam vltimam idcircò nobis Dominus voluit esse incognitam, vt dum illam prauidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur.* Hæc ille in cat. aur. S. Thomæ.

Politici ergò Christiani potissimum illud esse debet, vt ad eam sese benè disponat horam, ex qua omne illius bonum, malùmuè pendet, maximè cùm post redditas semel supremo Iudici rationes, tam nulla sit reliqua ad aliud tribunal prouocatio, quàm nullus in eius sententiam potest cadere error. PP2. 527. c. 2.

Quod semel factum malè, non habet remedium, quo curari possit, aut corrigi, id priusquam fiat, diligentissimè considerandum, quomodo rectè fiat. Ibid. 525. o. Cura ergò vt bonâ morte hinc abeas, quia malum æternum sequitur.

Suam autem saluationem ita quisque procurare, & quærere debet, vt cogitet, quòd ipse saluus fiat, siue damnetur, id tantundem esse, quantùm si totus mundus saluus fiat, aut damnetur. Ibid. 528. o.

Estote parati, quia quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet. Quibus hoc dicitur? Apostolis, illis à Christo ad omnem sanctitatem institutis. *Et vos*, aiebat illis, *estote parati.* Etiam his voluit esse incertam sui aduentus horam, & incognitam, vt dum illam præuidere non possent, ad illam sine intermissione se præpararent, vt ferè loquitur Magnus Gregorius apud S. Thomam. Quòd ergò homines flagitiosi in illa hora benè sperare volunt, vbi sancti iubentur timere, desperatio est, quam versutus dæmon fiduciæ specie colorat. Abrah. 183. o.

Abraham iussus filium suum in monte immolare, ligna in holocaustum concidit, neque tamen ligna illa in syluã, quod aiunt, tulit, quia fortè in loco immolationis ligna non inuenisset & si præfiso non ea contulisset, forsan delusum se vidisset, quando id minimè sperasset. Ita qui ad mortem pergimus, ligna iam concisa, hoc est, quæcunque ad illam feliciter obeundam spectant, conferamus, certi quòd ibi non reperiemus, quæ hîc non parauerimus. Hoc timuerunt etiam illi, qui à primis ætatis maturæ horis vsque in curuam senectam id vel solùm, vel maximè egerunt, vt se quanto maximo possent studio ad sanctùm obitum, & abitum compararent.

Apud Lucam quidam nocte mediâ rogabat amicum (is Christus est) vt panes daret commodatò. In cubili, hoc est, cœlo positus, recusabat dare panes, dicens: *Pueri mei mecum sunt in cubili.* Ergoné solos pueros in cœlis habet Deus, & non alios adultiores palatinos? Pueri cum Deo regnare feruntur, vt intelligamus, eos, qui à primis pueritiæ annis ad postremam mortis horam se præparant, maiorem, securioremque obtinendæ beatitudinis spem simul sibi parare. Ita ferè exponit S. Gregorius Nyssenus.

Dictum fuerat Petro: *Priusquam vocem gallus bis dederit, ter me es negaturus.* Marc. 14. Negauit Petrus semel, & iterùm, gallusque statim succinuit negationi, sed galli signum Petrus vix tandem, cùm tertiò negasset, recordatus fuit. Quid tam serò? *Dictum verbum præ timore exciderat*, inquit Euthymius. Tam multi Petrum exagitabant, & hinc quidem garrula ancilla accusabat, illinc barbari ministri vellicabant, & infestabat, vt quanquam verba Christi, cum singulari affectu ab illo prolata plurimam mererentur considerationem, & gallus semel cantaret, ille tamen nec recogitaret Domini commiinationem, nec audiret galli cantum primum sic illi metus, vexatio, turbatio animum distraxerat, & memoriam omnem ademerat. Si Petrus tam citò & verba Christi, & suæ negationis signa oblitus fuit, quòd à multis hominibus inter quos versabatur, incursaretur: Quomodo tu vis tui satis compos esse in hora mortis, quando tametsi fortè phrenitis (quod sæpè fit) neque auferat memoriam, neque adferat delirium, peccata tamen accusant, dæmonia exagitant, mundus vocat, curæ angunt? Rationis iudicium vel nunc corruptum habet, quem spes tam in-

certa lactat. Ibid. 184. c. 2. *Hæc Vtiliter Vbiuis inculcaueris.*

Vigilate, quia nescitis quâ horâ Dominus Vester Venturus sit. Hæc vna causa est, quare insomnem, quantùm fieri potest, vitam exigere debeamus. Altera ista, quòd hostem habemus & vaferrimum, & truculentissimum, & potentissimum, & exitio nostro æterno continuè inuigilantem. *Vigilandum omninò, & somnus ab oculis auferendus*, inquit S. Petrus Damianus, *quia latrones multi obsident iter nostrum toxicatis missilibus formidandi, nullum prorsus intentatum transire sustinentes. Diabolus ita inexorabile odium aduersùs nos exercet, Vt nunquam ab eo inducias Vel in ictu oculi potuerimus extorquere.* PP2. 622. c. 2.

Cui cum inimico semper vigilante res est, is nunquam dormire debet, sed in maxima tranquillitate, & securitate periculosissimum bellum timere. Ibid. 622. c.

Candelabrum illud vetus aureum posuit Moyses in tabernaculo testimonij è regione mensæ panum propositionis in parte australi, quæ ex opposito Aquilonem spectabat. De hoc candelabro ait Origenes: *Istud candelabrum in austro collocat, Vt ad Aquilonem respiciat.*

Cùm istud candelabrum Symbolum esset vigilantiæ, cur sic collocatum fuit, vt Aquilonem magis, quàm aliam partem respiceret? Causa similis est ei, ob quam Dominus vult nos lucernas ardentes habere in manibus nostris, vt ad earum lucem attendamus ad malum, quodcunque nobis ab Aquilone, à quo omne malum pandendum Ieremias aiebat, hoc est, à diabolo adferri potest. Candelabrum ergò è regione Aquilonis fuit positum, & lucernas ardentes præferre iubemur, quia *accenso lumine, id est Vigilāti corde respicere sēper debet* homo *ad Aquilonē, & obseruare eū, qui ab Aquiloneest, ab Aquilone enim accenduntur mala Vniuersæ terræ. Vigilans ergò, & solicitus, & ardens intueatur semper astutias diaboli, & semper aspiciat, Vnde sit Ventura tentatio, Vnde hostis irruat, Vnde inimicus obrepat.* Ita Origenes Ibid. 624. c. 1.

Perpulchrè Tertullianus docet, qualis debeat esse habitus corporis, forma vultus, & gestus Christiani patientis, dicens: *Os taciturnitatis honore sit signatum, color qualis securis, & innoxijs.* Quid præterea requirit à Christiano quàm patiente, tam taciturno, tamq; hilari vultu, quàm is esse possit, qui neque alicuius sceleris est sibi conscius, neque hostem, quem timeat, vllum habet? An permittit, vt dormiat? Aut in otio degat, omniq́ue solicitudine vacuus dormiat? Nequaquam, sed *motus frequens sit capitis in diabolum, & minax risus*, ait, tanquam dixisset: Tametsi patientia securitatis suæ conscia sit taciturna, & muteat, & tam sereno sit vultu, quàm timoris experte animo, nihilominùs caput identidem obuertit ad cacodæmonem, eiq́ue sic arridet, vt minas per eosdem oculos simul intentet. Itaque non satis est patientiæ suæ æquanimitas, neq́ue sufficit, quòd inter eundum semel caput obuertat, intentisque oculis oculos dæmonis obseruet, vt se ab illius insidijs seruet, sed multò sæpius obuertere debet caput, quàm mouere pedem, cùm videat nullam sibi promittere posse quietem, nullam non timere cladem ab eo, qui tam infensum, infestumq́ue habeat inimicum, &c. Ibid. 624. c. 2.

Cùm nobis præcipit Dominus, quæ ipsi sunt grata, id facit, quia nobis sunt commoda. Amat Dominus vigilias, ipse tam peruigil custos noster, vt non dormitet vnquam, neque dormiat. Quòd autem eas nobis commendat, id solo profectus nostri desiderio facit, cùm ipse vigiliarum nostrarum minimè sit indigus. Apud Matth. 26. Dormiebant tres Discipulorum charissimi, cùmq́ue eorum somnolentiam semel, & iterùm increpasset, deniq; sub ipsum tempus aduentantis cum manu militum Iudæ aiebat: *Dormite iam, & requiescite.* Itané verò tunc somno se traderent, quando vigiles hostes cum armis instabant? Iussit eos tunc dormire, quando pro magistro vel maximè vigilare debuisse Discipuli videbantur, *ostendens quòd opus non habebat illorum subsidio*, inquit Theophylactus. Nunquam aliquid nobis mandat Dominus, quòd officijs nostris egeat, sed quòd nos amet. Abrah. 6. o.

Prudentes, vnaque fatuæ Virgines perdiu expectârant Sponsum, & Sponsam, vt cum eis optatas intrarent ad nuptias, sed longioris expectationis tædio fractæ dormitàrunt aliæ, aliæ etiam profundiore somno oppressæ dormierunt. Vt ne dilatio aduentus Sponsi, ac Sponsæ, nuptiarumq́ue eas frangeret, & affligeret, illud facere poterat, si non desideria sua, sed merita, non beatitudinem, quam suspirabant, sed quàm indignæ eâ essent considerassent. Abrah. 82. o.

Sic & Sara potuisset æquanimiùs expectasse suæ fœcunditatis tempus, si maiorem suorum meritorum, quàm desideriorum rationem habuisset.

Christus exiguum vocabat tempus, quo in passione abfuturus erat, dicens: *Modicùm, & iam non*

Videbitis.

Videbitis me; Ioan. 16. S. Bernardus Serm. 74. in Cant. ait: *Pie Domine, modicùm dicis, quòd non videbimus te? Saluum sit verbum Domini mei, longum est, & multùm valde nimis.* Certè horaria eius absentia totis, iisque plurimis sæculis prolixior visa fuit Matri eius Sanctissimæ, & Discipulis, & omnibus, à quibus verè amabatur. Quomodo ergò modicum tempus appellauit Christus, cuius singula momenta cuiuis Deum amanti animæ totis sæculis paria visa sunt? Respondet Doctor mellifluus: Vtrumque verum, nempè quòd & modicum fuit illud tempus, & non modicum, modicum meritis, & non modicum votis.

Sic Messiam, quem Iudæi olim vehementer suspirabant, Prophetæ citò venturum dicebant, qui annis quingentis pòst venit, inquit Pius II. Quomodo citò venturum asserebant, qui tot sæculorum ætates tardabat? Respiciebant Prophetæ non anxia istorum populorum desideria, sed merita, & quoniam hæc perexigua erant, citò veniebat, quantumuis tardaret Messias.

Sic & Habacuc aiebat: *Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.* S. Bernardus vbi suprà rursùm quærit: *Quomodo non tardabit, si moram fecerit, nisi quòd ad meritum satis est, & non satis ad votum?* Cunctantiùs in preces nostras sæpè descendit Deus, quàm vellemus, sed non seriùs, quàm mereamur.

Isaac, quod Chrysostomus affirmat, & probat, viginti annis perseuerauit orans, ac deprecans Deum, vt Rebeccam sterilitate suâ leuaret. Tamdiu constanter in vna oratione perdurare non potuisset, nisi hoc, quod optabat, ad lucem suæ indignitatis petiisset. Sic vt seram obtentionem eorum, quæ cupimus, æquanimiter toleremus, figamus oculos in nostra merita, & non in desideria, vt non obdormiscant. Ibid. 83. & 84.

Dormitauerunt omnes. Ergò etiam prudentes. Vtique. Nec enim contrà prudentiam est, somno refocillare fractas corporis vires. Immò sapientia est, honestâ recreatione nonunquam relaxare arcum spiritus, ne nimiùm tensus rumpatur. Abrah. 78. o.

Quinque autem ex eis erant fatuæ. Quare fatuæ dictæ istæ quinque? Quia cùm virginitatem seruassent, non sumpserunt oleum secum, hoc est auaræ fuerunt, & miserias inopum per eleemosynas leuare neglexerunt.

Chrysostomi, & Euthymii in hanc rem commentatio sic habet. *Oleum vocat eleemosynæ virtutem. Has ergò meritò stultas vocauit, quæ cum acrem, ac vehementem corporis amorem*, quo sexus alter in alterum inflammatur, *deiecissent, maioremq; sustinuissent laborem, tenacitate deuictæ sunt, illud enim bellum violentius est, magisq; tyrannicum.*

Potuit Filia Iephte à se impetrare, vt necem sibi à patre inferendam non curaret, sed hilariter excipere parata esset, quòd tamen virgo, & innupta moritura esset, quin id toto bimestri non suis tantùm, verùm etiam mutuatitiis multarum aliarum virginum oculis deploraret, facere non potuit: Tantò vehementior est in virgine nubendi, quàm viuendi appetitus. Quàm insanæ ergò fuerunt quinque illæ Virgines, quæ cùm istam nubendi concupiscentiam perdomuissent, vilis pecuniolæ amorem vincere non potuerunt, & succubuerunt, imbecillo hosti, cùm potentissimum subegissent! Abrah. 199. c. 2.

Quisquis maiora præstat, & intermittit minora, tolerat grauiora, & non fert leuiora, is vel ingenij inopiâ, vel infirmitate voluntatis laborat. Ibid. 199. o.

Cassianus aiebat: *Nonnullos mundi huius maximas facultates, & non solùm multa auri, atq; argenti talenta, verùm etiam prædiorum magnificentiam contemnentes posthac videmus pro scalpello, pro graphio, pro acu, pro calamo commoueri.* Hi ad chorum fatuarum Virginum pertinent. Ibid. 202. c. 1.

Qui maiora pericula superauit, validum habet argumentum, quo conuinci queat, si tamen sapiat, vt minora intrepidè, & magno animo aggrediatur. PP2. 549. o. Quinq; illæ ex Euangelio Virgines indifficilibus castitatis certaminibus discrimina grauiora superarant, intestinumque congenitarum concupiscentiarum hostem (qui & Paulum lacessere, & colaphizare ausus fuit, & Dauides, Salomones, ac Samsones deiecit) subegerant, vt integritati virginitatis earum nihil decerpere potuerit. Si non tam fatuæ fuissent, oleum necessarium tempestiuè sibi comparassent, & auaritiam, quæ hoc prohibebat, oppidòque infirmior hostis est, intrepido animo oppugnassent, postquam ex hoste potentiore deuicto intellexerant, quàm facilè imbecilliorem conficere possent. Vicerant gigantem, ergò pygmæum leuiùs fundere posse vidissent, si sapuissent.

Dormitauerunt omnes & dormierunt. Hoc quidam ita accipiunt, vt dormitasse Virgines prudentes, & aliquantulam corpori quietem permisisse putent, fatuas verò dormiisse, hoc est, totas somno, & otio habenas permisisse. Quod si ita est, quid mirum, quòd *nouissimè*, nimisq; serò illæ venerunt sub

horam mortis, & aduentantis iudicis, quæ somnolentæ per omnem vitam fuerunt? Ex mala vita sperare mortem bonam, est expectare fructus dulces ex radice amara. PP2. 543. o.

Date nobis de oleo vestro. Meritò fatuæ Virgines dictæ sunt, quæ oleo aliunde commendicato suas fouere lampades voluerunt. Proprium ipsæ sibi comparasse tempestiuè oleum debuerant, & non alienæ rem tantam fidere misericordiæ. Ita non satis prouidè fit, cùm curæ committitur alienæ, quod studio potest, ac debet fieri proprio. PP2. 530. o. Dicitur hoc maximè propter eos, qui pleraque quæ pro animarum suarum salute fieri volunt, testamentorum suorum executoribus curanda relinquunt, idq; malè, & periculosè. Nam si quis ea, quæ curare ipse potuit, & illi necessaria fuit, neglexit, permirum sit, si alium reperiat, qui talia, quæ ad ipsum parùm spectant, diligenter tractat, ac perficiat.

Propterea quidam eximiè eruditus aiebat: *Multò esse præstantius, atq; eligibilius, hominem, quamdiu hanc vitam degit, rectè factis Deo satisfacere, quàm testamentarijs committere, vt ea exequantur opera, atq; suffragia, quæ ipse pro se agenda commendauit, vt à Purgatorij pœnis eripiatur, non tam disputatione, quàm suasione indiget.* Hæc ille Ibid. c. 2.

Et S. Dauid inquiebat: *Non est sanitas in carne mea, afflictus sum, & humiliatus sum nimis, &c.* quæ apud Magnum Basilium hunc habent sensum, ac si dixisset: *Non expectaui, vt vnus aliquis externè hoc meum corpus puniret inflicto vulnere pessimo, ipse ex me malus pœnam vltricem expetere, &c.* Ipsius ergo in carne mea, quod illa male egit, plectere volui, carnis voluptates afflictationibus eiusdem carnis vindicaui, & expiaui, & debita mea, quæ in carne contraxi, in carne etiam, & cute mea lui, neque eorum solutionem sollicitudini, aut fidei seu cognati, seu amici, seu etiam filij testamentarij reliqui. Filius me adhuc in viuis agentem bello lacessiuit, & insectatus fuit, *amici mei, & proximi mei aduersùm me appropinquauerut, & steterunt.* (Psalm. 37.) cùm adhuc inter eos mortalis degerem, quid officij sperare ab eis post mortem possim? Quomodo me vitâ functum bono Deo commendabit, qui viuentem benefactorem non satis amauit? Ibid. 530. c. 2. & seq.

Abraham ipse sibi testamentarius fuit, cùm adhuc vixit: Nam vt ne cum illo pax liberorum mutua interiret, *dedit cuncta, quæ possederat, Isaac, filijs autem concubinarum largitus est munera, & separauit eos ab Isaac filio suo, dum adhuc ipse viueret.* Gen. 25. Rectè *dum adhuc ipse viueret*, bona sua suis pro cuiusque conditione distribuit, sic enim omnes habuerunt, vnde commodè, & pacificè viuerent, cùm non fuerunt relicti in potestate testamentariorum, quorum nonnulli eo officio victum sibi parant, quemadmodum alij vsu manuum. Ibid. 532. c. 1.

Pulchra variorum hanc in rem monita habet hoc caput, quæ tam sæpè inculcari debeant, quàm sunt plerique negligentes eorum, quæ ad animam spectant.

Qui autem vult de rebus animæ suæ disponere, faciat hoc ante morbum, & non reijciat in horas vitæ extremas. Nam stultissima temeritas est eorum, qui non timent ne tunc offendant, cùm infirmi fuerint, vbi fortissimi ceciderunt. Ibid. 534. o. Inuenies in hoc c. multa, quæ fructuosa esse possint auditoribus.

Lampades nostræ extinguuntur. Saluianus apud Nouarinum in c. 25. Matthæi ait, fatuas virgines suâ præfidentiâ perijsse, putasse nimirùm se habere oleum: *Nisi enim habere se credidissent, prouidissent vt haberent, nam cùm posteà, vt ait Dominus, mutuari vellent, & omni studio, atq; ambitione perquirerent, absq; dubio etiam antè quæsissent, nisi eas habendi fiducia decepisset.* Hæc ille. Ita homo ipse suæ sibi perditionis est architectus, satorque, & sartor, Deus neminem infelicitat, nisi qui ipse prior esse infelix velit. Abrah. 80. o.

Sara cùm vidit Abrahamo ex Agare genitum Ismaëlem, simul intellexit, solo suo vitio fieri, quòd ipsa improlis esset, non Abrahæ impotentiâ. Itâ cùm anima sterilis est, id solâ illius culpâ euenit, Deo adscribi non debet.

Date nobis de oleo vestro, aiebant fatuæ virgines, quæ non satis olei ipsæ sibi comparauerunt, sed nihil obtinuerunt, & lusit illas sua præfidentia, si alieno prudentium oleo suam inopiam depellere posse sperârunt. Hinc discamus non fidere summam causam, & saluationis negotium studio alieno. PP2. 502. o.

Nouissimè veniunt & reliquæ virgines. Vix reclusum fuerat cœlum, vix ingressæ cum Sponso prudentes ad nuptiarum gaudia, quando appetierunt & cæteræ paulò seriùs, & toto cœlo æternùm exclusæ fuerunt. Quàm ingens exitium tarditas non magna peperit! Spirituales infirmitates, & corporales illud commune habent, quòd ex paruis malis, si negligantur, mala immedicabilia nascuntur.

tur. PP2. 635. o. Vt benè dixerit ille: *O quàm paruis Veniunt ſumma mala principijs!*

Et quià de Virginibus agit Euangelium, quod tractamus, virginis exemplo vincamus, quod diximus. *Egreſſa eſt* Dina, *Vt Videret mulieres regionis illius*, cùmq; ornatum illarum inornata videre nollet, adeòq; comptula prodijſſet, in oculos ſimul atque animum filij regis incurrens, & dulcem vim ab eo paſſa, marcidum temerati pudoris lilium domū retulit, quæ extulerat nitidum, ac viuidum. Hinc factum, vt duo illius ex vtroq; parente germani fratres & vindictam animo conciperent, & necem tum ſtupratori Principi, tum parenti Regi, tum ampliſſimæ ciuitatis viris omnibus, & maſculis inferrent, &c. Ibid. 637. c. 2.

Domine, Domine aperi nobis. S. Paſchaſius ait: *Non ſcribitur, quòd cum lampadibus ornatis Venerint.* Iuerant emptum oleum, ſed quòd cum oleo redierint, non inuenio ibidem, vbi abijſſe pro emendo lego. Quid facerent in nuptijs, quæ cum inornatis, & vacuis oleo lampadibus adueniebant? Magnis vocibus petebant admitti, tanquàm magnum nuptijs cœleſtibus adferre ornamentum vellent, quæ neque accenſas lampades habebant, quarum ſplendore colluſtrare vtcunq; nuptiale epulum poſſent.

Similes fatuarum iſtarum virginum ſunt quidam ſordidi, & verſuti homines, qui ſuam gratificandi, & obſeruiendi promptitudinem jactanter oſtentare ſolent, quando vel ipſi præſtare nequeunt, vel alij admittere non poſſunt, vel non ſunt vſui, quæ offerunt officia. PP2. 558. o.

Ex his erat Laban, qui has aduersùs Iacob, quòd clam abijſſet, dedit querimonias: *Cur ignorante me fugere Voluiſti, nec indicare mihi, Vt proſequerer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & citharis?* Gen. 31. qui tamen nihil horum fortè vel cogitauerat. O quàm multos hodie numeramus Labanos! Ibid.

Domine, Domine aperi nobis. At ille reſpondit: Neſcio Vos, facto comprobans, quod antè verbis affirmârat, cùm ait: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum,* Matth. 7. Quià *regnum cœlorum ſola Verborum officia non obtinent,* vt inquit S. Hilarius. Non eſt æterna ſaluatio ſimilis aliquorum vulnerum, quæ ſolis certis quibuſdam verbis curantur, quià immortalis quies pretio mortalis agonis comparatur. PP2. 591. o. Debuerant fugaſſe ſomnum ab oculis ſuis, vt non dormirent, debuerant accepiſſe oleum in vaſis ſuis cum lampadibus, debuerant ſecutæ fuiſſe bonum ſatiarum virginum exemplum, quæ ſtrenuâ vigilantiâ ſuâ, & diligente olei procuratione, lampadumque cuſtodia ſine verbis vllis introierunt cum Sponſo ad beatas nuptias.

Vetus prouerbium eſt: *Non erit* Iſraëlita, *qui priùs non fuerit* Iacobita, hoc eſt: Nemo videbit Deum, hoc enim ſignificat Iſraël, qui non antè fuerit Iacob, ſiue luctator: Nullus eò perueniet Chriſtianus, vt eius tempora corona quietis æternæ cingat, qui non antè per frontem, perq; faciem totam, & omne corpus tota ſudoris diluuia fūderit, qui non antè cum ſuis paſſionibus acriter depugnârit. Ibid. 591. c. 2.

De Zelpha duos filios ſuſcepit Lia. Primus dictus fuit Gad, id eſt, accinctus; ſecundus Aſer, id eſt, beatus, quia per ignominiam paſſionis peruenitur ad gloriam beatitudinis. Ita ferè Hugo Cardinalis ibid. 592. c. 1.

Afflictio flos eſt fructuum, qui ſperantur, inquit S. Gregorius Nyſſenus ibid. 593. c. 2. Vt ergò ex lege naturæ flos præcedit, fructus ſequitur, ità ex ordinatione Dei afflictio, & ærumnarum tolerantia præcedit, fructus autē beatitudinis ſequitur.

Amen dico Vobis, neſcio Vos. Hoc reſponſum non per Angelum, ſed per ſeipſum dat Sponſus, vt à quo infelices virgines cœlum expectabant, inexpectatum illud, & terribiliſſimum, *Neſcio Vos*, audientes ad inferos ablegarentur. O quàm intolerabile hoc omnibus accidet, qui cœlum ſperabant, ſi ab illo, à quo ſperabant, audiant, *Neſcio Vos!* Nam affligi ab eo, à quo beari, aut remunerari ſperabas, tam crudele genus tormenti eſt, vt par illi nullum eſſe poſſe videatur.

Non potuit ferre Sara contemni ab Agar famula, à qua plurimùm amoris, & honoris iure expectabat.

Ad exaggerationem preſſurarum, quas ſub mundi expirantis tempus homines patientur, dicebat Chriſtus fore, vt à parentibus fratribus cognatis, amicis tradantur, & morte afficiuntur quidam, quos dies ille viuos inueniet, Luc. 21.

Quòd Saulem, cui vitam non ſemel ſeruarat, quòd Abſalonem, cui etiam dederat, haberet perſecutores Dauid, id tam pænale vulnus illi inflixit, vt medicamentum, quo vulneris acerbitas mitigaretur, à Deo magnis vocibus depoſceret, ipſo titulo penultimi octonarii Pſalmi 118. qui eſt SIN, quod ſignificat, *ſuper Vulnus*, ſubaudi, catàplaſma poſco, quod mihi inflixerunt principes, qui me *perſecuti ſunt gratis*.

Quòd

Quòd Iudas Christum prodidit, hoc gaudium attulit Iudæis, non solùm quòd sic capere illum commodè possent, sed etiam quòd ille à suis odio haberi inciperet, inquit Euthymius, & hoc illi maximos allaturum dolores scirent.

Amen dico vobis, nescio vos. Ex qua regula, Domine, potes nescire eas, quæ castam duxerunt vitam, & aliquamdiu habuerunt ardentes lampades, & abierunt, vt extinctas empto oleo rursum accenderent, & surrexerunt ad vocem clamoris nocte mediâ, & nunc ad contestandam suam erga te fidem succlamant: *Domine, Domine, aperi nobis?* Respódet Magnus Augustinus apud S. Thomam in cat. aur. *Ex illa scilicet regula, quia non habet ars Dei, id est, eius sapientia, vt intrent in gaudium eius, qui non coram Deo, sed vt placerent hominibus conati sunt aliquid secundùm præcepta eius operari.* Fecerint ea, quæ suprà commemoraui, plura etiam fecerint, non Deo tamen sed hominibus illa fecerunt. Quàm ergo stultæ etiam hac in re, quòd à Deo petunt remunerationem, cui nullum exhibuerunt officium. S. Hieronymus similiter loquitur, dicens: *Qui ignorat, ignorabitur. Licèt ergò virgines fuerint vel corporis puritate, vel vera fidei confessione, tamen quia oleum non habent, ignorantur à sponso.* Sed quomodo ignorabant Deum, vt propterea ignoratæ fuerint, quæ magnis vocibus clamabant: *Domine, Domine, aperi nobis*, nec inclamassent, aut implorassent, illum, si nescissent? Oleum, id est, charitas Dei eas destituebat, non ergò nouerant illum, quoniam *qui non diligit, non nouit Deum*, Ioan. 1. c. 4. v. 8. Meritò ergò ignorabantur, quæ ignorabant, meritò inofficiosum, vt sic dicam, expertæ sunt Deū, quæ ergà illum fuerunt inofficiosæ, meritò non intrârunt in nuptiarum gaudium, quarum maius fuit placendi hominibus, quàm seruiendi Deo studium. Sanè perquàm otiosus est, & valde, vanâ imaginatione laborat vnusquilibet homo, qui putat alios ergà se fore largos cùm ipse in neminem sit prolixus. Abrah. 90. o.

Quis diligeret Ismaëlem omnibus infensum *Manus eius contrà omnes.* Et quid inde? *Manus omnium contrà eum*, Gen. 16. *Commune est, vt omnes aduersentur ei, qui omnium aduersarius est*, inquit Oleaster. Insigniter amens, qui sperat omnes ergà se fore beneficos, & comes, cùm ipse sit ergà omnes auarus, & rusticus.

Vt quid etiam terram occupat? Dicebat quidam ruricola de ficulnea, à qua optatos toto triennio frustra expectârat fructus. Caietanus ait, *Terram occupat*, idem esse ac *onerat.* Sed cur onerosa terræ planta, quæ otiosa? Respondet: *Significatur quòd onus est terra, sugens illam, & tamen fructum non reddens.* Quomodo non sit permolesta terræ arbor, quæ cùm illius magna copia bibat humorem, nullum reponit prouentum? Sic onerosus est, & odiosus, qui protensâ manu vult semper accipere, & nunquam aliquid reddere. Ibid. c. 2.

Nescio vos. S. Chrysostomus ait: *Vocem illam terribilem audierunt*, non noui vos, *quæ vel gehennâ fuit grauior.*

Qui Deum, à quo similia possit audire, non timet iudicem, is vel iudicio laborat rationis, vel fidei lumine est destitutus. PP2. 540. o.

Pro Concione Funebri.

In Funere Pueri, vel Adolescentis cuiuspiam.

Theophylactus in c. 9. Ioannis ait: *Quòd sæpè vides pueros mori, scias quòd Deus propter misericordiam præripiat illorum vitam, vt ne cùm superuixerint, deteriores fiant, & in malum suarum animarum, & aliorum multorum viuant.* Ergò in beneficiis numerari debet, quando puero aufertur vita, quæ mortem illius animæ adferre posset, si diuturna esset. Abrah. 143. c. 2.

Cùm delusum se à Magis Herodes videret, iussit Bethlehemitas pueros bimulos omnes, & quotquot his minores interimere, si fortè in his recens natum Iudæorum regem contrucidare posset. Cur permiserit Deus tam luctuosam innoxiorum infantum cædem: *Fortassis hi probi futuri non erant*, inquit Euthymius. Duplici beneficio hi à Deo affecti. Nam & martyres effecti, & omni periculo peccandi erepti fuerunt. Quanta autem gratia, quòd & tam insignem illis contulit gloriam, & abstulit vitam, per quam æternâ potuerunt excidere vitâ?

Quòd Dominus *subuertit vniuersos habitatores vrbium* istarum nefandarum, Sodomæ, inquam, & cæterarum consceleratarum, id facer textus expressè habet Gen. 19. v. 25. Ergò & pueros vnà extinxit. Res indubitata est Sed cur pœnarum consortes fuerunt infantes, qui non complices scelerum? Præuidit Deus, paruulos illos, si adolescerent, quousque per ætatem peccare possent, similes parentum futuros. Pietas ergò fuit, quòd illis adempta vita, quæ damnationis occasio futura erat, vt est

beneuo-

beneuolentia furioso eripere cultrum, quo sibi gulam præsecaret, si ferrum ei relinqueretur. Ita ferè antiquus Alcuinus.

Ieremias populi sui ærumnas deplorans etiam hæc elachrymabatur c. 4. v. 10. *Manus mulierum misericordiam coxerunt filios suos, facti sunt cibi earum.* Tanta erat tunc diræ famis necessitas, vt ab illa coactæ mulieres afferrent manus suis liberis, mortuosque inferrent ventriculis, quos vteris viuos paulò antè effuderant. Et has misericordium mulierum manus Ieremias rectè vocat, quæ mortem iis consciuerunt, quibus dederant vitam? Rectissimè inquit Rupertus Abbas, idque *non modò quia compendiosiùs mortem perpessi sunt*, quando longæ fami per citam iugulationem erepti, *verùm etiam quia plurimam adaugendorum scelerum necessitatem euaserunt.* Ieremias ibidem ait, meliùs fuisse occisis gladio, quàm interemptis fame. Misericordes ergò erant matres, quæ subitam gladio accelerârunt mortem, ne prolixam paterentur filii ex longa esurie, tum & peccandi necessitatem omnem cùm vita sustulerunt.

Denique felicissima est iactura vitæ, quæ diuinis non impendetur officiis, minores enim pœnas dabit peccator, qui dies vixerit pauciores. Ibid. 142. o.

Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorũ, aiebat Christus Discipulis suis Matth. 18. Cùm ergo talium sit regnum cœlorum, vt dicitur Matth. 19. non verè eos amat, quisquis in puerili ætate decedentes deplorat, nisi quòd illis etiam suam in illud beatum regnum profectionem inuidere, & repugnare Christo videatur, qui dicit: *Sinite paruulos venire ad me, &c.*

Nemo immaturam mortem vocet pueri, qui ætate immaturâ è viuis abripitur, in quibus vix esse cœperat. Qui sic loquuntur, vt alia plurima sciant, hoc tamen, quare infans recens natus fasciis inuoluatur, nesciunt. Et quæ huius causa? *Simul atque editus in lucem, & susceptus est, manus, pedesq; eius fasciis constringuntur, atque iis vinculis impeditus fruitur vberibus. Nuper est infans ad vitam ingressus, nec interposita mora mortuorum pannis amicitur, natura enim finis memoriam reuocat iis, qui nascuntur. O vita primordium mortis prodromum!* Ita Clemens Alexandrinus. Mortuorum indumẽta pupulo vixdum nato iniiciuntur. Matura ergo cuiuscunque infantis mors est, quem illa suis vestimẽtis indutum, & sibi velut initiatum rapit. PPP. 250. c. 2.

Puero Iesu recèns nato *tanquam defuncto*, vt loquitur S. Ambrosius, myrrham Reges magi offerebant, quâ mortui solebant perungi, vt indicarent, idem esse nasci, quod mori, quia quòd morimur, ex eo nascitur, quòd nascimur, itaque non mirum denasci puerum, qui sit natus. Ibid. 248. c. 2.

Isaias cùm cætera Magorum dona prænuntiasset, aurum scilicet regiæ dignitatis insigne, & thus diuinitatis inditium, myrrham, quæ mortalitatem eius designaret, præterijt. Quid ita? Respondet Hugo Cardinalis. *Quia eius mortalitas satis erat aperta*, & perquàm manifestum, quòd moriturus esset sicut cæteri homines, qui more communi oriturus. Ibid. 249. c. 1.

Denique omnes ex eo malo morimur, quòd nati sumus, nec alius morbus huc requiritur, vt vel puer, vel quisquis alius è vita abeat, quàm quòd in vitam intrauit. Ibid. 248. o.

Parcas à pariendo dictas quidam graues autores volunt. Sed quomodo à pariendo, quæ vitam non pariunt, sed eripiunt! Respondet nonnemo: *Credo* Parcas à pariendo dictas, *quòd statim à partu vitam infantis succidunt.* Ibid. 251. c. 2.

Vestis ex se generat tineã, quæ illã depascatur. Propterea S. Iob. aiebat, se consumendum *quasi vestimentum, quod comeditur à tinea*, vt indicaret, carnem nostram sui interitus autorem circumferre, & ex se generare, ex quo pereat. Ibid. 251. c. 2.

In Funere cuiuscunque alterius.

SI quem vestrum interrogarem, quidnam illud atro panno tectum huc allatum, illatumque terræ fuit, fortè responderet, N. vel N. frigidum cadauer esse. Quid si ego dicam, librum esse, quamuis malè compactum, immò solutum talem tamen, quem omnes legere sciant, & perfrequenter debeant, vt in eo suas miserias dispiciant? Verissimum dicam.

Nam non est alius liber, qui magis luculentè tradat, magisque ad viuum vitæ humanæ ærumnas, calamitates, infelicitates exprimat, quàm vnicus mortis vacuus folijs codex. PPP. 252. o.

Habet multa erudita hoc caput, quæ in funere seu viri, seu fœminæ, seu patrisfamilias, seu militis concionari queas. Vide in Indicibus rerum verbo Mors.

(*)

Pro Concione ad Iudices, qui de ciuilibus, criminalibusq; causis pronuntiant.



IVdices criminales ad inferenda supplicia lentis gradibus, & suspenso pede cunctanter progredi debent, multoque, & maturo consilio vti. Abrah. 123. o.

Habes in eo cap. multa, quæ vehementer inculcari debeant omnibus iudicibus, qui de ciuilibus causis, sed imprimis de capitalibus pronuntiant.

Ad omnes iudices erudiendos tam rectum, exactumque iudicem se Deus monstrauit, vt ne dæmonem quidem antè damnare voluerit, quàm illum audijsset. Ibid. 131. o.

Descendam, & videbo, aiebat ibi, *quo docere nos vult, quòd opus sit magnâ diligentiâ peccatores condemnandi, & sententiam ferenda.* Ita Chrysostomus.

Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam qui accusatur præsentes habeat accusatores, locumq; defendendi accipiat ad abluenda crimina. Ita S. Paulus Act. 25. Romani tunc Gentiles erant. Quid ergò faciant Catholici, quos supremus Iudex gestis, & exemplis rectè iudicandi modum docuit? Ibid.

Numerius apud Iulianum apostatam accusatus latrocinij negabat delictum. Tum accusator Delphidius: *Ecquis, florentissime Cæsar, nocens esse poterit vsquam, si negare sufficiat?* Et Cæsar: *Ecquis innocens esse poterit, si accusare sufficiat?* Dictúm optimè ab hominum pessimo. Ibid. 232. c. 1.

Adam vbi es? His verbis appellabat primum peccatorem Iudex supremus, & sceleris complicem vxorem istis: *Quare hoc fecisti?* In hæc Abulensis ita: *Licèt Dominus cognosceret peccata Adæ, & Euæ, tamen priusquam puniret, interrogauit eos, vt seruaret ordinem iudiciarium, priùs inquirens, quàm damnans.*

Vt citharædi priùs singulas chordas sonantes audiunt, & contemperant, quàm citharam pulsent: Sic Iudex rectus priùs fides, seu neruos attentis auribus arbitretur, audiatque non solùm accusatores, sed etiam accusatos quàm sententiam ferat.

Eiecturus Dominus à misero homine sanguinarium dæmonium priùs illud interrogat: *Quod est tibi nomen?* Lucæ 8. *Interrogabat, non ignorans, sed implens iudicem, seruans ordinem cognitoris. Nomen interrogat, vt de conditione discutiat, iudicet de reatu; addicat de crimine Deum se esse datâ sententiâ perdemonstret.* Hæc S. Petrus Chrysologus, in quibus sunt multa, quæ vide accuratè expensa. Ibid. 133. c. 1. Vide etiam PP2. 525. o. Quod totum caput in eodem argumento versatur.

Quando rectus iustitiæ ordo in plectendis sceleribus, & flagitiosis hominibus seruatur, tam grata est oculis Dei punitio delictorum, vt quodammodo æquè oblectetur spectaculo penduli è patibulo furis, ac sacrificantis ad aram sacerdotis. PP2. 640. o.

Pro Sermone in Dedicatione Ecclesiæ.



ET ecce Vir nomine Zachæus, & hic Princeps erat publicanorum, & ipse diues. Cùm in horum verborum commentationem incidisset S. Ambrosius, velut obstupefactus facilitate Christi, quâ talem Virum tamque improbum hominem in gratiam admisit, succlamabat. *Quis iam de se desperet, quando & iste, cui census ex fraude, ad salutem peruenit!*

Verè nunquam Dominus in hac vita portam misericordiæ claue iustitiæ sic claudit, vt non aliquam indulgentiæ, & pietati rimam relinquat. Abrah. 54. o.

Victus, captus, & abductus fuit Lot, non defuit tamen nuntius, qui consobrini captiuitatem patruo indicaret: *Ecce vnus, qui euaserat, nuntiauit Abram*, Gen. 14. Per quem ereptus fuit. Sic quantumuis succenseat Dominus, rimulam tamen semper aliquam relinquit, per quam in gratiam illius insinuare se peccator possit.

Apostoli iussi sunt pedum suorum puluerem in oculos eorum, à quibus non susciperentur, excutere, sed hoc nihilominùs inter abeundum dicere: *Tamen hoc scitote, quia appropinquauit regnum Dei*, Lucæ 10. In ea verba Caietanus ita scribebat: *Benignus Dominus non vult obstante repulsâ, priuare eos notitiâ eius, quod repellunt, sed manifestari eis materiam, quæ prædicanda erat, vt vel sic resipiscant.* Ibid.

Solam partem vasorum domus Dei abstulit Ierosolymis Nabuchodonosor, quædam reliqua fecit, vt Iudæi illis ad cultum Domini vti possent. Dan. 1. Ita Deo permittente partem vasorum sacrorum animæ nostræ stygius prædator sæpè aufert, neque illi depeculari omnia conceditur, sed relinquere nonnulla

nulla cogitur, per quæ reuerti ad gratiam possimus. Ibid. 55. c. 1. Turpissima & grauissima est desperatio eius, qui ibi diffidit posse reperire veniam, vbi Zachæus, talesque obuiam habuerunt misoricordiam. PPP. 255. o.

Vide & PP2. 514. o. *Vbi prolixè, & doctè idem argumentum tractatur.*

Præcurrens ascendit in arborem sycomorum. Quis? Zachæus. Qualis ille? *Princeps publicanorum, & ipse diues*, & copiosorum opulentissimus. Solent diuites, & Principes maiestatem quandam, & grauitatem, præsertim coram multitudine, præseferre, & seruare, & omni modo curare, ne quid agant, ob quod in contemptum apud vulgus veniant. Zachæus verò licèt prædiues, & Princeps in suo ordine esset, nihilominùs tanquàm vnus è multis ascendit in arborem, confertâ hominum turbâ præsente & spectante, & fortè etiam ridente, ac sugillante. Itâ ferè Nouarinus. Sed vulgi de se opinionem, & risum, & sannas insuper habebat, dummodò Christi aspectu frui posset. Itâ non est cur hominum dicta, factaque curemus, dummodò Deum habeamus beneuolum. Abrah. 97. o.

Ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus, aiebat Christo Zachæus. Quòd verè & ex animo Deum amare Zachæus iam tunc cœperit, id mihi ex eo persuadeo, quòd illius gratiâ suorum bonorum facultates in pauperes erogauit, atq; ita erogauit, vt Theophylactus affirmet, *fuisse omninò nudatum*, & S. Gregorius Nazianzenus Orat. 16. & 40. dicat, *omnes opes suas Christo domum suam ingredienti obtulisse, & donasse*, & Theophylactus iterùm, *nullas ei fuisse relictas diuitias.*

Nam cùm homo suarum opum facultates pro Deo relinquit, hoc à vero, & syncero amore fieri videtur, solet enim homini non alius talis Deus esse, qualis diuitiarum copia. PP2. 660. o. *Pulchra habet hoc caput, quibus ferire auaros possis.*

Hodie salus domui huic facta est, aiebat Dominus Lucæ 19. quando vidit Zachæum adstare coram se supplicem, peccataque sua deflentem, & non solùm aliena cum quadruplo fœnore reddere paratum, sed etiam suas facultates erogare in pauperes promptum. Caietanus in illa Domini verba ait: *Significatur facta salus non soli Zachæo, sed etiam familiæ eius.* Sed quomodo id significatur, cùm solus Zachæus sua scelera deplorasse feratur? Immò quià Zachæus hoc faciebat, toti domui eius allata salus fuit. Nonné ille paterfamilias erat? Erat. Nonné dolore, & pœnitudine sua flagitia damnabat? Damnabat. Ergò propè certum erat, omnes illius domesticos tantundem facturos, vt meritò Christus diceret: *Hodie salus domui huic facta est*, membra enim caput sequuntur, & quando paterfamilias est pius, omnes domesticos eius numerare in pijs potes. Abrah. 108. c. 1. Nam cùm superior sit quoddam primum mobile, omnes subditi ad illius exemplum se componunt. Ibid. 108. o.

Circumcidebatur Abraham, statimq; *eodem die circumcisus est & Ismaël filius eius, & omnes viri domus illius, tam vernaculi, quàm emptitij, & alienigenæ pariter circumcisi sunt.* Gen. 17. Tantum valuit vnum, solumq; patrisfamilias exemplum.

Quando filij Israël cum Arca transierunt Iordanem, tunc sacer hic fluuius statim eis liberum iter præbuit, steteruntq; aquæ superiores, & instar montium cacuminatæ sunt, inferioresq; descenderunt, Iosue 3. S. Greg. Nazianzenus vult, quòd Iordanis *cognatum mare imitatus est.* Mare, quod caput est omnium fluminum, tantundem antè fecerat, quando filij Israël, vt effugerent furorem à tergo imminentium hostium, *ingressi sunt per medium sicci maris*, Exod. 14. Tanta ergò est virtus exempli, vt cùm superiores faciunt miracula, subditi quoq; talia ex eorum imitatione faciant. Ibid. c. 2.

De eodē Dedicationis Festo.

Autore Interprete.

Zachæe festinans descende, quià hodie in domo tua oportet me manere. Matth. 19.

VLtronei hospites optimi. Id tritum prouerbium habet, & Germani nostrâ vernaculâ itâ efferimus: Vngeladene Gest seynd die beste. Qui enim suâ sponte se hospitem offert, & nihil secum affert, contentus est parabili cibo, quemcunque in promptu habet is, apud quem diuertit. Qui verò alium inuitat, curare simul debet vt lautè illum, ac pollucibiliter habeat. Habuit olim Ioseph Ægyptius fratres suos conuiuas, & sic habuit, vt sacer scriptor Gen. 43. inebriatos fuisse dicat, non quòd temulenti fuerint, sed quià generosioribus vinis ad hilaritatem maiorem inflammati, & cibis tum pluribus, tum delicatioribus recreati. Ex prudente doctissimi Oleastri obseruatione *docet locus iste, non debere conuiuia esse defectuosa, meliùsq; esse non inuitare, quàm in conuiuio penuriam, aut defectum alicuius rei ostendere.* De Satyro fratre suo sic ait B. Ambrosius: *Nunquàm accuratioribus epulis, aut*

congestis ferculis delectatus est, nisi cùm amicos ad epulas rogaret. Sequebatur Christum multitudo magna hominum iniustorum, & nec vocatorum, nec quæsitorum. Quomodo hospites istos vltroneos tractauit? Præter panem hordeaceum, & pisces duos nihil eis apposuit, si potum prætereà exhibuit, is haustus aquæ ex præterfluente fuit. Idem ipsus ad prandium, & ad cœnam *vocauit multos, & misit seruum dicere inuitatis, vt venirent.* In horum victum tauros, & altilia mactauit. Tanto discrimine excipi debent hospites non vocati, & inuitati. Hæc ex Nisseni Tom. II. pag. 414. c. 1.

Magnâ itaque solicitudine, & sumptuosâ lautiorum ciborum accuratione Zachæum Christus hodie leuauit, quando apud illum, quod S. Ambrosius sapienter annotauit, se non inuitatus inuitauit, dicens: *In domo tua oportet me manere.* Quanta obtulerit ille Domino, quamuis vltroneo hospiti, posthæc dicam. Quantis ergò impendijs conuiuium instruxisset, si eum, quod Pharisæus apud Lucam c. 7. fecerat, rogasset, & inuitasset!

Ego vos hodie, quotquot adestis, hospites habeo vltroneos, & qui sponte vestrâ huc venistis, vt proinde si frugaliùs habeam, nemo dare vitio, aut inhospitalitati, siue inhumanitati, nimiæq; parsimoniæ tribuere possit. Opportunè tamen hodie, si aliquando adeòq; gratissimi venistis, quando nimirùm, Deo ita prouidente, parata habeo fercula non solùm varia, sed & lauta, & exquisita, & peregrina, & ex abstitissimis terræ, mariumq; oris fortuitò allata. Atque vt non nesciatis, quale vobis adornaturus sim epulum paucis exponam. Sanctus Ioan. Chrysostomus Constantinopoli pullum submisit visco, & arundine captum, Rabbi Salomon turtures, aut columbas implumes, Sanctus Petrus Apostolus piscem, quem prope Capharnaum hamo in mari cœpit, B. Lucas vitulum saginatum, magnus Baptista ex Iordane agnum, Sanctus Ambrosius pomum, idque ex ficu fatua sapientissimum.

Has totas vobis lectissimorum ciborum delitias, si rectè nequeo, at eo tamen, quem dixi, ordine importatas proponam, ac sub finem, ne oculos, animosque vestros suo fraudem oblectamento, camelum in medium conuiuij locum adducam, qui se detuberet, atque extenuet, vt transire per foramen acus possit.

Salomonicum conuiuium, quale hoc est, quod vobis addixi, *non de cibis, sed de operibus est bonis, quò enim meliùs epulantur animi, quàm bonis factis?* inquit S. Ambrosius lib. 1. offic. c. 31. & rursùm serm. 33. *Ipsa est refectio, quæ saginat animam, quæ impinguat viscera, cùm de diuinis scripturis cibum eloquij perennis accipimus, ipsa est esca, quæ vitam æternam tribuit, & insidias à nobis diabolicæ tentationis excludit.* Auribus ergò auidis excipite cibum qualicunq; meâ industriâ præparatum, & in memoriam, intellectus ventriculum, abdite, atque inde ad animarum alimoniam crebrò expromite, & cupidè vertite.

Zachæe festinans descende.

PVsillus staturâ erat Zachæus, quod cùm de illo solo scriptura referat, meritò admiratus fuit Ambrosius. *Nanus erat*, inquit Ammonius Alexandrinus autor peruetustus To. 3. Biblioth. vet PP. Adeò cùm videre Iesum, quod percupiebat, præ turba non posset, *quod natura minus habebat, ascensu suppleuit arboris*, vt loquitur venerabilis Beda, & totâ pedum, lacertorumq; contentione velut quodam alarum remigio in proximam sycomorum euolauit, vt inter ramos pullaster videret, quem videre homo inter homines nequibat. Vidit videndi sui cupidum Christus, & tantâ capiendi illius auiditate captus fuit, vt vehemente illiùs desiderio inflammatus succlamaret: *Zachæe festinans descende.* Hæc dixit, & statim cepit tam efflictim expetitum pullastrum. Quomodo verò cepit? Respondet S. Ioannes Chrysostomus in catena PP. Græcorum in c. 19. Lucæ: *Egregius vtiq; auceps ab arbore animam deducit calamo sermonis, protendit autem instar arundinis cuiusdam vocem omnia potentem allicere, attraxitq; Zachæum instar pulli alicuius, per alas mentis illum apprehendens, & Publicanorum princeps autoritate Christo non secus ac visco quodam agglutinatus fuit.*

Habetis hic pullum, Auditores, ab egregio aucupe Christo calamo sermonis, & vocis Omnipotentis arundine captum. Hunc in quatuor partes secabo, totidem enim in illo inuenio, ex quo homo noster interior esitare, & augescere, ac saginari possit.

Primum illud est, quòd è turba se proripuit pullus noster, vt videre Christum posset, infensa, aut certè exosa plurimùm semper Christo turba fuit, quæ velut turbo quidam sæpè vel à Christo homines, vel ab hominibus Christum abstulit, aut prohibuit. *Nota*, inquit Hugo Cardinalis, *quòd turba impedit languidum*, illum, qui annis triginta & octo apud piscinam Probaticam decubuit, *ne recipiat sanitatem*, Ioan. 5. *Item mortua puella suscitationē* procra-

procrastinat. Matth. 9. *Item increpat cæcum, vt taceat*, Matth. 20. *Item paralyticum excludit, ne ante Iesum veniat*, Marci 2. *Item parentes retardat, ne Iesum adeant*, Marci 13. *Item cæci illuminationem prorogat*, Marci 8. *Item Iesum affligit, & comprimit*, Lucæ 8. Præ turba hodie videre Iesum Zachæus non poterat. Titus Bostrensis ait, quòd duplex illum turba prohibuit, *ne dulci, atque salubri frui conspectu Christi posset*, nempe vitiorum, & virorum.

Nemo est, qui non videre Iesum cupiat, non solùm quando olim beatus, sed etiam in hoc tempore peregrinationis, inprimis cùm orationi vacat, quàm vt ardentissimam semper esse quisque optat, ita Iesum, ex quo inflammetur, attentissimè inter precandum cogitare, & ipsis, si fieri posset, oculis vsurpare vellet. Sed plurimorum plerumque friget, & gelat oratio. Scitis vnde? Ex turba. Quia cùm turbæ familiaritatem, fauorem, plausus, assentationem, conuictum, sales, iocos officiis Dei sæpè cariora, & vilia negotia otio religioso antiquiora habeant, ad omnia mundana strenui, & robusti, ad sola diuina obsequia imbecilles, & pusillanimi, fit, vt inter precandum nihil minus, quàm Iesum videant, sed vel ea ruminent, quæ antè per aures, vel per oculos hauserunt, vel alia his affinia vana cogitent. Quantos sæpè audimus, qui has, aut similes dant querimonias: O quàm crucior, quod meus tam variè per vagas cogitationes hac, atque illac effunditur animus, quoties me ad orandum compono! Quàm multiplices mihi occurrunt rerum extranearum imagines, quando vni, ac soli Deo intimè coniungi per attentissimam orationem volo! Vnde ista hominibus deuotè orare volentibus turbatio, & cogitationum insolescentium, nimisque liberarum tumultuatio? A turbis vitiorum, quibus assueuerunt, aut virorum, aliorumque hominum, quibus cùm consueuerunt, istæ animi excitantur euagationes.

Apud Lucam 18. cæcus quidam secus viam sedens dari sibi oculorum lumen à prætereunte Christo petebat, cùmque eam ob rem magnas voces daret, increpabant eum, qui præibant Dominum. S. Gregorius Magnus homil. 2. in Euangelia ita quærit: *Quid designant isti, qui Iesum venientem præcedunt?* Respondet autem. *Desideriorum carnalium turbas, tumultusq; vitiorum. Hi tentationibus suis cogitationem nostram dissipant, & voces cordis in oratione perturbant.* Et paulò post: *Mala, quæ fecimus, cogitationi nostræ suis imaginibus illisa in ipsa nos oratione nostra perturbant.* Itaque cùm Zachæo è turba secedat, vitiorum inprimis, tum & virorum, aliorumque hominum, quisquis Deum attentioribus oculis inter precandum optat arbitrari, curetque, vt iis præsertim diebus, quos religiosa maiorum pietas religioso Dei cultui destinauit, secum moretur, neque aliò moueatur, quàm vbi vel solus cùm Deo loqui, vel solum loquentem sibi Deum audire possit.

Alterum illud ex pullo nostro vobis appono, nempè, quòd non satis putauit deseruisse turbam, nisi in sycomorum, siue ficum fatuam euolaret, quæ multis Patribus crucis Dominicæ symbolum fuit, in quibus vnus Augustinus apud Nouarinum sic ait: *Ideò vos Iesum videre non potestis, quia sycomorum ascendere erubescitis. Apprehēdat Zachæus sycomorum, ascendat humilis crucem. Parum est, ascendat, ne de cruce Christi erubescat in fronte, illam figat, vbi sedes pudoris est, ibi omninò, in quo membro erubescitur, ibi figatur, vbi non erubescitur.*

Mihi sycomorus quædam, siue ficus fatua videtur Rosarium Marianum, quod à cruce incipit, & in crucem desinit, & tot ramos habet, quot mysteria vitæ Christi orantibus repræsentat. Hoc hæreticis scandalum parit, qui putant, (nisi ita existimare fingunt) nos numerare Deo preces, quas memoriæ iuuandæ causâ, atque vt sciamus, quantam pensi nostri, quod nobis ipsi ex pietate præfiximus, partem exsoluerimus, ad sacros calculos certo numero recitamus, quasi verò & Dauid numerauit Deo suas orationes, qui septies in die laudem illi dicebat, & Christus ipse, qui tertiò dicebat Patri suo eundem sermonem, & Lutherani certâ mensurâ dimetiantur Deo suas preces, qui opposito pileo velut excipiunt orationes, quas illi affundant. Verùm sit illis ludionibus scandalum Rosarium, sit infidelibus stultitia, nobis tamen Dei virtutem, & sapientiam Christum, qualis ante crucem, qualis in cruce, qualis à morte crucis inter nos fuit, ob oculos ponit, vt illum ex hac ficu fatua cernamus, quemadmodum è sycomoro illum Zachæus vidit: O quàm blandum, ac beneuolum se nostris animæ obtutibus, quàm dulcem, ac suauem faucibus cordis sæpè offerret, si è mediis rerum cæterarum turbis nos aliquando in angulum domesticum, & latebras reciperemus, atque ibi hanc sycomorum iniremus, perque eius ramos, hoc est sacrosancta vitæ Christi mysteria piis meditationibus oberraremus, & attenti pensaremus, quantum Deo pro omnibus, quæ in corpore suo pro nobis egit, ac tolerauit, quantum pro corpore ipso nobis in perpetuam alimoniam

relicto, proque beneficiis numero infinitis, pretio incomparabilibus, quæ nobis præstitit, & post hanc vitam exhibebit, debeamus! Habete itaque hoc iã secundum ex pullo nostro, vt sycomorum crebrò inscendatis, & apprehendatis ramos eius, vnde in transitu nunc visendum se Dominus præbeat, & spé posthac semper videndi faciat, nec dubitetis conspectu eius olim perpetuò fruituros, si vos ille nunc habeat videndi sui cupidos.

Tertiùm accipite. S. Petrus Chrysologus serm. 54. ait, sat magnum animo fuisse Zachæum, qui voluerit Iesum videre, nec enim aliud maius habent, quàm vt Deum videant, qui sunt magni in illo beato regno cœlorum. Hoc tamen illi mirum visum, quòd iussus est Zachæus descendere, si benè ascenderat. Dixerim, eo mysterio iussum descendere, vt intelligeret, demissione, ac humilitate erigi hominem in eam celsitudinem, vt ad videndum Deum perueniat. Domus Dei certè hoc habet, vt nemo exaltetur, nisi qui se antè humiliauerit, nec quisquam nisi descensu ascendat. Hanc in rem vide integram Periocham, & in eo multa Tom. 2. pag. 236. Cùm Dominus octo ad beatitudinem vias indicaret primam ostendit paupertatem spiritus, quam Patres & plurimi, & maximi volunt esse humilitatem eorum, qui non abundant spiritu, & sensu proprio, sed velut molæ, passis licèt sint alis, conquiescunt, donec eos Deus suo spiritu circumagat, & in orbé pro arbitratu suo rotet. Deum ergò nemo videbit vnquam, nisi cum Zachæo descendat, & efficiatur, quod Christus alibi dicebat, sicut paruulus.

Discite nunc à Zachæo humilitatem, vt ne subsellia superiora appetatis in conuentibus sacris, quando illis apud Lucam 14. datum est vitio, quòd primos accubitus inuaderent in profanis nuptiis. Neque ad ipsas sacras aras in templis propiùs adeatis, nisi cùm sacra fames panem vitæ sumere cogit, quoniam & hoc in laudibus Publicani Euangelici numeratur, quòd à longè stetit, scilicet, *ab altari*, vt exponit Caietanus, tanquam putasset profanandam partem illam templi sacratiorem, si vicinior illi fieret.

Quartum illud habete ex hoc pullo, vt discatis promptè, hilariterque obedire Deo, quoties ab illo ad quodcunque vitæ melioris genus, vel pietatis opus vocamini. *Zachæus iustus consilio, vel iustificatus festinans interpretatur*, inquit Hugo Cardinalis, *nam qui consilio Domini credit, festinat iustificari, Ecclesiasticoq́; obtemperat dicenti: Non tardes cõuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Clam, palàmque Deus variis modis sæpè vocat ad bona diuersa, idque vel monitis suis clandestinis, vel aliorum patentibus exemplis, vel piis monitis, & sacris concionibus, vel grauibus ex amicorum morte, vel propria infirmitate, vel bonorum direptione, ac vastatione ærumnis. Qui Zachæus est, idem simul ac monita eiusmodi accepit, festinat iustificari, maximè quando mortiferi peccati alicuius venenum hausisse nouit, vt velut saucius ceruus ad fontem aquæ concitus accurrit, sic ille ad medicinalis pœnitentiæ remedium festinus confugiat, neque vnquam diu mortuam in viuo corpore circumfert animam, idque primò, quòd tam nesciat, quòd viuet postridie, vt à peccatis exurgere possit, quàm nouit, quòd Dominus, quacunque die ingemuerit peccator, paratus sit pœnitenti donare suarum noxarum veniam, denique quia primordiis lethalis mali statim occurrendum, vt in herba radicitùs succidatur, nam si crescere sinas, ita inualescit, vt consuetudo necessitatem pariat. Abrah. 28. *Vide etiam loca ad finem illius c. ex aliis libris adscripta.*

S. Thomas Doctor Angelicus crebrò, ac multùm mirabatur, tantam posse esse quorundam temeritatem, vt pernoctare cum peccati mortalis conscientia auderent. Putatisné de nihilo id miratus fuerit princeps scholæ Theologicæ Thomas? Somnus horaria quædam mors est, & mortis tam viua imago vt S. August. in Psalmum tertium dicat, *in scripturis pro morte innumerabiliter positũ*. Sic velut mortuus est, qui dormit, quamdiu somno sepultus, etiam quasi horarius quidam damnatus est, qui mortuam, in corpore sic mortuo habet animam, & neque sæculo viuit, nec Deo. Et non obstupescat Angelicus Thomas, cùm intelligit, tantam esse quorundam hominum audaciam, vt non timeant omnibus illis horis esse prædamnati, quibus somno, & peccato sunt defuncti, & non differunt ab his, qui apud inferos degunt, nisi quòd horum sit æterna, & irreuocabilis damnatio illorum temporalis, qui tamen ad illam æternam per mortem subitaneam momento facere transitum possint?

Hîc ego vos multis exhortarer ad citam confessionem (cuius erit olim tam inueniabilis negligentia, quàm nunc magna vbiq; confessariorum copia) quoties id laborantis animæ grauis necessitas postulat, nisi id à vobis studiosè, ac religiosè fieri existimarem, & vererer nimiùm vnius pulli bucceis infarciendos conuiuas, vbi & non pauca, neque exigua fercula sunt reliqua, quæ frustra tanto inde opere con-

re conquisierim, nisi in esum, vsumque vestrum etiam tradam.

Post pullum ergò turtures columbasque offero, de quibus Leuitici lib. c. 1. narrat, non priùs in holocaustum Domino oblatas, quàm plumæ earum abijcerentur in locum, in quem cineres effundi solerent. Sed quid peccârunt plumæ turturum, aut columbarum, vt non vnà cum auibus cremarentur, & sacrarentur Domino? Respondet Rabbi Salomon apud Cornelium à Lapide Leuit. 1. v. 16. his verbis: *Quia aues plumis volant ad segetes alienas, easque rapiunt, & vastant, ideò noluit eas Deus sibi adoleri, quòd sint instrumenta rapiendi, Deo enim non placent oblationes de rapina.* Vultis nunc videre (immò gustare vultis) auem, quæ seipsam nudauit plumis, quibus in aliorum bona inuolauerat, vt his rapinæ instrumentis euulsis, & abiectis gratum Deo holocaustum fieret? *Stans* autem *Zachæus*, ait Lucas, *ante fores domus suæ*, vt vult Chrysostomus siue *ante mensam*, vt putat Cardinalis Caietanus, *dixit* ad Christum: *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Submonet hîc Theophylactus: *Considera quomodo omninò fuerit nudatus.* Quomodo autem omninò nudatus? Potuit enim tam multis bonis circumfluxisse ex negotiatione licita, vel ex hæreditate paterna, vel ex vxore opulenta, vt inde quadruplo resarciret, damna alijs illata, neque tamen huc expenderet omnia sua. Quasi verò tota principis publicanorum vita, & substantia ex furtis, ac rapinis non sic coaluerit, vt omnia sua, quæcunque ab eleemosynis erant reliqua, huc vertere necessum fuerit, vt cuique redderet sua. Quid ergò fecit: *Omnes opes suas Christo domum suam ingredienti obtulit, & donauit*, inquit Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 16. & 40. *Nullæ illi diuitiæ relictæ fuerunt*, iterum ait Theophylactus, addam ego, *nullæ ergò plumæ reliquæ fuerunt.*

Diuitiæ nimirùm plumæ sunt, quibus homo alitus in alterius tectum, lectumque sæpè inuehitur, iuxtà illud Domini apud Ieremiam 7. c. 5. queruli: *Saturaui eos, & mœchati sunt.* Talibus plumis multis sublimiter volant, & velant, quòd latere alios volunt, efficiuntque, vt nulla sit ijs inacessa dignitas, nulla non tecta siue generis, siue corporis, siue morum fœditas. Hi, quamuis senis diuitiarum per vim, vel fraudem contractarum alis instructi necessum habeant quatuor ex his ad famæ, aut familiæ turpitudinem velandam explicare, duabus tamen sic volant, vt earum remigio eò perueniant, quò alius honestis, & ingenuis natalibus oriũdus, & bonis moribus instructus, & optimo ingenio præditus, & variâ scientiâ excultus, sed rerum inops, & pauper aspirare non ausit. Vide Tomi II. Indicem rerum verbo, *Pecunia*, vbi de pecuniæ potestate, quam in mundo obtinet, plurima reperies.

Zachæus ergò cùm se abdicare principatu, ac Deo consecrare vellet, plumas simul omnes sibi euulsit, abiecitque, diuitias, inquam, semel totas, quarum adminiculo in summum dignitatis apicem euolârat, inque aliorum facultates tam perditè inuolârat, vt dicat de illo Sanctus Augustinus serm. 35. de verbis Domini secundum Lucam c. 3. *Multos oppressit, multis abstulit, multa congessit, atq; inde habuit diuitias.* Et B Ambrosio visum est, tam fuisse perditum hominem, & rerum alienarum tam rapacem depeculatorem, vt putârit, neminem de se posse desperare, *quando & hic peruenit* ad veniam, *cui census ex fraude.*

Accipite ex hac implumi aue, siue turture, seu columba (nam & confessoris, & pœnitentis, quos volucres ille adumbrant, partes omnes per omnem vitam posteriorem diligenter executus fuit) vt procul abijciatis, quæcunque vos ad inconcessa ferre possunt, & vel oculum eruatis, vel pedem, manumque detruncetis, quæcunque ex his sint vobis scandalo, hoc est, vt omnem consuetudinem etiam familiarissimi, & intimi, & coniunctissimi amici & qui pro manibus, pedibus oculis vobis sit, relinquatis, dum sit offendiculo, & vel ad improbitatem incitamento, vel impedimento ad virtutem, denique si quid aliquem (quod facilè accidit) defraudastis, vel simplum restituatis, ne duriusculè agam, si exigam à prouectiore Christiano, vt reddat, quod fecit proselytus Zechæus, quadruplum, præsertim qui famæ alienæ ereptæ est reus, fur inter omnes fures miserrimus, vt cui ex rapto plerumque nihil manet reliquum, nisi dura, & probrosa, adeòque difficilis restituendi necessitas.

Heus verò cede piscem, si quem habes, symposiarcha, vt alternis cibis exacuamus orexin, & non obtundamus eisdem ferculis. Insignem nobis piscem Petrus submisit, qui hamo captus etiam staterem in ore habet, vt sit vsui, si quos præterea sumptus conuiuium fortè requirat. Piscis, cuius in ore stater, auarum Origeni significat, *Vt qui nil nisi de pecunijs loqui norit.* Cùm videris huiusmodi hominem, inquit ille, ab alia correptum ponere pecuniæ non solùm verba ex ore, sed etiam concupiscentiam ex mente, tum eum dicas in mari fuisse, & in salsis

rebus

rebus huius vitæ, & in fluctibus solicitudinum, & habuisse in ore suo staterem, quamdiu infidelis extitit, & auarus, ascendisse autem de mari ad hamum rationabilem, & comprehensum, atque saluatum. Hæc ille pleraque homil. 4. in Matth.

Talis piscis Zachæus fuit, qui publicanus fuit *cuius munus furti quoddam genus est, quod punitioni non subiabet, inuerecundus auaritiæ modus, negotiatio ratione, ac titulo carens, terminus denique, ac finis iniquitatis, quòd Christus declarare volens, vbique meretrices, ac publicanos tanquam maximorum exempla malorum inducit. Hoc morbo Zachæus laborauit, priusquam ad Iesum accederet*, inquit Asterius in cat. Patrum græcorum. Tali munere functus fuit, ac ne ignauiter, aut parùm strenuè id fecisse putes, *Princeps publicanorum*, hoc est, inter impunes fures maximus, & furacissimus fuit, qui *perditi operis in perdita ciuitate egisse scribitur principatum.* Ita S. Petrus Chrysologus serm. 54. Sed hodie illum è mari Christus extraxit, & staterem ipsusmet ex ore, & corde posuit, cùm omnes opes suas, vt ex Nazianzeno diximus, pauperibus, & Christo dedit, atque ita omnem auaritiæ, & habendi sitim sibi ademit, quæ nullo alio faciliùs extinguitur, quàm aquâ liberalis, & prolixæ in egentes erogationis. *Vide hanc in rem multa, & pulchra.* PPP. 357. o.

Accipite ab hoc pisce *non sperare in incerto diuitiarum*, quod Timotheus diuitibus præcipere ab Apostolo est iussus 1. Tim. 6. 17. neque *cor apponere, diuitiæ* si fortè *affluant*, quod cùm Dauid opere primùm docuisset, tum illis diuinissimis verbis sapientissimè suasit, in quæ sic differit Magnus Basilius: *Admirare hanc vocem* (diuitiæ si affluant) *fluxa est diuitiarum natura; possidentes torrente citiùs præterit, atque deserit, alios alio modo apta mutare dominos.* Hæc ille in Psalm. 61. Omninò non fluxæ modò sunt, sed & tam fallaces, quàm falsæ diuitiæ terrenæ, quæ custodes suos inprimis produnt, nec obseruantiæ suæ aliam mercedem rependunt, quàm vt nudum humo iniectâ obrui sinant, à quibus illæ holosericis oculis inclusæ, ferro etiam, & chalybe aduersùs omnem raptorum vim, atque insidias munitæ fuerunt.

Assas nunc bubulas ex vitulo saginato, & ouillas ex agno ferculorum extremas appono, vt ex ijs etiam domum vobiscum, quantùm cuique lubitum, feratis, postquam hîc ingluuiem probè impleueritis. Hunc vitulum apud Lucam inueni. *Ipse autem vitulus saginatus Dominus est, sed secundùm carnem saturatus opprobrijs*, inquit S. Augustinus lib. 2. Euangelic. qq. 133. Ille hodie plurima deuorauit ad saturitatem vsque scribarum, ac Pharisæorum murmura, hanc saginam suam arbitratus, si per illorum tolerantiam adferre salutem Zechæo posset, *apud quem etiam*, vt ex Ambrosio initiò dixi, *se non inuitatus inuitauit*, & dixit: *In domo tua oportet me manere*, idque vt exponit percommodò in rem præsentem Cardinalis Caietanus, *necessitate fructus, quem quærebat, non enim deerant Christo hospitia, sed ad salutem peccatorum efficiendam oportebat ipsum suaui comitate exhibere se conuiuam peccatoribus.* Cohærent cum his illa Cyrilli, Alexandrini, quæ subijcio: *Cùm Christi scopus esset omnes homines saluos facere, blandum se, ac beneuolum exhibet, & confidentiam præbens dixit: Festinans descende, &c.* Ipse idem scilicet est agnus Dei, *qui abstulit peccata mundi*, quando agnus mansuetus esse cæpit, & non abstulit in illa vetere lege, quamdiu qualis taurus ferus sæuo cornu ferijt.

Sumant sibi hinc Religiosi, quòd tametsi hominum sæcularium conuiuia quærere ambitiosè non debeant, ob eas causas, quas illis apud S. Basilium Magnum lib. institutionis monasticæ c. 7. videndas relinquo, tunc verò posse etiam non inuitatos se inuitare, cùm lucellum aliquod spirituale sperant, quale hodie Christus fecit. Sumamus hinc omnes, vt cum gaudio pro Christo murmura accipiamus, ac rideamus præ lætitia, cùm ridemur pro sedulitate obseruiendi Deo, quando Christus se ijs saginari opprobrijs putauit, quæ pro nostræ salutis procuratione sustinuit.

Ac ne sit absque bellarijs conuiuium, ecce *nouum*, ex Ambrosio, *noui temporis pomum Zachæus in sycomoro*, malum in ficu fatua sapientissimum. Qua in re? Ea, inquit Chrysostomus, quòd dimidium bonorum dedit pauperibus, dimidium creditoribus. *Pulchrè diuidit iniustitiam*, inquit ille in cat. Græcorum, *& secat auaritiam, nam validum est, quòd integrum, & vnitum, diuisum autem debile, eapropter substantiam suam in duas diuidit partes, atque ita naturam, vel potiùs consuetudinem superat & vincit.* In his illud premite: *Validum est, quod vnitum, diuisum autem debile.* Id tam verum est, vt diuisio, siue dissensio Christianorum sit triumphus dæmonum (Tom 1. 222. o.) qui tamen animis vnitos aggredi non ausunt (ibid. c. 1.) Et parum est, quòd de dæmonijs dixi, etiam Deum vires destituere videntur, quibus vnitos animis, & concordes homines expugnet. (ibid. 232. c. 1.)

Hic

Hic ego venerabilem Bedam video, qui intento in Zachæum digito vociferatur: *Ecce camelus depositâ gibbi sarcinâ per foramen acus transit, hoc est diues, & publicanus relicto onere diuitiarum, contempto censu fraudum, angustam portam, arctamq; viam, quæ ad vitam ducit, ascendit.*

Breue, sed rarum spectaculum, camelus, qui depositâ gibbi sarcinâ per foramen acus transeat, diues, qui abiectis opibus viam arctam ingrediatur. Quis enim hodie diuitiarum cumulum gibbum putat, & non honori magis eas esse existimat, quæ reuerà sunt oneri? In honoribus autem diuitias censent, quia per eas ad officia honorifica sublimiter extolluntur, quasi non sint pondera, quibus sursum feruntur, vt lancem leuiorem grauior eleuat.

Sed ehem quid facio? Dum fercula ex alijs alia ministro, potum nullum propino, quasi caninum velim esse conuiuium, siue abstemium, vt ille vocat, epulum. Fontem tamen proximum indicaui, qui frigidam magnâ copiâ fundit. Si diuitiarum, si rei cuiusquam alterius siti laboras, eroga illas, disperge, da cum Zachæo pauperibus, aqua enim dandi omnem habendi sitim aufert, quantùm nulla res alia, quod paulò ante ex PPP. dixi. Vis non ardere intemperante opum desiderio? Subijce illas, si non è domo, vt camelus noster Euangelicus, saltem ab animo, vt ne cor apponas, & nec malè retineas, nec prodigè in luxum effundas, nec iniustè, aut nimis auidè corradas, sed inde tibi primùm, quæ victui pro status conditione sunt necessaria vsurpes, tum reliqua Christo pauperi offeras, & ab illo in vicem expectes aquam, ex qua qui bibit, non sitiet ampliùs in æternum. Amen.

Dixi.

INDICVLVS

Eorum, quæ Superiores Regulares ex Nisseni Tomo Secundo pro exhortatione ad Religiosos subditos mutuari sibi possunt.

Numerus Paginam, A. columnam primam, B. secundam, O. totam Periocham notat.

PRO NOVITIIS.



Admonendi qui petunt habitum, ne cùm exire è sæculo volunt, sæculi voluptates antè degustare velint, quia non est bonus transitus à vitijs, ad virtutes. To. II. 341. b. & seq. vbi pulchra.

Eorum qui è sæculo veniunt, paucos neque nisi diu probatos admittendos docet pulchrè Ribera in c. 2. Oseæ. 204. a. Nemini certè facilè credendum, quem non antea benè exploratum habeamus (144. o.) ijs minimè, qui communem nobiscum acturi vitam.

Attentus delectus eorum, qui ad monasticem anhelant, ob id etiam habendus, quòd mundus ferè deteriora Deo obtrudere soleat. (246. b.) cùm illi optima sint offerenda, certè viliora quàm Principibus terrenis præsentari non debeant, ne sit inferior conditione Dominus quàm illius serui. (245. o.)

In religiosos ordines neminem leuiter adsciscendum, Christus suo exemplo docuit, qui scribam illum apud Matthæum, positis in medio multis & magnis difficultatibus deterruit, non suscepit, quanquam dixerat, *Magister, sequar te quocunq; ieris.* (123. a.) causa verò illius repudiati talis fuit, ob quam multi ab ascetarum consortio cohiberi debeant. Vide eam ibid.

Qui autem statum religiosum init, qualis alius, qui nauem inscendit. (123. a.) Verùm autem seruum Dei semper se probabit, si illi eadem frontis, & animi hilaritate sub quouis seu beneuolentiore, seu tetrico, & austeriore magistro per omnem vitam seruiat. (424. o.)

Superiores qualescunque semper timeant offendere Religiosi subditi, quàm maximè, quia iniurias ijs illatas Deus tam inique accipit, vt illis plectendis tota inferorum supplicia videantur imparia. (199. o.)

Qui Religiosam vestem susceptum veniunt, ij toto corpore in terram effusi misericordiam Dei, atque hominum implorant. Quid sibi vult ille occasus? Viuere deinceps Deo volunt, qui se ita solo affligunt, & quoniam id nemo facere potest nisi qui sibi mortuus. (Tom. 1. Perio. 6. Ser. 1. in die Cinerum) idcircò antequàm seruitutis Religiosæ insignia induant, in terram decúbi locum sepulturæ toto corpore sibi demetiuntur, tanquam mori parati, & tumulo inferri prompti, vt Deo posthæc rectè seruire queant.

Niniuitarum Rex fertur sedisse, & cum illo populus, vt habet Tostatus, se extendisse in Cinerem, vt eo gestu significarent, propediem morituros. (153. b.) ad hunc modum se extendunt in terra, qui gratiam Religiosæ vestis petunt, vt indicent se iamiam morituros. Debent autem & tunc, & deinceps sæpè mori, vt demum semel moriantur benè. Rei enim momentosæ, quæ non nisi semel fieri potest, vt fiat rectè, crebrò faciendum est periculum. (153. o.)

Religiosis tyronibus abraditur coma, vt ne capillis prehendi queant, inquit S. Antiochus. Cincinni ex S. August. Tract. 50 in Ioan. superflua corporis videntur, vt superflua est temporalium maior copia, quàm corporis necessitas exigat. Quòd ergò capilli demetuntur talibus, eò monentur, debere abdicare se omnibus, quæ corpori in viuis alendo non sunt necessaria, sic, vt nullus nouaculam fugiat capillus, hoc est nulla temporalium concupiscentiola maneat reliqua, quòd hæc dæmoni sit satis, vt hominem in orcum abripiat. (170. b.) nec enim ille curat, tametsi fores omnibus alijs peccatis obstruas, dum vni soli aditum permittas. (170. o.) Ille apud Magnum Basilium ex senatore asceta, *& syncleticum perdidit, & Monachum non fecit*, qui exiguam facultatum suarum partem sibi reseruârat, cùm abdicare se omnibus debuerat. (171. a.)

Temporalium autem bonorum abdicatio non videri grauis debet his, qui volunt relicto mundo pauperem Christum sequi, nam cuiuis mediocriter prudenti leuis accidit minorum etiam iactura, per quam fit, vt lucretur maiora. (55. o.) res autem terrenæ quibus renunciant, qui & sæculo, nihil sunt, si cum æterna vita conferantur. (59. o.) quam pro illis ex Dei promissione expectant.

Cùm autem morituri omnia coactè deserere debeant, cur non sponte derelinquant, cùm ars sit, eaque quæstuosissima, virtutem facere de necessitate? (77. o.)

Mediocritas Nouitijs plurimùm inculcanda, quã Christus ipse docuit, qui plerumque in medio esse voluit. (8. o. & 145. o.) vbi multa pulchra.

Monendi, quòd Christus suasit quidem baiulare crucem (quod facere cæperunt, cùm sacram vestem susceperunt) sed non quærere sepulturam. (11. a.)

S. Petrus Damianus tamen mallebat nouitios incitatiores, & plùs satis feruentes, quàm ignauos, torpentes, desides, remissos. (512. a.) eò quòd abundans diligentia non noceat. (510 b. o.)

Nouitij non debent indignè ferre, si aliquando flagris, vt pueri, vapulent, maximè, si pueriliter, vt fit, agant. Sic enim fit in domo Dei, in qua & ipse Christus donec puer fuit, vt puer voluit haberi, & tractari. (232 b.)

Nouitij curare debent, vt cum tali veste exeant è mundo, cùm quali intrârunt ordinem. (137. a.)

Pag. 26. a. b. habes duo loca, vnum ex Marco, & Deuteronomio, alterum ex Paulo, quibus excitare possis nouitios religiosos, vt se totos tradant Deo, & exhibeant.

Pro cæteris Religiosis Clericis, quæ tamen ad Nouitios etiam spectant.

DEsiderium profectus, & studium insatiabile perfectionis commendari ante omnia debet Religiosis, & potest ex prima Periocha Dom. 3. post Pascha. (33. o) vbi & vide, quæ ad calcem adnotata. Vide & Periocham 4. Dom. 5. post Pascha. (66. o.)

Perfectionis autem apex cùm sit cacuminosus, & præcelsus, nemo in illum repentè penetrare posse præsidat. (462. o.)

Propter eandem illius sublimitatem, nemo per viam quiescat, alioquin non attinget. (464. o.)

Cogitent non ob aliud secessum petijsse, parentesque & liberos, & vxores, & agros, & facultates reliquisse, quàm vt extrà omnem sæculi tumultum Deo & animæ, cuius negotia ex otio & per quietem tractanda (122. o) vacare liberiùs, & expeditiùs possét, & in illo primo proposito constanter perdurent, quia non est satis alacriter, & strenuè cæpisse, sed qui in finem fortiter perseuerârit, ille saluus erit. (499. o.)

Obedientiæ autem optimam rationem habeant, ita fiet, vt miracula faciant. Cùm ab Apostolis iam-

iam abiturus esset Christus, hæc illis apud Matthæum mandauit: *Euntes docete omnes gentes, &c. Illi autem profecti prædicauerunt vbiq;.* Sic Marcus c. vlt. Quid illam promptam obedientiam consecutum est? Dominus ijs cooperatus fuit, & sermonem confirmauit sequentibus signis. In hæc S. Thomas in sua cat. ex Magno Gregorio sic disserit: *Quid in his considerandum est, nisi quòd præceptum obedientia, obedientiam verò signa secuta sint?* Est graue, & perarduum prædicationis munus (de quo vide Indicem rerum Tomi I.) quià tamen illud S. Apostoli obtemperanter adierunt, Christus statim illis cooperatus fuit, & miracula fecit, vt illorum obedientiæ laborem fructuosum, gloriosumque redderet. Sic Religiosi, qui iniunctos labores, quibus etiam impares sunt, humiliter suscipiunt, debent sibi omnem ex Deo opem promittere, & hoc simul polliceri, quod ille miraculo augebit vires eorum, qui promptè adoriuntur, quod sunt iussi, ne irremuneratam reliquisse obedientiam videatur.

Ad acuendam obedientiæ promptitudinem illud faciet, si cogitent, grauiùs delinquere eum qui officium prætermittit, ad quod spontaneâ pollicitatione se ipsum damnauit, & nō seruat pactum. (413.a.) Quicunque autem rei alicui perficiendæ se ipsum offert (vt se Dei officijs perpetuis offerunt Religiosi) is accuratè, & exactè illam pertractare debet. (412. o.)

Religiosi cogitent, se vel maximè esse operarios vineæ Dominicæ (212. b.) Monendi vt Chorum, scholas, cæteraq; loca laboris communis, hilariter, gaudenterque adeant, quòd Deo non sint grata, quæ grauatè fiunt. Huc vadit tota Periocha. 49. vide quæ ad finem illius ex To. I. adscripsi. Debent summoperè curare vt summa cum alacritate persoluant Deo sua officia, quià nonnunquàm satius est nihil, quàm remissè agere (247.o.) Non enim amat Dominus domi suæ seruos, qui velut inuiti officia sua exequuntur. (377. o.) Cuius ea est ratio, quòd ferè nihil benè fiat ab inuitis. (422.o.)

Debent autem perlibenter noctu conuenire ad laudes Dei. Primùm, quià honorificum est tunc vigilare, cùm alij omnes dormiunt, aut certè malis studijs inuigilant, & magnis præmijs remunerabit eos Sponsus, quos vigilantes inuenerit, cùm mediâ nocte venerit. (244. b.)

Secundò, quià hac in re præclarum exemplum habemus à Christo, qui pernoctare solitus fuit in oratione Dei, vt est apud Lucam c. 6. de quo nocturno orationis studio Christi sic ait Diuus Cyrillus Alexand. apud S. Thomam in Lucam, vbi suprà in cat. hæc dignissima, quæ Religiosi omnes identidem lectitent, & ruminent: *Exurge igitur & tu tempore noctis, purior enim est tum temporis anima, ipsa tenebræ, & silentium nimium possunt ad compunctionem sufficienter perducere. Tunc non vexat inanis gloria, non acedia, non concitatio occupat, non sic ignis ferri sequestrat rubiginem, velut nocturna oratio rubiginem peccatorum. Quem de die solis æstus perussit, nocte refrigeratur, quemlibet rorem superant nocturnæ lachrymæ, & contra concupiscentiam valent, & quemlibet timorem, si verò prædicto rore non foueatur homo, arescit sub die. Quapropter licèt non multùm ores noctu, semel horâ vigilando, & sufficit: Ostende quòd non solùm ad corpus nox pertinet, sed etiam ad animam.* Hæc ille. In eandem sententiam alter Cyrillus catech. 9. sic ait: *Quid est ad sapientiam nocte commodius? In hac enim persæpè de Deo cogitamus. In hac lectioni, & contemplationi sacrarum literarum vacamus. Quando autem magis in psalmodiam, & orationem mens nostra componitur? Nunquid non noctu? & peccata persæpè nostra noctu in memoriam reuocamus.*

Tertiò, debent non solùm interdiu, sed etiam noctu libenter adesse laudibus Dei, qui posthac cupiunt viuere cum illis custodibus murorum Ierusalem, de quibus Isaias 62. 6. ait: *Totâ die & totâ nocte in perpetuum non tacebunt.*

Sanctus Greg. Nyss. in tract. 2. in Psal. ait, *manifestum esse, homines in alterutro, seu bono seu malo, in quo nunc sunt, fore ibidem post hanc vitam.* De S. Ioanne Baptista inquit B. Cyrill. Hierosol. cat. 14. in lymbo occurrisse Christo, testificatumq; esse, & dixisse: *Tu es, qui venturus es:* Hoc Ioannes toto prædicationis suæ tempore, & iamiam moriturus fecerat. Argumento ergò est, hoc quemque facturum à morte, quod in viuis fecerat. Agite itaque Religiosi, laudate constanter ac perseueranter noctu, diuq; Dominum de cœlis, donec estis in terris, certi, quòd cùm beati habitabitis in domo Domini, in sæcula sæculorum laudabitis eundem, sempiternaq; erit vobis sancta hæc exercitatio in patria, quâ in tempore huius peregrinationis assueuistis.

Orationem ament Religiosi, quam vehementer odit dæmon (292. b.) Quâ verò alacritate cantare debeant, discant à Dauide. (283. b.)

Silentium illis etiam percharum esse debet, eritque, si cogitant; primò, quòd sæpè leui locutione perditur bonum, quod magno labore partum, & paratum fuit. (45. a.) Secundò, quanta mala Moysi

illi thaumaturgo, illi Dei familiari, ac gratioso attulit verbum vnicum incautè ab eo prolatum, quod vide obseruatum à S. Ephræm (170. b.) & à Religioso qui parùm loquitur, multùm expecta. (417. o.)

Ad facilem obseruantiam silentij facit custodia cellæ, quæ debet hoc esse Religioso, quod Moysi sua fiscella. Imitentur ergò eius vagitum (221. b.) cellas autem studiosè obseruent, quià si eas dæmon inuenerit apertas, introsilit, & animam ipsi obedientem corrumpit. (449. b.) Debent autem peculiariter amare naturale monasterium, & in eo manere. (299. b.) Tepidis Religiosis monasterium carcer, deuotis sæcularibus carceres sunt monasteria. (342. a.)

Religiosi attendant, quid ipsi agere debeant, non quid faciant alij. (202. o.)

Amicitiolas mulierum omnes fugiant, (394. o.) priuatas vel maximè, exemplo S. Ioan. Euangelistæ. (396. b.)

Studeant esse humilitate compti. (237. b.)

Descendant, vt ascendant. (236. o.)

In rectè ordinatis Conuentibus debent 1. singuli suum locum tenere. (145. o. & 273. a.) Secundò non solius ætatis, sed meritorum cuiusque & dignitatis potissimùm ratio haberi. (235. o. & 272. o. & 310. o.) Tertiò, omnia suo tempore fieri, actum alioquin non de Conuentibus solùm, sed & mundo toto, si locorum, & temporum ratio insuper habeatur, (316. o.) quisque etiam suo officio attendat, nec se ingerat alieno. (468. o.)

Religiosi non debent committere, vt præceptis cogi necessum sit, ad sua officia, nam qui germanus Dei seruus videri amat, is suâ sponte adit, quæ illi placere existimat. (49. o.)

Religiosi suum animum ab omnium rerum terrenarum amore exoccupatissimum habeant, nam si Christi humanitas amori Apostolorum afferre impedimentum potuit, quid res cæteræ faciant, si eas anxiùs diligas? (56. o.) Et habemus Deum tam in amando delicatum, vt & solem, qui nos spectat velut timeat riualem. (205. o.)

Odium & simultates procul esse debent à religiosis domibus, valdè enim alienum est à ratione, quòd se mutuò insectentur, quorum est commune vitæ genus. (287. o.)

Pro Fratribus Laicis seu Conuersis.

Reuereantur Laici plurimùm superiores, & omnes Sacerdotes, quibus summus Deus ipse non parùm detulit. (429. o.)

Laici debent quosuis labores, & qualescunque Conuentuum operas communes hilariter suscipere, domus enim Dei nullum habet officium, quod non sit perhonorificum, (485. o.) & non amat Deus seruos inuitos. (377. o.)

Vt autem tædium laboris eos non inuadat, quem pro Deo seruis illius impendunt, illud faciet, si cogitent, quàm abundè Dominus compenset, quidquid pro illo vel facimus, vel toleramus; (346. o.) at quòd ille verus Dei seruus est qui commodorum suorum immemor, vel incurius, vtilitati studet alienæ. (344. o.)

Illud etiam Laicis multùm adimit de onere quotidiani laboris, si reputent secum oppidò grauiora esse, quæ Dominus noster pro omnibus nobis, & tulit, & fecit, magnum enim leuamen adfert seruo, cùm recordatur Dominum suum grauiora his, quæ ipse patitur, tolerasse. (73. o.)

Cùm Deo manibus meliùs, quàm linguâ respondetur, (155. o.) respondere illius vocationi, & expectationi Fratres Laici optimè possunt, quorum omnia studia sunt manualia. Nec debent manualium laborum tempus dare priuatis orationibus, optimè enim orat, qui suum officium rectè vt debet, curat. (389. o.)

Non debent Fratres Laici esse sicut vaccæ sufidis, neque nosse literaturam, siue numeros, aut arithmeticam (35. b.) immò quando plurimùm desudârunt, debent putare nihil, aut parùm egisse exemplo Christi. (33. o.) Debent amare naturale monasterium (de quo 399. b.) & curare, vt inter medias operas suas sartorias, sutorias, culinarias cœlum animo crebriùs obeant. Sic enim habet D. Chrysost. *Licet viro in foro versanti, aut iter facienti attentè precari, alteri item in officina sedenti, ac coria suenti animam ad Deum dirigere. Licet seruo* (Laico) *obsonanti, aut sursum, deorsum cursanti vel in culina, si non vacet ire in Ecclesiam precationem intimam ex pectore ciere.* (400. a.)

In benè institutis domibus quisquis suum officiũ curat, nemo inuadit alienum (468. o.) Ab initio mundi voluit Deus sic fieri; Gen. 3. 23. 24. Emisit ille de paradiso voluptatis, eiecitq; Adam. Nonnè

& E-

& Euam? Immò ambos protoplastos, nam quòd dicitur Deus emisisse hominem, & eiecisse Adam, repetitio eiusdem sententiæ est, inquit Rupertus lib. 3. in Gen. c. 31. & Adam idem est quod homo. Notate autem quòd dicitur emissus homo, & eiectus Adam, vt operaretur terram, de qua sumptus est. An ergò vterq; vt emissus, vel eiectus, sic etiam terram operari iussus? Respondet venerabilis Abbas: *Licèt in Adam vir simul, & mulier intelligantur, & vterq; sit eiectus, vel emissus, tamen quod dictum est, vt operaretur terram, de qua sumptus est, meliùs de solo viro accipitur.* Dicam ego paulò aliter, nec tamen omninò contradicam Ruperto. Parentes ambo vt eiecti, sic operari terram, de qua sumpti, sunt iussi. De qua terra sumptus est Adam? Ex ea, quam pedibus calcamus; quanam Eua? Ex animata corporis virilis terra. Terram ergò quisq; suam operari iussus est. Adam nimirùm illam insensitiuam, à qua portabatur. Eua verò illam, quam Adam circumferebat. Adam humum, ex qua formatus, Eua costam, ex qua illam supremus Architectus ædificauit. Proin *cùm dicitur, vt operaretur terram, de qua sumptus est, commodè subauditur, & mulier operaretur circa cultum viri, de quo sumpta est*, inquit magnus Abbas. Sic ergò ab initio à summo Patrefamilias distributæ sunt operæ, vt vir agrum, virum mulier colat, & curet. Meritò illud: Nam vt quæq; rectè fiant, illi demandanda sunt, qui meliùs agere nouerit, (273. o.) vir autem rusticanis, & publicis negotijs aptior est, mulier domesticis, virum ergò foris labor expectat, mulierem domi. Laici ergò quibus curà domestica ferè commendatur, hanc strenuè tractent, in pistrino, culina, & sua quisque officina, non in libris versentur, quos non de nihilo ijs auferri sacra nostra constitutio præcipit, quòd sit canina, qualem Plato ordinauit, Respub. vbi officiorum confusio, Laicos intùs ferè vt mulieres domestica cura adstringit, Clericis extrà sua est occupatio siue in cathedra, siue in pulpito, siue in confessionali, ijque agro Ecclesiæ colendo, seminando, perpurgando studeant. Laicorum verò industria in eo potissimùm versari debet, vt Clericorum corpora, & quæ ad illorum alimoniam pertinent, curent.

Laici tamen Ordin. Præd. debent etiam esse prædicatores. At nonne hoc fuerit inuadere officium alienum Clericorum Sacerdotum? Minimè. De Christo ait Matthæus: *Et aperiens os suum docebat,* &c. quid fuit opus addere aperuisse os suum, vt doceret, cùm nemo docere, nisi aperto ore possit? Immò verò & sine ore aperto docere quilibet potest, inquit Chrysostom. apud S. Thomam in cat. & Christus manibus, ac reliquo corporis gestu plurima docuit. Hunc per facta docendi modum debent seruare Laici, & hic est efficacior, quàm prædicatio per sola verba. (493. o.)

Pro Studentibus, Professoribus, & Concionatoribus.

Literarum sacrarum ardens studium discant Religiosi ab homine sæculari, eoque aulico Reginæ Candacis gratioso 159. b. præsertim Concionatores, qui videant in ser. De S. Ioanne Bapt. quæ in illud. *Et scripsit dicens*, ex SS. Ambrosio & Thoma ibi notauimus. Thesaurus absconditus in agro sunt sacræ Scripturæ in quibus reposita est notitia Saluatoris. Ita S. Thom. in cat. Matth. 13. ex D. Hieronymo: consentit S. August. qui ibid. ait thesaurum absconditum in agro esse duo testamenta in Ecclesia. Verè thesaurus est notitia sacrarum Scripturarum, & substantia Sacerdotii nostri, inquit S. Dionys. l. de Eccles. Hierarch c. 1. vt S. Ioanni 1. canon. 3. 17. substantia mundi dicitur peritura rum copia opum. Hunc thesaurum, cùm quis ex parte intellectus attigerit (inquit porrò vltrà ex D. Aug. S. Thom.) sentit illic magna latere. Quid verò facit, vt eum sibi obtineat? Vadit, & vendit omnia, & emit illum; id est contemptu temporaliũ comparat sibi otium, vt sit diues cognitione Dei. Sapienter obseruatum à Pio II. Pont. Max. quòd numi quasi quid sensus habeant, fugiant domos sapientum, & eorum, quos bonarum literarum amor tenet. In promptu causa est, vidente nim à sapientibus, & literarum studiosis non tantùm non honorari (quod fatui ferè faciunt) sed etiam insuper haberi. 210. b. Contemnunt musarum amasii omnẽ vxoriam, & quamuis aliam carnis voluptatem, scientes, quòd & Gentilis quidàm intellexit, neminẽ posse simul & vxori, & Philosophiæ vacare, & diuisum esse, qui vxori coniunctus: contemnunt diuitias, scientes quòd spinæ sunt, quæ mentem lacerant, & confodiunt, vt studiis animus saucius vacare non possit: Contemnunt ciborum oblectamenta, scientes, non posse habere mentem tenuem, cui venter pinguis: Contemnunt mundum totum, nec se implicant negotiis sæcularibus, quòd ea solicitudinibus suis animum vehementer distrahere, & facilè extinguere soleant semen, si quod auditu, vel lectione

lectione hauserit: Somnus ipse fugit ab oculis eorum, quibus studia esse oculis chariora videt. Tanti emunt otium, quod bonis literis dare possit, qui sunt in earum amoribus.

Ad amorem sacrarum literarum præclaro nos exemplo adhortatur Paulus, qui è vinculis hæc Timothæo scribebat: *Penulam veniens affer tecum & libros maximè autem membranas*, 2. Timoth. 4. 13. Exclamat hîc S. Thom. *Quid egebat Paulus libris, qui plenus erat Spiritu sancto*. Respondet Doctor Angelicus: *Quanto magis appropinquabat morti, tanto magis instabat servitio* (fortè studio) *scripturarum, sicut de B. Ambrosio dicitur, quòd vsque ad vltimam ægritudinem non cessauerit scribere.* Et quid membranæ, quas maximè Apostolus afferri petebat? Respondet S. Thomas: *sunt chartæ, vel schedulæ, vbi scripserat Epistolas, vel prædicationes suas*. Grauiter ergò obiurgandi Concionatores nostrates quàm multi, qui non scribunt, quæ dicturi sunt, nisi fortè summa capita, ex quo fit, vt de rebus sacris sæpè sordidè, & ineptè dicant. Miseros nos! Si tam socordes fuissent Patres Ecclesiæ, & satis putassent verbo ædificare fideles, & scribendi labore supersedissent, quibus multò ampliùs debemus, quòd scripta sua nobis posteris reliquerunt, quàm quòd sui æui homines verbo erudierũt. 360. o.

S. Ioan. Chrysostom. hom. 10. in 2. Tim. ait *Quid Paulo libris opus erat, cùm esset migraturus ad Dominum?* Respondet autem tunc maximè eguisse, vt eos fidelibus commendaret habendos, & vice doctrinæ illius seruandos. Itaque Apostolus, vt per omne tempus, à quo ad Christum venit, erudiendorum aliorum officium diligentissimè procurauit, ita huic studio immori, & post mortem cùm per se non posset, per libros dare operam voluit. Verè mors vmbra vitæ 480. o. sic enim & Elias in igneo curru ab equis igneis, è mundo abreptus fuit 480. b. quem pater eius Sabacha vidit igne tanquam fasciis inuolui, & flammâ ignis veluti cibo ali, quando primùm in mundum natus fuit, vt S. Dorotheus, Epiphanius, Metaphrastes apud Surium, & Sanctius in c. 17. 3. Reg. n. 4. referunt.

Quòd Paulus morti vicinus petierit sibi libros, & membranas adferri, id Hugoni Cardinali *argumentum est pro studio, aut enim volebat studere, non obstante morte imminente, vel in aliis studium commendare*. Hæc ille. Frontem non habet, qui non erubescit, dum Pauli tantum in sacras literas amorem cum sua ignauia componit. *Aduerte*, ait, bonus Cornelius à lap. *quàm otium fugerit Paulus, quàmque studio sacræ scripturæ addictus fuerit, vt illi immori vellet, nimirùm tam diu nobis discendum est, quamdiu viuitur*, inquit Solon. 1. Timot. 4. 13. aiebat iterùm Paulus *Dum venio attende lectioni*. Vbi Chrysost. Thi. 13. *Timotheum ecce admonet lectioni operam dare. Audiamus hoc omnes intentiùs, & discamus diuinarum meditationem scripturarum minimè negligere.*

Pro Magistris Nouitiorum.

Magistri Nouitiorum, sicut vniuersim omnis Præceptoris officium est, & obiurgare, & consolari, ac vtrinque excitare 268. o. de quo vide & indicem de sanctis in communi Apostolorum.

Magistri Nouitiorum, & omnes superiores Regulares, studiosè lectitent, & obseruent Periochã quintam Dominicæ septuag. 485 o.

Magistri Nouitiorum magis amari appetant quàm timeri, vt enim animo subigas, id morum comitate, & suauitate verborum faciliùs, quàm vllis vel spiculis, vel reticulis effeceris. 107. o.

Doceant fratres amanter & lætanter ea facere, ad quæ venerunt, nihil enim benè fit ab inuito 422. o. & perspicuum est, rem esse nullam, quæ rectè peragi possit, nisi amore comite inquiebat ille. 424. c. 1

Doceant Nouitios à primo peccato studiosissimè cauere, quòd hoc ferè damnosissimum sit, nec quicquam periculosius, quàm semel cœpisse malè agere. 507. o.

Doceant non diligere solùm, sed & amare, & deperire orationis studium, nam vt in mundo numis, sic oratione apud Deum omnia impetrãtur. 292. o.

Studeant illis vbique quantùm negotia ferunt, adesse, quia vt aliorum superiorum, ita & Magistrorum absentiam confusiones facilè sequuntur 437. o.

Neque tamen nunquam Deum imitentur, cuius palpebræ interrogant filios hominum, quod vide commodè expositum. 436. b.

De Prioribus & Superioribus Conuentuum.

Priores Monasteriorum monendi, vt quantùm fieri potest, continuò sint præsentes, non modò in domo, sed & in refectorio & in choro nam Prælatorum absentia confusionum parens est 437. o. & cùm ii non intersunt diuinis officiis, ferè vacuus est chorus. 439. b. quod Oleaster noster notauit, vtinam non videamus ipsi.

Prælati habeant magnam, & diligentem rationem bonæ vitæ, nam eorum efficax est exemplum ad permouendos quosuis subditos. 363. a. & omnis conuentuum salus, aut pernicies in superioribus posita est. 21. o.

Cùm autem tam arduum sit curandarum animarum officium, vt & ipse Christus illud pertimuisse videatur 18. o. non debet id cuiuis facilè committi, nec leuiter ab aliquo suscipi, nisi qui diligentissimã illius habere rationem velit.

Non debent superiores vel maiorem, vel etiam parem habere carnis, & cuticulæ suæ, ac ouium rationem, sed in harum vsus ita se totos conuertere, vt præter illarum vtilitatem nihil curent 27. o.

Qui sibi blandus, & lenis, aliis asper, & durus ille nihili superior, & idolum quoddam Pastoris est. 171. o.

Monendi superiores, vt diligentissimè studeant, quomodo cum fructu monere subditos queant, nam cùm omnia alia suum opportunum tempus requirant, tum vna maximè postulat aliorum correptio maturitatem, & prudentiam. *64. o.*

Pro Exhortatione ad Religiosos.

Ex Tomo tertio Nisseni.

VT hoc alacriter, gaudenterque mundo renuntient, quos Deus ex illo & lætanter hoc faciant, cogitent, quòd pro vno parente quem relinquunt, plurimos inueniunt patres, & pro pauculis fratribus, sororibus, cognatis tot fratres, sorores, & spiritu affines, quot sunt illius Ordinis, cui se tradunt, religiosi alumni, quotque sacræ vestales. Sic Abraham de terra sua, & cognatione, & patria domo iussu Dei egressus factus est in gentem magnam, Gen. 12. & amplissimarum regionum dominus, postquàm ab vna patria sua pro Deo sponte exulauit. Abrah. 3. c. 1. & 2.

Nouitii religiosi non debent quauis statim difficultate frangi, non cadere animo ob quamuis ieiuniorum, vigiliarum, meditationum molestiam, non leuiter timere, ne perdurare inter suscepti Ordinis labores non possint. Abrah. 19. c. 1. quia magna ignauia est timere pericula, quæ fortuitò accidere possunt. Ibid. 17. o. & laurus beatitudinis solis fortiter perseuerantibus est præparata ibid. 12. o

Quoniam ex nimia acceleratione solent longæ moræ resultare, plurimùm refert ad regulam discretionis ita moderari, & distribuere iter, vt perdurabili passu, & continuâ profectione perfici queat. PP2. 619. o.

Sic Iabob, cùm ei se frater Esau socium itineris offerret, veritus ne cuncti vno die morerentur greges, si celeriùs eos ambulare, nimiùmque laborare cogeret, aiebat: *Præcedat dominus meus, & ego paulatim sequar vestigia eius, sicut videro, paruulos meos posse*, Gen. 33. Habent hîc nouitii, & quicunque imprudentes Religiosi, quod discant, & imitentur, qui prætermissâ virium suarum expensione tam properanter, cursimque feruntur per viam spiritus, vt antè deficiant, quàm perficiant iter & inepti reddantur ad reliquum curriculum perficiendum, Ibid. *620*. c. 1.

Verum & pulchrum est illud Bernardi: *Discretio omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit etiam, & perpetuitatem.* Vnde Propheta ait: *Ordinatione tuâ perseuerat dies, diem virtutem appellans.* Vbi itinerandi nullus est ordo, nullus modus, discretio nulla, quomodo rectè sua cuique dici mẽsura designari, & continuari profectio potest? Ibid.

Etiam Apostolos suos iussit Dominus *ire seorsum in desertum locum, & requiescere pusillum* Marci 6. ne diuturnitate concionandi se conficerent. Ibid. c. 1.

Deus *disponit omnia suauiter, atque idcircò attingit à fine vsque ad finem fortiter. Tu fortiter inchoas, tepidè consummas. Cur hoc, nisi quia non disponis omnia suauiter, nec scis operari sapienter? Incipis, curris, festinas, anhelus lassaris, deficis, & non dicam ad finem, sed nec ad medium pertingis.* Ita Richardus de S. Victore ibid. 621. c. 1.

Optimè faciunt, qui Christi iugum ab adolescẽtia suscipiunt. Bonum quippè est citò assuescere armis laboris, vt ferendi molestiam consuetudo leuet, & tolerabiliorem faciat. PP2. 452. o.

Postquàm Deo certum fuit, Adamum post præuaricationem ad remum vitæ laboriosæ damnare, non diu in paradiso viuere permisit. Nam si multos dies inter arborum amœnitatem, & fontium irrigua, & florum flagrantiam, & herbarum virorem, & harmonicum auium concentum, & iucundum illius tam felicis loci otium transmisisset, demum verò eiectus fuisset, vt stiuam tractaret, & glebas subigeret, & terram vomere proscinderet, victumque labore, ac sudore pararet &c. id acerbiorem illi cruciatum, doloremque intolerabiliorem attulisset. Ibid. 453. c. 1.

Grauiùs nocet, quidquid inexpertum accidit, inquiebat

quiebat ille: *Et nolle inebriatus est, non quòd bibax esset, & ebriosus, sed quia bibendi vsum nullum teneret*, Ita S. Basil. Mag. ibid. 453. c. 2.

Pulchrum est illud Senecæ axioma: *Nullo meliùs nomine de nobis natura meruit, quàm quòd cùm sciret, quibus ærumnis nasceremur, calamitatum mollimentum consuetudinem inuenit, citò in familiaritatem grauissima adducens.* Ib. 454. c. 2.

Concionantis in domo quadam Christi sermonem importunus nuntius interpellabat, dicens: *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant, quærentes te.* Matth. 12. *Et extendens manum suam ad discipulos suos dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. Quicunq; enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* S. Petrus Damianus ad Monachos suos ex his verbis Dominicis ita differebat: *Notate, fratres, notate dignitatem vestram, si adimplentes voluntatē Dei, frangitis voluntatem vestram.* Ad religiosos ascetas, vt præfatus sum, dirigebatur hæc oratio, quos Damianus iubebat attendere, quòd abnegantes propriam voluntatem renuntiantesque mundo, parentibus, & cognatis in summum nobilitatis gradū peruenirent fierentque Christi non solùm fratres, & sorores, sed etiam matres, & parentes, quòd totum secundùm carnem esse non potuit illa Virgo, quæ secundùm carnem mater fuit: *Nos autem hæc simul omnia Christo per spiritum sumus*, pergit Cardinalis. Abrah. 105. col. 2.

Quanta ergò felicitas est, pro Deo aliquid perdere, qui paucula relinquenti in vicem plurima reddit! Quanta misericordia admittere hominem ad contubernium religiosum, vt fiat frater soror, & mater Christi! Itaque vt alii lucrá expetunt, sic nos Christiani optemus rerum nostrarum pro Deo tam prolixo remuneratore iacturam. Ibid. 103. o.

Religiosi debent lætanter propriæ renuntiare voluntati. Tametsi enim hæc gemma sit pretiosissima, & gratuitum Dei donum, sæpè tamen ingentia nobis damna parit. Abrah. 30. o. Per hanc quippè Lot primùm in turpe nefandorum Sodomitarū consortium, dein etiam in incestum multò turpiorem incidit. Per hanc factum vt Ierosolymitæ peruenire non possent in veri Dei cognitionem, ex qua eorum salus æterna pendebat. Ibid. 31. c. 2.

Vera obedientia tam grandem confert existimationem, vt prorsus sanctum, omnibusque virtutibus confertum arbitrari possimus illum, qui eam enixè colit, & humiliter, demissèque exercet. Abrah. 176. o.

Religiosi, qui rectam in cælum tenere viam volunt, humiliter ad amussim voluntatis incedant alienæ, neque arroganter, ductum sequantur propriæ. Nam antè ignis adurere, & lucere sol desinet, quàm errare homo nimiùm sibi præfidens. PPP. 373. o. *Multa habet hoc caput, quæ capita Religiosorum suis subditis fructuosè inculcare possint.* Notabilissimum in eo illud, quod S. Ephræm ex sententia cuiusdam veteris monachi in palæstra vitæ spiritualis plurimùm exercitati ait. *Si conspexeris adolescentem, siue nouitium ascetam propriá voluntate in cælum ascendentem tene ipsum, expedit enim ipsi. Id verò de illo quoque intellige, qui cùm ætate sit senex, mente tamen est iunior?* Ibid. 376. c. 1.

Quàm felices religiosi vel ex eo, quòd sunt iniuges! Percurrebat animo S. Aug. omnes huius vitæ status, cùmque in eos incidisset, qui se continentiæ, & cælibatui deuouerunt, sic aiebat: *Alius ex munere Dei maius aliquid vouit, & statuit nec nuptias pati &c.* Quid est nuptias pati? Ducere vxorem, vel nubere marito. Et hæc passio est? Omninò, eaque quàm diuturna, tam acerba. Iungi enim matrimonio, est addici remo curarum, & ærumnarum, quas hic status magno agmine secum ducit. Abrah. 196. col. 2.

Reliquis vitæ humanæ statibus minutatim dantur labores, coniugati prægrauantur omnibus. Ib. o. *Vbi multa in hanc rem selecta.* Optabilis ergò necessitas, quæ Religiosos prohibet à nuptiis.

S. Theodorus studita, cùm Monachos hortaretur, vt immortales Deo Patri referrent gratias, quòd ipsos in amœnum status religiosi viridarium adduxisset, inquiebat: *Quòd post studium est iuge in Domino gaudium?* tanquam dixisset: Exercitatio monastica quidnam est aliud, quàm terrestre cælū, vbi non secus ac in delitiosa paradiso in perpetuo laudum diuinarum cantu, & Angelorum iucundissima societate viuitur? subiicit autem: *Nam vbi matrimonium est, ac seruitus, & quæ ex iis molestiæ manant, misera hæc hominum generi diuinitus insita distractio, difficile est in Domino gaudere.* PPP. 259. c. 2. & 260. c. 1.

Quanquam matrimonium sit sanctum Sacramētum, non tamen hoc facit, quin statum illius plurimæ plerumque comitentur ærumnæ, & varii labores excipiant. Ibi. 259. o. Quare ter, quaterque, & millies beatos se putare debent Religiosi, quibus Dei beneficio singulari concessum est, cælibem ducere vitam.

Non debent deficere animis, si primis statim diebus

bus non intelligunt, quæ vel legunt, vel audiunt, cùm posterior sol sæpè sit magister prioris, & dies sequens præcedenti nonnunquam eructet verbum, & nox postridiana pridianæ indicet scientiam. Christus non semel dixit discipulis suis Doctor optimus: *Filius hominis tradetur in manus hominum, & occident eum*, Marci 9. Audierunt hæc illi, & tanquam surdis dicta essent, non intellexerunt. *At illi ignorabant Verbum istud & erat velatum ante eos, vt non sentirent illud*, Luc. 9. 45. Poterat Christus, qui auribus ea ingerebat, etiam sensum illorum inserere animis, sciebat verò quòd illa tunc demùm rectè percepturi essent, cùm eum à morte rediuiuum visuri, quod satis esse arbitratus fuit, vt non primo statim die illis rem enudaret, quanquam & aliam Theophylactus excogitauit causam, ob quam meritò tunc enucleare sua dicta nolebat iis, à quibus non intelligi cernebat. Abrah. 102. col. 1 Benè sperent ergò pii religiosi, qui sacris literis dant operam, & cùm sint tardiore ingenio non statim assequi possunt, quæ siue legunt, siue audiunt, ex his namque quæ posthæc legent vel audient, etiam illa priora intelligent.

Sunt qui longâ vitâ, quam in veste religiosa exegerunt, glorientur, nec satis curant, vtrùm vestitui sacro mores responderint. Horum præsidentiam vt corrigeret Eusebius Emissenus, siue vt alii volunt, Eucherius Lugdunensis, sic aiebat: *Solemus annos nostros, & temporum spatia supputare. Non te fallat, quicunque ille est numerus dierum. Illum tantùm diem vixisse te computa, in quo malis desideriis restitisti, quem sine vllius regulæ transgressione duxisti. Illum diem vixisse te computa, quem non malitia commaculauit, qui peccato non cessit, qui diabolo repugnauit. Illum, inquam, diem applica ad vitam tuam, cuius vsus peruenit ad animam tuam.* Si illum tantùm diem vixisse putare debet religiosus, quem sine regulæ transgressione duxit, non ergò susceptæ, sed rectè vsurpatæ sacræ vestis tempus numeret (PPP. 293. & seq.) quia & ætatis religiosæ magnitudo non ex dierum numero, sed multitudine meritorum pensatur, nam & ille solùm viuit, qui benè viuendo vitam meretur æternam, ille magis longæuus est, qui virtutum magis abundans. Ibid. 290. o.

Postquàm nonaginta, & nouem annorum esse cœperat Abraham, apparuit ei Dominus, dixitque ad eum: Ambula coram me, & esto perfectus, Gen. 17. Cur tam longæua sancti Abrahæ exprimitur ætas, cùm studere perfectioni, & coram Domino ambulare iubetur? Vt nobis documento sit, quòd simile progrediendi, ac Deo seruiendi studium nunquàm dimittere debeamus, tametsi inter illius officia fortè incanuerimus.

Cùm Deus nullum benefaciendi nobis finem faciat, quare nos ab illius officijs vnqnàm desistamus? Abrah. 92. o.

Ætas nulla, quamuis capulo proxima, emeritos apud Deum senes facit.

Corinthios homines sæculares his tam acribus verbis perstringebat Paulus: *Iam saturati estis, iam diuites facti estis*, velut ex mente Chrysostomi illud *Iam* prementis dixisset: Ludit vos turpiter, & periculosè, estq; à ratione aliena vestra opinio, quæ hoc habet, vt *iam* saturos, & expletos, *iam* peropulentos vos putetis: *Insatiabilis enim res est pietas, & mentis puerilis est, existimare se totum accepisse*, inquit os aureum.

Si puerum à domo, quantùm iactus est lapidis, abducas, vel mox delassatur, vel mundi finem attigisse putat. Si crystallum ei des, adamantem arbitratur, cui totus sit impar mundus. Sic qui vnâ eleemosynâ, vnâ corporis verberatione, vno ieiunio arbitratur in supremum pœnitentiæ, & liberalitatis cacumen peruenisse, næ ille puerili est animo, & iudicio, quantumuis capite incano.

Semper ficus Ecclesia similatur, inquit Chrysostomus, *scire autem expediens est, quòd senescens ficus fertilior euadat*, inquit Constantinus Imperator. Hinc accipiant senes, inprimis Religiosi, vt quò sunt prouectiores ætate, eò sint fœcundiores fructibus pietatis, vt fructuum, & annorum copiâ pariter augescant, & cùm sunt ex graui senectute incurui, sint ad officia Dei erecti & expediti.

Currant viam mandatorum Dei instar boni equi, cuius *hæc nota est, quando stans impatienter tolerat quietem, & terram pedibus pulsans, cursum meditatur*, inquit Cassius Vticensis.

Solam in via officiorum diuinorum impatienter ferant quietem, & remissionem senes cætera ferant æquanimiter effœtæ ætatis incommoda, & cursum semper meditentur, ad DEI cultum celeres, licèt ad alia tardi.

Nihil organorum nostrorum natura post, sed antè tantùm composuit, inquit Cyrillus in apologis. Cur hoc? A fronte, non à tergo posuit omnia sentiendi instrumenta supremus opifex, vt eâ structurâ nos tacitè moneret, in pietatis, & sanctitatis itinere progrediendum semper esse, nunquàm retrò abcundum.

Apostolis suis aiebat Christus: *In hoc clarificatus est Pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei Discipuli*; Ioan. 15. Iam erant Discipuli, quomodo ergò futurum erat, vt efficerentur eius Discipuli? Et erant iam Discipuli per eius cooptationem, & efficiebantur per continuum studium, perseuerantemque contentionem proficiendi sub disciplina eius. Ita ferè Caietanus: Petrus, Andreas, alijque quamuis decrepiti, & cruci, mortique proximi, efficiebantur Christi discipuli, aut certè ita fructificare, & gratificari, Deo studebant, quasi ad collegium illius nondum admissi essent, sed etiamdum aspirassent. Ibid. 93. c. 2.

Nunquàm se perfectum putet Religiosus, quantumuis enim perpolita sit anima, quantumuis ornatis moribus, semper inueniet, quod plus expoliat, & emundet. Abrah. 105. o. In domo Abrahæ omne masculinum circumcidi debuit, Gen. 17. *Nec senex proselytus, nec infans Vernaculus excipitur, quià omnis ætas peccato obnoxia, & ideò omnis ætas sacramento idonea*, inquit Sanctus Ambrosius. Nullus ergò præsumat, quòd tam sit purus, vt circumcisione, refectione, purgatione non egeat. Ipse adeò *ætatis maturioris Abraham circumcidi iubetur*, inquit ille rursùm.

Christus tametsi baptizaret in Spiritu Sancto, & igne, Matth. 3. & peccata dilueret, habebat nihilominùs ventilabrum in manu sua, eoq; permundabat aream suam, idq; ne quis torpeat suscepto baptismate, inquit Euthymius, qui scilicet ætate maturâ baptizatus fuerit, talis enim homo, quantamcunque diligentiam, curamque adhibeat, vix efficere potest, quin offendat, & committat, quod rursùm emundari debeat.

Expoliauerat se, illa de Canticis tunicâ suâ, hoc est, noxijs affectibus, quos cum originis peccato ab Adamo acceperat, & tamen statim querebatur, sibi ablatum pallium. Vnde illi recèns nudatæ pallium, vt iterùm spoliari posset? Inde quòd nulla tam pura anima, quæ non aliquid tunicarum pellicearum Adæ habeat. Anima quæuis nauis est, velut sentinam quandam circumferens, semper exhauriri debeat. Ibid. 106.

Religiosi superiores cùm & amari debeant, & timeri, etiam facere debent, ob quæ tum diligantur, tum metuantur. Abrah. 67. o.

Postquàm Protoparentum inobedientiam verbis acribus Conditor illorum egregiè depexuisset, *fecit eis tunicas pelliceas, & induit eos*, Gen. 3. Oleastri prudens in hanc rem annotamentum sic habet: *Decet locus iste, Prælatos debere non solùm castigare subditos suos ob peccata, sed etiam amoris signa castigatis ostendere, nam etsi peccator castigandus sit, homo tamen fouendus est.* Exemplo ergò supremi Domini debent Prælati inferiores demulcere humanitate subditos, postquàm eorum delicta seueriore censurâ perculerunt, sic vt in transgressionem vadat acrimonia correptionis, transgressores verò foueat blanda compassio charitatis. Abrah. 89. c. 1.

Omnis vniuersim quorumuis superiorum animaduersio, vt ne sit infructuosa, sic instituenda est, vt peccato deiecto, & prostrato erectus maneat peccator. Ibid. 88. o.

Sic Dauid Psal. 7. rogabat Deum, vt in ira exurgeret, & exaltaretur in finibus inimicorum suorum, non vt eos interficeret, sed vt consumeret nequitiam peccatorum, *non vt sumeret pœnam de inimicis*, inquit Chrysostomus, *sed vt inimici cessarent ab improbitate.*

Sic Euphrates magnus Philosophus, & orator apud Plinium *insectabatur vitia, non homines, nec castigabat errantes, sed emendabat.*

Sic Christus cum ira circumspexit, & aspexit Iudæos, simulque contristatus est super cæcitate eorum, qui interrogati liceretnè Sabbatis benè, an malè facere, nihil responderunt, *vsus irâ contrà vitium, condolentiâ ad homines*, inquit Caietanus.

Sic Dauid aiebat: *Irascimini, & nolite peccare*, Ps. 4. Siue vt alii legunt, *Nolite errare.* Errat, cuius iaculum aliò quàm in scopum fertur. Ita errant, qui cùm peccatum conficere deberent, peccatorem spiculis suæ obiurgationis configunt, & vulnerant.

Alcon Cretensis dexterrimus iaculator, cùm eius filium draco inuasisset, tantâ arte direxit sagittam, vt ea in vulnere serpentis deficeret, & ad filium non perueniret, simulque & illum perimeret, & hunc seruaret. Hunc imitati sic configamus draconem peccati, vt illæsus abeat peccator. *In inimicis occide errorem, sed foue charitatem*, aiebat Mauritius Hilaretus.

Religiosi debent etiam suas habere vacationes, & ne arcus spiritus nimiùm tensus rumpatur, honestâ recreatione nonnunquam est relaxandus. Abrah. 78. o.

Angusta via est, & arcta porta, quæ fert in cælum, Matth. 7. atque ideò latum mandatum est necessarium, inquit S. Ambrosius in illud Ps. 118. *Latum mandatum tuum nimis*, velut dixisset: Quoniam stricta est semita, & austera disciplina, & rigidum vitæ asperioris institutum, ea propter habet etiam

suas

suas animi relaxationes, & honestas recreationes, ne in via, quam tenent, deficiant.

Ipsi Apostoli iussi fuerunt venire *seorsum in desertum locum, & requiescere pusillum*, Marci 6. postquàm à prædicationis labore redierunt. Ex Theophylacti annotamento, *quiescere fecit Christus Discipulos suos, vt sciant Prælati, laborantes, in verbo, & doctrina dignos, quibus detur sua quies, &c.*

Ipsa Ecclesia quadragesimalis ieiunii laborem lætâ admirabilis conuiuii à Christo instituti commemoratione leuat.

Arbores adeò spiritum desiderant aliquem, vel solutionem, vel meatuum relaxationem, vt volebat Theophrastus, & quod caret alternâ requie, durabile non est. Ibid. 80. c. 1.

Permittendæ sunt Religiosis recreationes, sic tamen, vt modestiæ limites non prætergrediantur. PPP. 377. o. Permittebat & Christus Apostolis, vt ederent, ac biberent, quæ apud illos essent, ad quos diuerterent, Lucæ 10. addidit tamen: *Dignus est enim operarius mercede suâ*, vt dum victum ab hospitibus suis exhibitum acciperent, cogitarent se illum sumere tanquam alumnos scholæ Christi, & famulos domesticos, & operarios vineæ illius, ex quo fieret, vt temperanter cibum caperent, moderationemque, & frugalitatem, quæ tales deceret, seruarent. Ita ferè Euthymius. Ibid. 378. c. 2.

Paulus Philippenses hortabatur, inquiens: *Gaudete in Domino semper, iterùm dico gaudete.* Sed mox addebat: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Cur ista? S Thomæ ea talia sunt, qualia si dixisset: *Ita sit moderatum gaudium vestrum, vt non vertatur in dissolutionem*, vt omnibus sine offendiculi periculo innotescere queat, & nemo scandalum inde accipere possit si fortè intelligat.

Dei præsentia magnum est adipiscendæ perfectionis adiumentum. Dicebat Deus Abrahæ: *Ambula coram me*; quod ita exponit Ambulensis: *Sic ambula in omni conuersatione morum, vt si me coram te semper videres. Et istud est præcipuum, quod hominem tollit à peccato, scilicet continua memoria de Deo in actibus nostris.* Hæc ille. Inexplicabilia, & innumera sunt commoda, quæ animæ confert Dei recordatio continua. Abrah. 94. o.

Plurimùm vtilitatis Dauidi attulit, quòd coram Deo malum fecit, hoc est, illum, cùm offendit, recordatus fuit? Itané *plus habet, qui malum coram Deo facit*? quærit Origenes, & respondet: *Illud profectò, quod continuò pœnitet, & dicit: Peccaui.* Quando inter impia vitæ flagitiosæ studia memoriam Dei retinemus, spes manet reliqua, quòd illum per lachrymas conciliabimus. At qui discedit à conspectu Dei (vt Cain, qui *egressus* est *à facie Domini*) *nescit conuerti, & peccatum pœnitendo purgare*, inquit rursum Origenes.

Sanctus Ignatius aiebat, præsentis Dei recordationem sibi vnicum semper visum remedium, quo homo contineri in officio queat: *Memento Dei, & non peccabis*, scribebat in Ep. 3.

Tametsi populus Iudaicus valdè propenderet ad idololatriam, præsente tamen Iosue, vt ferè loquitur Tostatus, non erat præsumptio, aut periculum, quòd adoraret duodecim lapides è Iordane exemptos. Si hosce infrenare potuit homo præsens, præsens Deus quid non faciat?

Chrysostomus suos Auditores aliquando monebat rogare Deum, vt Apostolicum munus assequerentur. Quodnam? An variarum linguarum donum? Aut excitandorum mortuorum, aliorumq; miraculorum patrandorum gratiam? Nihil tale, *sed illud, vt præsentem Deum habeamus*, inquit ille, quasi tunc quis vitam Apostolicam imitetur, quando Deum semper ob oculos habet. Ibid. 95. & seq.

Sunt Religiosi, qui cùm se alicubi nonnullis tentationibus vexari, aut tristitiâ affligi, aut non satis commodè haberi vident, in alia monasteria transmitti, importunè rogant, in quæ cùm peruenerint, eisdem vrgentur bellis, & eò peiùs semper habent, quò crebriùs locum ex loco mutant. Sed quid iuuat euadere loca, & suarum cupiditatum vbique circumferre vincula? PPP. 216. c. 2.

Cùm homo seipsum conducat, quocunque vadat, felicitas eius non in mutatione locorum, sed in emendatione morum sita est? Ibid. 215. o. *Habes multa in hoc cap. & alio in loco ad finem illius annotato, quæ declamare apud religiosos possis.*

Religiosus velut piscis extrà recessus, & solitudinis suæ aquas facilè perit. PPP. 322. o. *Plurima reperient in hoc capite supremi conuentuum religiosorum moderatores, quibus permouere subditos queant, vt ament latere, & publicum crebramque cum extraneis consuetudinem fugere.*

Pro exhortatione in Vestitione alicuius Monialis.

NOn tam difficile negotium est abscondere ignem, quàm clausam domi tenere mulierem, neque mortem acerbiorem consciscere mulieri possis, quàm si eam domi reconditâ serues. PPa. 625. o.

Si ita res habet cum illo sexu, profectò sola omnipotens dextera Dei facit, quòd se quædam ipsæ intrà monasteriorum angusta septa includunt, & solenni voto ad talem vitam obstringunt, in qua perpetuam seruare solitudinem debeant.

Amat hoc genus extre, amat hinc inde discurrere, inquit Oleaster, ac propterea Deus superuacaneum duxit mulieribus imperare, quod viris præcepit, nimirùm vt ter in anno in templo apparerent. Ibid. c. 2.

Putipharis vxor suspicata Iosephten putare, quòd non seriò ipsius concubitum appeteret, sed magis tentandæ, & explorandæ fidelitatis illius gratiâ, vt illi persuasissimum faceret, ex penitissimo animo descendere, quod toties rogârat, *Dormi mecum*, quid fecit? *Publico festo instante, cuius festiuitatem fœminas quoq; frequentare mos erat, finxit morbum apud maritum*, inquit Iosephus, & domi sola mansit. Ægritudinem simulauit, vt ne domo exiret. Ostentandi, & omnium oculis exponendi sese occasionem alioquin expetitissimam volens, ac lubens prætetlabi permittens, Iosephten de sua enixa voluntate certiorem reddidit, vehementissimoque amore illum prosequi non obscurè significauit, sed grauissimo, & luculentissimo argumento euicit, ac demonstratum dedit. Quæ enim domo prodire cùm possit, non prodit, quæ publicos conuentus, propalàmque videri, & videre negligit, ea haud dubium plurimùm amat, & perditè charam habet gratiam eius, cuius gratiâ hoc facit. Ibid. 626. c. 1. & 2.

Dubitatum ab aliquibus fuit, vtrùm filia Iephte reapse à patre ferro truncata, dein rogo imposita, & exusta fuerit, vt esset holocaustum, quod ille vouerat.

Lyranus ex sententia Hebræorum sic hac de re ait: *Sine præiudicio, & per modum collationis potest dici, quòd Iephte filia non fuit sacrificata Domino per mortem corporalem, sed potiùs per ciuile, seu spiritualem, Itaq; fuit sacrificata Domino per obseruationem Virginitatis, viuendo in orationibus, ieiunijs, ac pijs operibus.* Ergo quòd Iephte Filiam suam vitæ solitariæ addixit, & ad eum modum sacrificauit, tantundem fuit, quantùm si victimam mactasset, idque ex sententia sapientiorum Hebræorum, sine quorum consilio, & approbatione nihil ille nouare ausus fuit. Itaque qui Iephte suaserunt, vt filiam, quam non mactaret victimam gladio, claustro includeret, eâq; ratione sacrificaret, videntur sensisse id perinde esse. Et reuerà vt sunt mulieres pleræque impatientes recessus, & infensæ latebris, & solitarijs inimicæ parietibus, sic eodem loco habent excludi à communi consuetudine hominum, quo prorsum è viuis tolli, & quæ secreto viua includitur, ea tale id reputat, quale si mortua tumulo inferatur, & obruatur, humo. Ibid. 627. c. 2.

In Festo Beatissimæ Virginis Matris Dei in Templo Præsentatæ.

Autore Ad. R. P. M. CHRISTOPHORO *de* AVENDANNO *Carmelitâ Hispano*,

Interprete F. Ioanne Freylinck Ordinis Prædicatorum.

Loquente IESV *ad Turbas extollens vocem quædam Mulier, &c.* Luc. 11.



Æremoniarum, quibus Deus mysticum holocausti sacrificium celebrari voluit, vna è cæteris fuit, vt quo die illud litaretur, personarent tubis, quo Deus significabat, placere sibi quòd talis victimæ oblatio ad aures omnium perueniret: *Canetis tubis super holocaustis*, aiebat Num. 10. 10. Considerationem profectò meretur, cur Deus hoc sacrificium magis, quàm alia voluerit tubarum clangore celebrari, qui alioquin singulari studio, ac solicitudine curauit, & cauit, ne opera nostra bona vanæ gloriæ aura afflaret, eò quòd per hanc illa vitiari soleant. Verùm si propriam holocausti conditionem expendas, non fuerit difficile reperire causam, ob quam id ille præceperit. Inter holocaustum, & sacrificium, quod vocabatur pacificum, hæc erat differentia, quòd in hoc non solùm Deus habebat partem, cui adolebantur intestina, verùm etiam Sacerdos, & ille, qui offerebat, verùm in holocausto omnia ad solius Dei gloriam cremabantur, & consumebantur. Magno semper honori duxit Deus exhibere se gratum, & sacrificium, quod ipsi debebatur, voluit omnibus innotescere, ac propterea iussit perstrepere tubis, quoties holocausta immolabantur, vt omnes intelligerent, quòd haberet amicos, qui animo prompto, ac deuoto ipsi obseruirent.

Hodie Sacratissima Virgo fecit ex seipsa purissimum

mum holocauſtum, totam ſe officijs Dei, & templi offerens, & voluntatem quidem per obedientiam, tenerum corpus per caſtitatem, per paupertatem verò exiguam ſupellectilem, quæ hæreditario illi à parentibus obuenire poterat, & ſenſus exteriores per clauſtri receſſum conſecrans, in quem ſe trimula puellula abdere cæpit. Hodie denique per abnegationem ſui ipſius mortua eſt mundo, quæ vitam ex ſua carne Filio Dei datura erat. Ratio poſtulat, vt holocauſti tam ſolennis dies feſtiuiſſimè, ingentiq; plauſu celebretur, ea propter inſonent litui, perſtrepant buccinæ, *canetis tubis ſuper holocauſtis*, ad cœli, terræque aures perueniat, quòd Deus inuenit creaturam, quæ non maior trimula totam ſe eius officijs dedicauit.

§. I.

Quòd cœlorum Regina tam tenera in ætate in Templo ſeſe obtulit, pro Pharo fuit, quæ multis Virginibus viam oſtendit, per quam in portu domus Dei nauem ſuam collocarent.

DE illis ex libri Canticorum c. 7. verbis: *Quàm pulchri ſunt, greſſus tui in calceamentis, Filia Principis!* Multi aiunt, eſſe Sponſi, ijſque prædicare celerem Sponſæ ſuæ inceſſum. Alij volunt eſſe ipſiuſmet Sponſæ dicta, & quòd ijs dilaudet paſſus ſuæ cuiuſdam ſororis, quæ iuerit, vt Sponſam ſe Sponſo ſuo offerret. Veritas eſt, eaque opinioni magis ſecuræ conformis, quòd hæc laus (ſi cum Ruperto ſentiamus) ad commendationem greſſuum Reginæ cœlorum dirigatur. Atque ego cum tanti Doctoris bona venia aio, eos huius Virginis paſſus talibus verbis prædicari, quibus templum hodie petijt quando vt Deo ſe offerret, abijt.

In veteribus quibuſdam codicibus verba ea ſic habent: *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, Filia Abraham!* Filia autem, ſiue neptis Abrahæ idem eſt, quod illud noſtræ Vulgaræ, *Filia Principis*, Abraham enim, ex phraſi Scripturæ, ſignificat Principem. Quando Sara in terra Chanaan diem ſuum obiit, marituſque ſuperſtes locum ſepulturæ emit, cui defunctæ cadauer inferret, dicebant Chananæi: *Princeps Dei es apud nos*; Gen. 21. 23. donàruntque Abraham titulo Principis, vt tantundem ſit, *Filia Abraham*, quantùm *Filia Principis*. Vocatur autem Beatiſſima Virgo Filia Abrahæ, non ſolùm quòd ab illo deſcendit, verùm etiam quia opus illius maximè heroicum imitata fuit, illud quo filium ſuum mactare victimam voluit. Quàm ingens decrepiti hominis animus, qui pupillas ſuas immolare voluit, quando certum habuit litare Iſaacum tam tenera in ætate, & cibum offerre Deò, quem illi vnicè gratum ſciebat. Ipſe enim per Michæam Prophetam, qualia amet fercula, indicauit, cùm ait: *Præcoquas ficus deſiderauit anima mea*; Mich. 7. 1. Alia translatio habet: *Gratiores, & maturiores ficus* expetiui, quæ primæ ſint, ſed & præcoces, qualis erat Iſaac, qui etiamnum puer fuit maturus Deo, Dani & Samuel, ſed præ omnibus cœlorum Regina, quæ cùm triennis puella eſſet, gratiſſima fuit palato Dei, quando illi in Templo ſeſe obtulit, ſequens ea in re veſtigia proaui ſui Abrahæ, conſecrans illi animæ ſuæ partum primogenitum, hoc eſt, puriſſimum ſuum affectum, & deuotiſſimam perpetuò ſeruiendi voluntatem.

Quidam Hebraizantium legunt verba ſuperiora in hunc modum: *O quàm pulchri ſunt Greſſus tui in calceamentis, Filia Aminadab!* Sic legit & S. Ambroſius Serm. 17. in Pſal. 118. approbans eam verſionem, quæ huic ſolennitati ſuprà alias commoda eſt.

Celebris hic Dux Aminadab fuit Pater Naaſſon, & auus Matris Dei, ac proptereà meminit illius S. Matthæus in genealogia Chriſti, & Mariæ dicens: *Aminadab autem genuit Naaſſon.* Cùm populo Iſraëlitico ex Ægypto ad terram promiſſionis contendenti ſæuus à tergo perſecutor cum ingenti exercitu immineret Pharao, & Moyſes virgâ mare aperuiſſet, viamque, quâ effugere hoſtem poſſet, quantùm huius gladium, tantùm inſolentis itineris tranſitum omnes formidabant, quando Aminadab timore omni abiecto primus per arentia vada, & medium aqueorum montium pergens, cæteros ſuo exemplo ad ſequendum pertraxit. Ita ferè Lyranus in c. 12. Exodi.

Cùm ergò Spiritus S. præuideret charam hanc puellulam, quæ prima complanauit iter, vt illius exemplo prouocatæ multæ Virgines conſecrarent Deo ſuam Virginitatem, cerneretque eam pergentem ad Templum aiebat: *O quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, Filia Aminadab!* velut alijs verbis dixiſſet: O pretioſa puella quantùm accedis ad ſimilitudinem aui tui Aminadab! Nam vt ille primus iniit viam, quam antè nemo triuerat, aliorumque ductor, & incitator, vt ſequerentur, fuit: Sic te, quæ in templo prima primulos tuos annos, Deo, virginitatemq; tuam obtuliſti, imitantur Virgines aliæ, ſuaque corpora, & annos, & integritatem eidem conſecrant,

Hinc eſt, quòd beatiſſima Dei Parens à S. Ambroſio in 1. lib. de inſtitut. Virg. nominatur *Virginitatis Magiſtra*, vbi & iſta habet: *Maria ſignum ſacra Virginitatis extulit, & Virginitatis vexillum leuauit.* Et S. Thomas 1. p. q. 18. art. 4. affirmat, quòd illa prima Deo votum Virginitatis nuncupauit.

Et S. Ioannes Damaſcenus vocat illam *Virginum Reginam*, quam omnes reſpiciant, quæ ſuam Deo volunt dedicare Virginitatem. S. Hieronymus vſitato illo ſuo magiſterio, & purioris ſermonis nitore ſic pronuntiat in Epiſt. ad Pammachium: *Igitur Chriſtus, & Maria vtriuſq; ſexus Virginitatis dedicauerè principia.* Chriſtus viris Religioſis, & Caſtimonialibus Maria prototypi loco fuerunt, quod inſpicientes diſcerent ſuam Deo conſecrare Virginitatem.

Hinc iam eluceſcet ſenſus iſtorum verborum ex c. 4. Cant. *Collum tuum ſicut turris Dauid, quæ ædificata eſt cum propugnaculis.* Pono hîc, quòd Rupertus per collum Eccleſiæ intelligit Mariam Virginem, quia illa inclinat caput Eccleſiæ, quod eſt Chriſtus, vt aſpiciat neceſſitates corporis huius myſtici, tum etiam, quia per illam fundimus voces, & promimus verba in cœlo.

Litera eorum verborum Originalis ſic habet: *Quæ ædificata, vel conſtructa eſt ad diſciplinas*, ſcilicet tradendas. Apertiùs, & aptiùs in rem præſentem tranſtulit Pagninus: *Quæ ædificata eſt ad docendum.*

Fuit ergò turris ea, qualis illa ciuitatis Ianuenſis, quæ Phari inſtar eſt, ad cuius fulgorem dirigunt curſum, qui nauigio per vicinum mare feruntur, ne in ſcopulos impingant, & naufragium faciant, antequam in portum ſecuri perueniant.

Talis Pharus eſt Maria in Templo ſeſe Deo inter ipſa vitæ primordia conſecrans, quæ multas virgines docet, vt ſi in periculoſo mundi huius mari perire nolunt, in portum ſtatus Religioſi ſe recipiant, & perpetuæ integritatis voto Creatori ſe obſtringant.

Abſoluamus hunc diſcurſum expoſitione Sancti Hieronymi, qui ea verba, *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis*, in lib. contrà Iouinianum adfert, & intelligit de iis, qui profitentur humilitatem, & in religioſo vitæ inſtituto ſuam Domino dedicant puritatem.

Scitis in quo poſita ſit pulchritudo calcei? Si me reſpondere oportet, dico in eo conſiſtere, quòd paucas habeat puncturas (wenig ſtich) vt tunc poſſimus dicere virgini religioſæ, *quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis*, quando rarò ſuperiores ſuas, æqualeſque ſorores aculeatis apperit verbis. Sunt enim nonnullæ Virginum ſacrarum, quæ Chriſti ſponſæ eſſe deberent, tam parùm mortificatæ, tamque parum humiles, vt vitæ partem bonam malè tranſigant inter has tam vanas cogitationes, vtrùm pro ſua dignitate æſtimentur, & honorentur à ſuo Ordine.

Moralitas huius §. I.

O Quàm egregiè inſtituit omnes perſonas ſpirituales hæc puellula, quamque inſigne documentum tradit iis, qui per virtutis iter quærunt ſuum cœleſtem ſponſum, quàm ſcilicet prompti debeant eſſe, expeditique eorum pedes, quàm celeres paſſus! Ariſtoteles in ſuis Problematis inueſtigat cauſam, cur tardè, & lento paſſu progrediens fatigetur citiùs, quàm qui celeriore, & incitatiore greſſu pergit. Reſpondet, id fieri, quia *dum ſubſiſtit, refrigeſcunt in corpore ſpiritus animales, quibus omnis peragitur motus*, adeòque faciliùs langueſcimus, & delaſſamur moroſè pergentes, quàm cùm mediocriter acceleramus gradum, ipſo enim motu magis accenduntur, & inardeſcunt ſpiritus. Hæc eſt viua effigies eius, quod euenit in paſſibus, quibus progredimur per viam virtutis, nam vt ii ſunt tardi, ac lenti, ita pedetentim pergimus, refrigeſcitque & langueſcit ſpiritus, & remittit feruor, quo ſuſceptum fuit iter & proptereà facilè defatigamur. Et res manifeſta eſt, quòd exiguam habet proficiſcendi voluntatem, qui paulatim, & velut impeditis pedibus per ſemitam virtutis progreditur, quia *refrigeſcit ſpiritus, quo peragitur motus.* In Geneſi legitur hiſtoria, quæ huic propoſito eſt peropportuna. Grauis fuit duorum fratrum, Iacob, & Eſau controuerſia, & longiturna huius ergà illum ſimultas. Medius interceſſit Deus, remque ita compoſuit, & Eſau eò adegit, vt reuertenti è Meſopotamia Iacobo obuiam iret, & viæ comitem ſe offerret, ac diceret: *Gradiamur ſimul, ero ſocius itineris tui*, Gen. 33. 12. Verùm quid reſpondit Iacob? Quod textus ſequentes ibi his verbis referunt: *Noſti domine mi, quòd paruulos habeam teneros, & oues, & boues fœtas mecum, quas ſi plùs in ambulando fecero laborare, morientur vnâ die cuncti greges. Præcedat Dominus meus ante ſeruum ſuum, & ego ſequar paulatim veſtigia eius ſicut videro paruulos meos poſſe*; ibid. v. 13. 14.

Aduertisné iſta? Optabatné Iacob aliud quidpiam ardentiùs, quàm vt redire in gratiam fratris ſui Eſau poſſet? Nihil æquè cupiebat? Nóné Eſau ipſuſq;

met

met suam illi amicitiam, & societatem offerebat? Omninò. *Gradiamur simul* verbis humanis dicebat.

Quàm importunæ sunt ergò illæ Iacobtis excusationes? Oues meæ, domine, inquit, & boues sunt fœtæ, & filioli mei teneri, quàm paruuli, si accelerare iter, & plùs solito maturare coëgero, mortem omnibus vnam vna dies adferet, præeat itaq; Dominus, & frater meus, ego vestigia eius sensim legam, & *paulatim sequar, sicut videro paruulos meos posse.*

O Iacob *paulatim*! Pedetentimné, & ad mensuram incessus paruulorum vis progredi? Nihil dicito ampliùs, ego enim hinc accipio, quòd nolis viæ socium habere fratrem, si enim id velles, possent greges, liberi, & domestici cæteri pergere soli, tu verò cum fratre comite viam carpere. Itaque fieri non potest, quin tua ergà illum voluntas, & propensio refrixerit.

Habes hîc iterum viuam delineationem eius, quod accidit animæ, quam conscientiæ scrupuli vrgent, vt expetat amicitiam Dei. Sed quando suprema maiestas beneuolam se exhibet, comitatumque suum offert, dicens: *Gradiamur simul, eroq; socius itineris tui*; mox obuertit oculos ad res huius mundi, & quanquàm habeat voluntatem proficiscendi, paulatim tamen iter illud conficere cupit.

Habet ille concubinam, dicitq; ei Deus: *Gradiamur simul, eroq; socius itineris tui.* Sed respondet ille: *Nosti, Domine*, quòd sum obligatus isti mulieri, quæ grauida est, & sui honoris dispendium tulit, vt meæ seruiret voluptati. Hancné ego mori permittam? *Morietur autem vnâ die. Præcedat Dominus meus, & ego paulatim sequar*, paulatim me istâ muliere, & consuetudine illius abdicabo.

Dicit Dominus alteri, qui rem alienam sibi iniustè vsurpat: *Gradiamur simul.* Et quid respondet? O mi Deus, vxorem habeo, & oneratus sum liberis, & adhæc existimationem meam fouere debeo. Si restituo aliena, hæc omnia *morientur vnâ die simul. Præcedat Dominus meus, paulatim sequar*, & reddam, quæ contrà fas retinui hactenus. O te infelicem! Itané paulatim vis proficisci? Næ tu nullam habes adiungendi te Deo socium voluntatem. Cùm enim tam lento gradu pergis, refrigescit spiritus, & feruor, quorum cœpisti. Nec satis promptis, expeditisq; pedibus eum proficisci dicet, quisquis recogitat, quantùm hinc à cœlo absit, quod est perlongum interuallum. Fortunata ea anima, quæ hoc iter totâ pedum contentione percurrit, vt ad Deum perueniat, vt ad eam dici queat: *Quàm pulchri sunt gressus tui!*

Sanctus Paulus in hanc rem ita scribit: *Abundantiùs oportet obseruare nos ea, quæ audiuimus, ne fortè pereffluamus*; Hebr. 2. 1. Quid est, quod dicit? Nonné satis est amare Deum, & obseruare legem illius? Satis est, at si remissè, perfunctoriè, languidè facias, perdendæ salutis manifesto te periculo exponis. *Ne fortè.* Non ego affirmo, quòd iacturam facies æternæ salutis, fieri tamen posset, vt perderes.

Et hoc metaphorâ mysticâ subindicat, dicens, *Pereffluamus.* Non est verbum aliud, quo totam istius vim, & energiam exprimas. Contigerit tibi aliquando habere vas testaceum.

Implesti illud pretioso liquore, sed non obseruasti exiguam in vase rimulam, per quam omnis ille liquor paulatim, guttulatimque elapsus fecit, vt nihil inuenires reliquum, cùm integrum requireres, & reperire putares. Charitas pretiosissimus quidam liquor est. De ea dicit Apostolus: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*, Rom. 5. *Habemus autē istum thesaurum in vasis fictilibus*; 2. Corinth. 4. Iisque tam plenis rimarum, vt nisi summâ diligentiâ ea obserues, sensim perstillent, & omnia elabantur.

Et hoc est, *ne fortè pereffluamus.* Intepescet enim paulatim charitas, & omnia peribunt. Non dico hoc, quòd multis peccatis venialibus possit extingui charitas, sed quià illa venialia fores aperiunt grauioribus, per quæ illa fugatur.

Mendacium leue vocat aliud, quod pondera habeat, à furto exiguo proxima via est ad maius, & cùm ista minora non curamus, solet Deus negligentiam istam nostram sic plectere, vt liquorem charitatis elabi nobis sinat. Et hoc vult dicere Sanctus Paulus, cùm ait: *Abundantiùs oportet nos obseruare ea, quæ audiuimus, ne fortè pereffluamus.*

Confirmo hoc illo Ecclesiastici c. 7. 21. *Cor fatui quasi vas confractum.* Fatuus, & peccator duo sunt eiusdem hominis sceleribus assueti epitheta in sacris literis, nullus enim tam amens, & insanus, quàm qui in eum peccare audet, qui cùm sit omnipotens, quamcunq; iniuriolam suam æterno vindicare supplicio potest.

Cor ergò *fatui*, siue quod idem est, peccatoris *quasi vas confractum*, quia sicut totum effunditur, quidquid tali vasi seruandum infunditur, ita corda quorundam flagitiosorum hominum sic omni ex parte hiant, vt ex illis dilabatur quidquid siue Ecclesia piarum exhortationum, vel Deus donorum, ac misericordiarum infundat.

Imite-

Imitemur ergò cœlestem hanc puellulam, & superos istos thesauros solicitè custodiamus, & magno in pretio habeamus, acceleremusque iter nostrum, & tam ardenter per viam virtutis contendamus, vt feliciter obtineamus præmium gratiæ in hoc mundo, & gloriæ in futuro.

Ex his facilè fuerit prolixum, & fructuosum conficere Sermonem, si illud paulò pluribus amplifices, quòd dicitur charitas paulatim dilabi per rimulas peccatorum venialium, non quòd hæc illam effundant, sed quià fores aperiunt mortalibus, quæ extinguunt. Nissenus autem PP2. 635. o. magnâ copiâ dabit, vnde plurimùm exaggerare possis. Vide etiam ad finem illius c. adscriptum locum ex Tomo II. vbi idem argumentum doctè tractatur.

§. II.

In quo exponitur Euangelium, quod in hac solennitate legitur, simulq; declaratur, esse artificium prudentiæ, quando magnis vocibus, & clamoribus prædicatur, quod propter suam magnitudinem verbis pro dignitate laudari non potest.

Diligenter notandum est illud Euangelistæ: *Extollens vocem quadam mulier de turba dixit, Beatus venter, &c.* In his istud premite: *Extollens vocem.* Sed quid sibi vult, quòd Marcella (hanc enim fuisse aiunt, quæ è medio vulgo succlamârit) vocem tantoperè extulit, vt laudes Christi, & Mariæ efferret? Scitis quid sit causæ?

Sancto Ioanni in sua Apocalypsi visa est *mulier amicta sole.* Græcus legit: *Vestita admiratione.* Ea mulier Sanctis Augustino, & Bernardo est Mater Dei. Dicit ergò Sanctus Ioannes, vidisse eam *vestitam admiratione.*

Ingrederis officinam pictoris, videsque plurimas imagines, omnes elegantes, easque proinde multis verbis prædicas. Inter omnes incidunt oculi in vnam præstantissimam excellentissimi cuiusdam pictoris, cui concedere Apelles debeat, atque hic, cùm te verba deficiant, adducis supercilia, vnâque humeros, & parcens verbis admiratione tantùm, & stupore eam dilaudas.

Sancti alij possunt verbis à nobis commendari, & MARIA Virgo solâ admiratione, vt quæ *vestita* sit *admiratione.* Virgo illa, & Mater est. Non capio hoc, inquis. Admirare ergò. Mater est, & filia eiusdem Dei. Non intelligo, quod dicitur, ais. Igitur admirare. Vix concepta fuit, quando tantâ gratiâ beneuolentissimus Deus animulam eius cumulauit, quanta non est omnium simul Angelorum, his enim per partes data est, MARIÆ autem tota se plenitudo gratiæ infudit, inquit ferè S. Hieronymus. Transcendit captum meum, quod hic audio. Admirare, quod ingenio non assequeris. Propterea enim Aristoteles dicit, quòd *magnorum non est laus, sed admiratio.* Et Aulus Gellius lib. 4. ait: *Admiratio, quæ maxima est, non parit verba, sed silentium.* Ingens proinde admiratio muta est, & inops verborum, & affluens stupore. Mater Dei res tam magna est, & supera, tam sublimis, & incomparabilis sanctitatis, & venustatis, vt & Angeli ineptos se agnoscant illi satis deprædicandæ, & propterea illam admirantur.

Quare S. Epiphanius in Serm. de laudibus Virginis sic exclamat: *O Virgo Sanctissima, quæ exercitum Angelorum in stuporem adduxisti, stupendum miraculum in cœlis mulier amicta sole,* siue vt ex Græca versione diximus, *mulier vestita admiratione!* Attonitos, atque elingues reddit Angelos, magnitudo MARIÆ, vt negotium enumerandarum laudum illius suscipere præ stupore non possint.

Verùm quando quis tenetur loqui, non satisfacit officio suo, si tantùm admiretur. Quid ergò faciet ille, qui & loqui debet, & eloqui quod vellet, non potest, ne sordidus videatur, & parcus? Dicam. Vociferetur. Hoc enim est prudentiæ insigne artificium, vt qui linguâ satis exprimere non potest, quæ animo concepit, neque ingenij partus edere, quibus exæquet rem, quam commendare velit, succlamet quantâ maximâ laterum contentione potest, queadmodum S. Marcella *extollens vocem, &c.*

Tale quoddam consilium suggessit etiam Dauid, qui in simili cogitatione versabatur, cùm dicebat Psal. 32. *Benè psallite ei in vociferatione.* Notate quod ait, *in vociferatione*, quasi dixisset, extollite vocem sicut Marcella, succlamate, solâ enim admiratione non satis fit obligationi, & verba nimis tenuia sunt, & imparia laudationi, si exprimantur. Quid ergò faciemus? *Benè psallite ei in vociferatione,* siue vt legit S. Remigius, *ineffabiliter*, hoc est, ita vt verba proloqui non possitis. Nam si verba effari, & efferre sermone aliquid velis, inditio est non magni æstimare eum, quem laudare cupis, aut non satis cognoscere, cuius si rectam haberes notitiam, obstupefactus eius magnitudine, contentis vocibus indicares encomia, quæ proloqui verbis nequis. Genebrardus vult Dauidicis verbis talem subesse sensum, qualem si diceret: *Benè psallite ei in clangore,* hoc est, confusis, & operosis vocibus.

Nihil

Nihil minus myſterij habent illa eiuſdem Dauidis ex Pſal. 26. *Circuiui, & immolaui in tabernaculo eius hoſtiam vociferationis.* Sanctus Remigius illa verba ſic declarat, ac ſi Dauid dixiſſet: *Gratia eius in me vacua non fuit;* hoc eſt, quando ego illum ſolâ vociferatione laudaui, tunc ſatisfeci officio meò, tunc gratiâ eius cumulatè repletus fui.

Seraphim illi apud Iſaiam *clamabant alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Iſta vociferatio nonnè confuſio erat? Sed non abſq; artificio, & ſolertia erat. Officium illorum Angelorum requirebat, vt laudarent Deum. Per admirationem ſolam, & ſtuporem non ei ſatisfaciebant, cognitio ſummi boni apud illos magna erat, vicinitas, quâ illi propinqui erant, proxima, quare velut abſorpti, & attoniti tantâ magnitudine, cùm articulata diu formare verba non poſſent, quod poterant, vociferabantur, & identidem, viciſſimque clamabant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, idque ſine vlla intermiſſione, vel remiſſione.

Eodem artificio vtitur Eccleſia in illa ſolenni Antiphona *Salue*, inquiens: *Ad te clamamus*, hoc eſt, magnis vocibus te appellamus, laudeſque tuas proſequimur, ô Virgo puriſſima. Hoc eſt, quod dicit Dauid: *Benè pſallite ei in vociferatione*

Finio hunc diſcurſum, & aio, quòd S. Marcella habuit magnam cognitionem dignitatis Matris Dei, quia non voluit illam exaltare ſolâ admiratione, ſed imitatione Seraphinorum *extollens vocem* ſucclamauit, & dixit: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti*, beata.

§. III.

Exercitium præcipuum MARIÆ puellæ in Templo fuit vacare orationi, & illa omnes docet facere tantundem. Excellentia huius ſacræ exercitationis expenditur.

SAnctus Bonauentura To. 2. de meditat. c. 3. referens quomodo gratioſâ hæc puella tempus in Templo diſtribuerit, ſic ait: *Beatiſſima Virgo hanc ſibi regulam ſtatuerat, vt à mane vſque ad tertiam orationibus inſtaret, à tertia vſque ad nonam operi manuum intendebat, à nona orationem ſuam iterùm incipiebat, à qua non recedebat, quouſq; Angelus appareret, de cuius manu eſcam accipere ſolebat.* Semper Deo præſens aderat hæc Virgo, continuam orationi operam dabat, ſub matutinam creperam verò ardentiùs precibus vacabat, quàm vnquàm, idq; in eam horam vſque, quæ nobis eſt nona, ſubmiſſiſque in terram poplitibus ſingulari affectu à Deo expetebat remedium generis humani, & incarnationem Verbi. A nona noſtra ad tertiam vſque operabatur, quæ ad Templi ornamentum faciebant. A labore redibat ad orationem, in eaque perſtabat, donec Angelus illi miniſtraret cibum ſiue è cœlo allatum, ſiue in terris aliunde acceptum. Hæc faciens omnes docuit ſtudere orationi.

Volo videamus, quid ſit oratio, & quomodo rectè inſtitui debeat. S. Thomas 22. q. 83. art. 2. S. Ioannes Damaſcenus lib. 3. fidei orthodoxæ, S. Auguſtinus ſerm. 230. de Temp. denique S. Chryſoſtomus homil. 30. in Geneſin affirmant maxima beneficia, quæ Deus præſtare hominibus, vt eos ſpiritualibus bonis locupletet, conſtituit, non aliter ab eo conferri, quàm per orationem. Propterea magnus Tertullianus ait: *Horrendum eſt diem ſine oratione tranſire*, horrendum tranſigere diem, quo non per orationem ad Deum recurras, eumque tuum perpetuum benefactorem, Deumque ac Dominum agnoſcas.

Illa de Canticorum 4. c. verba, *Collum tuum ſicut turris Dauid*, Theodoretus exponit de oratione, dicitq; orationem eſſe collum Eccleſiæ. Tria ſunt officia colli in corpore humano. Primò, ſeruit reſpirationi, deinde ſubmittit caput, vt attendat, & proſpiciat neceſſitatibus corporis, tertiò, velut canalis quidam eſt, per quem nutrimentum ad cætera membra deſcendit.

Oratio vocatur collum huius corporis myſtici, ſcilicet Eccleſiæ, quia tria iſta officia præſtat. Primùm enim tota Eccleſia, & omnes fideles reſpirant per orationem, & ipſa eſt reſpiratio animæ. Propterea S. Paulus 1. Theſſal. 5. ait: *Sine intermiſſione orate*, quoniam oratio eſt halitus animæ, quo deficiente ſimul vita ſpiritualis deficiet.

Omnes ſenſus feriari ab opere ſuo poſſunt, ſola reſpiratio vacare nunquàm poteſt. Oculi nonnunquàm condormiſcunt, aures non audiunt, olfactus nihil odoratur, & ſomno ſepulti hominis ſenſus omnes conquieſcunt, halitum diu retinere non poteſt, ſimul enim reſpirare, & viuere deſinit. Similiter & quædam virtutem opera nonnunquàm intermittere aliquamdiu poſſumus, nec enim ſemper dare eleemoſynas, aut flagris verberare carnem poſſumus, feriari ab oratione nunquàm debemus, quia eſt reſpiratio animæ, vt diximus, eamque ob cauſam Dominus apud Lucam 18. aiebat: *Oportet ſemper orare, & nunquàm deficere.*

Quæro. Poteſtne ergò homo perpetuò verſari in ora-

in oratione? S. Augustinus huic occurrit difficultati, exponens quomodo intelligi debeat istud Pauli, *sine intermissione orate*. Dicit autem ita: *Desiderium tuum oratio tua, continuò desideraſti, continuò oraſti.* Itaque cùm aliud non possumus, desiderio saltem Deo adſtare præsentes debemus, ne suus animæ halitus intercludatur.

Secundùm colli officium eſt inclinare, & demittere caput, vt toti succurrat corpori. Hoc facit oratio tanquam collum Ecclesiæ, inclinans caput illius, hoc eſt Chriſtum, vt videat necessitates corporis myſtici suorum fidelium, eiſque succurrat.

Tertiùm officium colli eſt deferre cibum, ac submittere nutritioni omnium membrorum. Oratio impetrat Ecclesiæ omnia, quæ habet bona. Quàm S. Auguſtinus dicit: *Oratio iuſti clavis eſt cæli. Aſcendit precatio, & deſcendit Dei miſeratio.* Hæc sunt officia, quæ præſtat oratio, propter quæ iure meritò vocatur collum Ecclesiæ.

Reliquum eſt ſcire, quidnam petere debeamus, & quemadmodum. Quid obſecrare debeamus, & quomodo precari, id Chriſtus per os S. Ioannis aperuit, dicens: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo*, dabit vobis, Ioan. 16. In his obſerua, quòd primùm docet, illam eſſe efficaciſſimam orationem, quæ fit communiter à multis. Propterea ait: *Si quid petieritis*, in plurali, velut dixiſſet: Communes in conuentu preces ſimul fundite, multorum enim orationes citiùs exaudiuntur à meo Patre.

Atque vt videas efficacitatem orationis communiter factæ, animaduerte, quòd cùm vincti eſſent Iacobus, & Petrus Apoſtoli, Iacobus truncatus capite fuit, quia Eccleſia pro illo non rogauit, Petrus autem liber euaſit, quia *oratio fiebat ab Eccleſia ſine intermiſſione ad Deum pro eo*, Act. 12.

Sed illud hic ſtudioſè notandum, quòd Petrus in carcere erat vinctus catenis, & compeditus, cùmque ad illum noctu veniſſet Angelus, excitauit eũ (dormiebat namque) ac iuſſit ſurgere *Velociter*: velut dixiſſet: Age Petre, atque extemplo, & quàm celerrimè fieri poteſt, ab hoc carcere te proripe. Sed cur *Velociter*? Quid mali fuiſſet, ſi paulò cunctantiùs inde exceſſiſſet? Excubiæ dormiebant, fores patebant, Deus ſuam omnipotentiam, vt liberaretur, interpoſuerat, fortiſſimus quidam Angelus miniſter delegatus fuerat, vt illum eximeret, quæ hic timendi occaſio erat? Nulla. Cur ergò dixit Angelus: *Surge Velociter*? Quia tota pro Petro obſecrabat Eccleſia, orationi autem, quæ fit communiter à tam multis, non ſcit Deus vel momento negare, aut differre auxilium. *Oratio fiebat ab Eccleſia ſine intermiſſione pro eo.* Ergò *ſurge Velociter*, Petre, aiebat ex Deo Angelus, velut Deus ipſe dixiſſet: Tota pro te communiter fundit preces Eccleſia, volo vt mea ſponſa videat efficaciam talis orationis, quæ ab hominum cætu frequente funditur. Arbitrari autem hoc ex eo ſpōſa Dei potuit, quòd cùm Chriſtus plurimùm gaudeat triumphis martyrum, & Petrus poſtridiè eſſet facturus martyrium, cùm illum ſoſpitauit, ſe voluptate, quàm ex eius paſſione habere tunc poterat, fraudauit, vt ne orationi, quæ à multis fiebat, deeſſet. Sanctus Ioannes Chryſoſtomus in ea cogitatione fuit, quando hom. 29. ad Pop. ſic ait: *Vis diſcere, quanta ſit orationis ſancta in Eccleſia poteſtas? Vinctus erat Petrus, multiſq; catenis circumdatus, oratio autem fiebat ab Eccleſia pro eo, & ſtatim eum ex carcere liberauit. Quid hac igitur eſt oratione potentiùs, quæ columnam Eccleſiæ adiuuit?*

Promamus alium conceptum nihilo inelegantiorem priore. Ingrediebatur Ionas Niniuen ſuccla- mans: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.* LXX. legunt: *Adhuc tres dies, & Niniue ſubuertetur?* Quomodo hæc tam pugnantia, vt videtur, dicta in concordiam adducemus? Ex vulgata editione quadrageſimus, ex LXX. Interpretum translatione tertius dies erat futurus extremus Niniuitarum. Quomodo vtrumque horum eſſe poteſt? Dicam.

Duplicem Niniuen in vna conſiderare debemus. Harum altera conſtabat ædibus, plateis, muris, altera plena erat culpis, & peccatis. Quando propheta aiebat, poſt quadraginta dies ſubuertendam Niniuen, de materiata illa, hoc eſt, domibus, & muris loquebatur, quæ ad illum diem ſolo æquanda eſſet. Verùm Dei intentio eò ibat, vt Niniue culparum, & peccatorum ſubuerteretur. Et quoniam mox à denuntiatione imminentis excidii *Niniuitæ* receperunt ſe ad ſeriam pœnitentiam, & *clamauerunt fortiter ad Deum*, & tam efficax eſt oratio multorum communis, per eam factum eſt, vt DEVS intrà triduum illis ſuas condonaret noxas, & rectè dictũ, quòd intrà tres dies Niniue culparum fuit euerſa. Sic ergò hi duo textus conciliantur, vt quantum ad mentem Prophetæ attinet, quadraginta fuerint dies, poſt quos diruenda erat Niniue, quod verò ad orationis communis efficacitatem ſpectat, tres tantùm erant, poſt quos flagitiorum Niniue exciſa fuit.

Addamus robur dictis. In choro Religioſorum hæc

hæc eſt ſolennis clauſula pene omnium lectionum : *Tu autem Domine miſerere noſtri* , quòd ab vno dictum alii hoc reſponſo excipiunt: *DEO gratias.* Quænam ſunt hæ gratiæ? Si non obtinuerunt beneficium, quòd petierunt, quomodo agunt gratias? Referre gratias pro beneficio nondum accepto, vel adulatio eſt, vel fictio. Eccleſia nec aſſentari ſolet, nec ſimulare. Pro qua re ergò gratias agunt? Pro ea, quàm petiit ille, qui recitauit lectionem, dicēs : *Tu autem Domine miſerere noſtri.* Deus enim tam accuratè, ac ſolicitè occurrit, & annuit his, quæ ſacer hominum conuentus precibus communibus ab illo exigit , vt Eccleſia, ne ingratitudinis notam incurrat, extemplo gratias referat, ſic vt ſimul ac lector nomine communi rogat, & dicit , *Tu autem Domine miſerere noſtri* , alii ſubiungant , *DEO gratias*; præſidunt namque vix eſſe poſtulatum multorum ſimul congregatorum nomine beneficiorum quin Deus conceſſerit, atque idcircò mox gratias precationi adiiciunt.

Vltimus locus, quo vim orationis communis demonſtrem , ſit iſte. Cùm illi apud Iſaiam Seraphin alternatim tanquam Eccleſiæ triumphantis. Religioſi per choros orarent , & magnificarent, DEVM , poſt abſolutam orationem *commota ſunt ſuperliminaria cardinum à voce clamantis*, vt inquit ſacer textus. Hic ante omnia aduertendum, quòd cùm dici, vt videtur deberet , à *voce clamantium* (duo enim viciſſim dabant voces) dicitur , *à voce clamantis*. Id factum quia conuenerant, vt orationem vno ſpiritu funderent. Quando autem à pluribus congregatis, & conſentientibus fit oratio, tremore cœlum concutit, tanta eſt eius efficacitas: *Commota ſunt ſuperliminaria cardinum à voce clamantis.*

Potens fuit oratio MARIÆ in templo , quia per illam de congruo, vt aiunt, obtinuit incarnationem Verbi, quàm impetrare veteris Teſtamenti patres, & ſancti eatenus non potuerant.

Omnipotentē etiam illud facit orationem, quòd fit ab amico profecta. *Quis veſtrum habebit amicum,* inquit Chriſtus , *& ibit ad illum media nocte, dicens, amice, accommoda mihi tres panes,* Lucæ 11. Non cognoſcit Deus Omnipotentiam ſuperiorem ſua niſi orationis venientis ab amico. Orare omnes, ac ſinguli poſſunt , & Deus aurem cuilibet præbebit, quanquam ſit peccator. Verùm ſi amicus eſt, qui precatur, omnia ſine difficultate, ac mora obtinebit.

Peccauit populus , dixitque Deus ad Moyſen: *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus.* Exod. 32. S. Barnardus in ſerm. de Magdalena hæc verba expendens ait: *Ferendi licentiam à Moyſe petit, qui Moyſen fecit.* Res magna , & mira , quòd Moyſen conditor illius rogat, vt per illum ſibi liceat plectere, quos addicere ſupplicio volebat. Moyſes amicus erat, obſecrauerat pro ſoſpitatione populi, cùmque illius oratio veniret ab homine, qui charus Deo amicus erat , coërcuit illius omnipotentiam, vt inferre pœnas nequiret.

Sanctus Iacobus in ſua Epiſtola canonica ait: *Elias homo erat paſſibilis*, mortalis, quales omnes ſumus, rogauitque vt ne plueret, & obtinuit, vt intrà triennium, & ſex menſes neque guttula è cælo deſcenderet, & poſthæc rurſum orauit, & impetrauit pluuiam.

Offert ſe hic aliqua difficultas. Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum de Domino loquens ait: *Cùm ſit bonus , ſi ceſſaret vnquam benefacere Deus quidem ceſſaret eſſe, quod nefas eſt dicere.* Itaque ſi quis illi dixiſſet: Itanè, Domine, totum abſque pluuia triennium finis elabi? Nonnè vides, mi Deus, quòd definis eſſe Deus, quia ceſſas benefacere? Sine vt pluat, vt tua tibi diuinitatis exiſtimatio conſtet; credo reſpondiſſet : Elias non vult, ille me obſeruauit, vt cohibeam pluuiam, & cùm ſit mihi tam carus amicus, ipſius oratio omnipotentiam meam ſuperat. Itaque niſi Elias velit , non pluet.

Dicit Deus per os Iſaiæ c. 48. *Laude mea infrenabo te ne intereas.* Vatablus legit : *Propter laudem tuam, hoc eſt , orationem tuam frenum iniiciam tui cauſa* , conſtringamque iuſtitiam meam ne te caſtiget.

Cùm ergò hæc diuina puella tam eſſet grata & chara Deo, vt dicat illi Cant. 1. *Soror mea , amica mea* , & tam perſeueranter in templo Deo preces offerret, non eſt mirum, quòd myſterium incarnationis ſuis orationibus accelerarit.

Et eſt diligenter obſeruandum, quòd S. Auguſtinus ſerm. 29. de verbis Domini in expenſione illorum verborum , *Amice accommoda mihi tres panes,* ſic ait : *Per tres panes intelligenda ſunt perſonæ Trinitatis , vbi paſcas , vbi viuas.* Itaque cùm amicus eſſet, qui obſecratum ibat , & vnum verùm ſolùm Deum requireret, tres in illo Deo perſonas diſtinctas inuenit, quæ velut certatim illum locupletarūt. Et S. Ambroſius ait, in Deo eſſe *vnam ad exequēdum eſſentiam , & tres ad benefaciendum perſonas* , vnam, quæ cultum à nobis requirat ; deitatem, tres

verò, quæ nos bonis cumulent, personas. O millies fortunatæ animæ, quas Deus gratiâ illâ dignatus fuit, vt Deum haberent vnum ad obsequia, quæ exigit, trinum ad beneficia, quâ rependit, gratiâ inquam, tam stabili, & perdurabili, vt deficere nequeat, velut humani fauores & inanes sunt, & euanidi.

Quanta verò felicitatis sit, quàmque nullius laboris seruire Deo, qui vnus sit ad exigenda officia, trinus ad eroganda beneficia, vide apud Nissenum, PP2. 658. o.

Princeps orationis circumstantia est, fundere illam cum bona fiducia obtinendi, quod petitur. Scitis, quòd is, ad quem in oratione confugimus, est pater noster, adeò confidentissimè illum obsecrare possumus. S. Petrus Chrysologus serm. 55. ait: *Negat patrem, qui de patris suspectus est largitate,* qui dubius de illius liberalitate & prolixitate. Seneca lib. 1 de beneficiis ait: *Nihil carius emitur, quàm quod precibus impetratur.* Loquitur hic Philosophus de iis rebus, quæ à Principibus rogantur, & magno parantur, cùm precario obtinentur. At nihil viliùs emitur, quàm quod à Deo per orationem impetratur, simul enim & oratur, & exoratur, quòd ab illo petitur. Pater namque est, & pater cælestis, & scit inopiam, egestatemque nostram, & extemplò concedit, quidquid optatur.

Tunc verò faciliùs, celeriùsque obtinet oratio, cùm id, quod petitur, ad animæ salutem, eiusque remedium pertinet, & facit. Dauid Ps. 10. ait: *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus.* Litera Græca sic habet: *Desiderium pauperum signauit Dominus.* Fit vt præsidi cuipiam multi offerantur libelli supplices, interque hos vnus ab eo qui sit illi singulariter, & enixè commendatus, huius literas signo aliquo notare solet, vt ei primò statim loco, & ante omnia gratificetur, satisfaciatque. Ita multos sæpè DEO per orationem exhibes libellos supplices, quib. res precaris temporales, & hos ille parui facit. Obsecras posthæc alia, quæ animæ tuæ negotium ac salutem concernant, perseuerantiamque rogas, & charitatem, vt illum constanter & ardentiùs diligere possis, & has subitò obsignat preces, quia his vult extemplò satisfieri: *Desiderium pauperum signauit Dominus.* Hoc est, quòd Christus ipse rogare docuit, cùm ait: *Si quid petieritis.* Notate illud *quid*, quòd rem solidam, ac perdurabilem significat. Tales ergò vult Dominus res peti, in quibus sunt gratia, & gloria, quæ sunt bona, vt vocant, substantialia, & perennia, cùm res temporales sint accidentia, & caducæ, & fluxæ, quarum ratio in Dei tribunali nulla habeatur.


Hoc idem affirmat Dauid in quodam alio non minùs mystico loco his verbis: *Intret in conspectu tuo oratio mea,* Psal. 84. Non semel tantùm vtitur his verbis sanctus Ambrosius, eaque ex Græco sic legit: *Intret in conspectu tuo dignitas mea,* hoc est, perueniat ad aures tuas, Domine, inopia, & necessitas dignitatis meę, vt ad mei cõpassioné permouearis. quænam illa dignitas audebit apparere in conspectu Dei? Nonné dicebat Abraham, *loquar ad Dominum, cùm sim puluis, & cinis?* Genes. 18. Fecit hîc Dauid, quod nobilis solet, qui ventorum libidine per infidum, & inuium diu iactatus mare, denique omnibus exhaustis ad portum ægrè appellit, cogiturque & petere eleemosynam, atque vt faciliùs expetat, & obtineat, etiam nobilem suam originem aperire, vt promptiorem inueniat hominum copiosorum beneficentiam. Ad eum modum dicit nunc rex pœnitens: *Intret in conspectu tuo dignitas mea,* tanquam verbis aliis dixisset: Domine tu rex es, præbe ergò aures supplici regi, & dignitatis meæ regiæ necessitatibus, quæ variæ, & graues sunt, quàm est amplus status, succurre.

O quàm vtile foret, si Iudices populi Deum adgeniculati sic appellarent: *Intret in conspectu tuo dignitas mea,* hoc est, da Domine, vt rectè nouerim gubernare subditotos meos, & intelligam omne illud, quidquid ex iustitia facere teneor!

Dicant etiam superiores omnes, & quotquot aliis ex officio præsunt: *Intret in conspectu tuo dignitas tua,* dicant hoc verbis istis aliis: Vide Domine, quòd sum præses hominum suo sensu abundantium, & accommodare me ad ingenia multorum tam diuersa non satis scio, da mihi proinde gratiam, vt ne animæ meæ iacturam inter huius officii administrationem faciam.

De Virgine beatissima hoc mihi indubitatò persuadeo, illam in templo hæc Deo sæpè inter precandum dixisse: *Intret in conspectu tuo necessitas generis humani,* & miseratus ærumnosorum mortalium tam duros, ac diuturnos casus dimitte tandem in terras Filium tuum, vt indutus carnem succurrat miseris, & intolerabiliter afflictos redimat captiuos.

(*)



§. IV.

§. IV.

Sacratissima hæc puella, cùm in Templi secessu remotam ab hominibus vitam egit, omnibus Castimonialibus simile vitæ genus amplectendi normam reliquit.

VIrgo Mater Domini nostri, & Domina nostra plurimùm amauit solitudinem, & recessum, eâque re nos docuit, vt similem solitariè viuendi rationem amplectamur. Solet enim Dominus eos, qui in latebras se à mundi tumultibus abdunt, multis gratiarum incrementis augere. S. Hieronymus secum reputans vitæ solitariæ præstantiam aiebat. *Mihi oppidum carcer, solitudo paradisus est.* Vbi homines cæteri se liberrimè, & securissimè degere putabant, re autem vera obstricti, & compediti iacebant, ibi Hieronymus nil nisi carcerem videbat: *Mihi oppidum carcer est.* At solitudo invia, eremus inculta, arboribus syluestribus, scabris saxis, confragosisque & muscosis rupibus horrida, ea illi quidam magnæ voluptatis locus erat. Nam quod Deus singulari priuilegio concessit paradiso, vt æternitatem conferret homini, si ex fructibus arboris vitæ comedisset, id ex gratia dedit etiam solitudini, quia & ipsa paradisus est, in qua æternitatem sibi comparant, quotquot eam ambiunt, & amant, & rectè colunt.

Proferam hîc conceptum, qui magnam in se habet energiam, & autorem Philonem Iudæum, qui meo quidem iudicio nihil sapientiùs vnquam scripsit, vel dixit eo, quod nunc subijciam, ait ergò, quòd Deus, quamdiu in solitudine vixit, salua etiam æternitate vixit, & in summa quiete, & absque omni periculo. Transijt autem à sua solitudine ad commercium, consuetudinemque creaturarum, statimque velut iactari tempestate, & de vita decedere cæpit, & quantùm ad affectum occisus est in Angelis, qui ceciderunt, quisquis enim peccat, eius malitia, quantùm ad affectum, eo tendit, vt vitam Deo adimat. Ab Angelis progressus fuit ad Protoparentes nostros, & cùm illi per suum peccatum morerentur, commoriebatur illis Deus, quantùm ad amorem, & charitatem. Denique solitario Deo sua constitit integra, illæsaque æternitas. Simul ac effundi à suo recessu ad creaturas cæpit, mortuus in illis fuit, ad modum, quo mori potuit. Itaque extrà solitudinem neque Deus securè agere videtur.

Verba Philonis ex lib. 4. rerum diuinarum sic habent: *Dei sermo amat deserta solitarius, non miscens se turbis rerum corruptibilium.* Dictio illa *Sermo* idem est, quod *Verbum*. De Verbo Dei itaque, siue secunda in Trinitate persona dicit Philo, vixisse semper in solitudine, atque in ea suam conseruasse æternitatem, & recusasse transire ad creaturas, sciebat namque quòd vitæ damnum incurreret, si cum illis communicaret.

Idem in lib. de mundi opificio dicit, quòd quamdiu Deus in solitudine sua perstitit, æternitatem suam in seipso fouit, cùm verò ad conuictum hominum transijt, eo modo, quo potuit, mortem oppetijt.

Solitudo locus est, in quo anima præparatur ad recipiendum singularia à Deo beneficia. Loquens Propheta Oseas de anima, qua cùm Deus de reconditissimis suis mysterijs communicare volebat, sic illum loquentem inducit: *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius*, Ose. 2.

Solitudo cella vinaria est, in qua Sponsus cœlestis animas, quas maximè charas habet, pretiosissimo amoris vino inebriat, & replet suâ scientiâ: *Introduxit me Rex in cellam vinariam* dicebat illa Cant. 2. quod Paraphrastes Chaldæus vertit: *Introduxit me Dominus in domum gymnasij & doctrinæ*; Solitudo schola est, vbi superus animarum Magister Christus docet Sponsas suas, quæcunque ad salutem earum pertinent, & abstrusissima mysteria. Eapropter dicit S. Petrus Damianus Opusc. 11. c. 19. de laude vitæ eremiticæ: *Solitaria vita cœlestis doctrinæ schola est, ac diuinarum artium disciplina.*

Quis possit expendere robur, quod homo solitarius sibi comparat ad vincendum Deum, quando momentosissimæ occasiones id maximè requirant? S. Gregorius Nyssenus in lib. de vita Moysis ait, quòd hic Sanctissimus legislator plùs apud Deum potuit, quàm omnis populus reliquus, id factum, quòd tam charam habuerit solitudinem, quæ illi hos animos fecerit, & tantos Spiritus generârit. *Cùm cæteri homines in societate minùs timeant, Moyses derelictus solus in monte audacior est factus*, inquit ille. Vnus, solusq; quidam homo, qui solus viuere amet, plùs apud Deum valet, quàm ingens hominum simul viuentium cætus.

Regina cœlorum vitam agebat in solitudine, atq; ideo plùs sola potuit, quam vniuersus mundus reliquus. Et quid potuit? Accelerare mysterium incarnationis. In solitudine se disposuit vt esset Mater Dei. In solitudine fuerunt illi detecta, quæ neque supremis Cherubinis reuelata.

Prima ergò Virgo hæc docuit Moniales vitam viuere

nere solitariam. S. Gregorius Turonensis in lib. de salutat. Angelica refert, sibi è cœlo indicatum, qualem vitæ rationem in Templo tenuerit Mater Dei. *Credo*, inquit, *Deiparam, ex quo templum ingressa est, sine cilicio beatam carnem illam pungente vixisse nunquam. Illius vestes è vilissima lana, somnus ipsum semper humo nuda, vel nudis tabulis adhærebat. Nullo vnquam tempore non ieiunauit. Famem cælitus allato pane fugabat, quæ verò à ministris templi in alimentum accipiebat, ea quotidie pauperibus erogabat.* Trimula puellula, cùm se in Templo Deo consecrasset, tenerrimam, integerrimamque carnem suam, ex qua suæ humanitatis vestem summi Dei Filius accepturus erat, iniecto cilicio duriter emaciauit. Hinc facile est arbitrari, quibus præterea modis corpus suum posterioribus annis afflictârit. Hinc tanquam ex autographo didicerunt sacræ vestales, quæ deinceps in Ecclesia fuerunt, omne genus disciplinæ & spontaneæ mortificationis.

§. V.

Sancta Anna cùm filiam suam Deo obtulit, docuit nos reddere eidem vota nostra, & gratos exhibere illius beneficijs.

SAncti parentes Ioachim & Anna, adduxerunt filiolam suam in templum, vt eam offerrent, & consecrarent Deo. Et quis explicare possit voluptatem, & gaudium, quocum tres sanctissimæ Trinitatis personæ pretiosum, earumque illud donum exceperunt?

Dicat id S. Bernardus, cuius sunt ista ex serm. de Deipara Maria. *Pater in consecratione Virginis exhibuit claritatem, Filius humilitatem, Spiritus sanctus charitatem. Pater autoritatem contra peccatum, Filius humilitatem contra mundum, Spiritus sanctus charitatem ergà Deum & proximum.* Expendat hæc verba quidam è cœlo angelus, me enim cor, & facultas ea dignè ponderandi deficiunt.

Dicit ergo Doctor mellifluus, quod eo die, & momento, quo hanc puellulam sancti parentes eius consecrârunt Domino, æternus Pater, ille, qui faciem suam millenis cortinis tectam alioquin, obuelatamque habebat, ille, de quo Isaias c. 44. dixerat: *Verè tu es Deus absconditus*, ille, qui sic se oculis negabat humanis, vt videre illum, simulq; viuere nemo posset, *non enim videbit me homo, & viuet*, aiebat cuidam perfamiliari suo, ille, inquam, dum hæc ei Virgo dedicaretur, *exhibuit claritatem*. Hic rex gloriæ præcepit Cherubinis suis, vt omnes præsentes se exhiberent. Hic rex ipse in publicum prodijt, vt singulares creaturis omnibus præstaret gratias. Hic imperatum fuit, vt lumina & faces in toto cœli accenderentur amphitheatro. *Pater exhibuit claritatem in consecratione Virginis, Filius humilitatem.* Quomodo verò? Humilitatem filius exhibuit manifestatione desiderij, quo ardebat, cupiebatque carnem induere humanam. Hoc illis verbis indicatur. *Quem cæli capere non poterant*, vbi metonymicè *cæli* pro cœlorum palatinis accipiuntur, qui dicuntur Filium Dei capere, hoc est, retinere non potuisse, quia ante tempus venire, & corpus ex tam formosa puella assumere volebat, & cùm esset Deus infinitus, voluit humilem se, priusquam homo fieret, coram ipsis Angelis exhibere, idque pro maiore honore, & magnificentia illius, quæ mater ipsius futura erat. Hic subest sensus ijs verbis: *Filius in consecratione Virginis exhibuit humilitatem.* Et quid Spiritus sanctus? *Exhibuit charitatem*, solicitando Patris pectus, & viscera Filij, vt ne differrent incarnationem vsque in annum trigesimum, aut quadragesimum Virginis, sed maturarent remedium generis humani, & ex illa annos quatuordecim nata carnem sibi futurus redemptor assumeret.

Dicit præterea Bernardus: *Pater autoritatem contra peccatum exhibuit*, cùm Deo Maria oblata fuit. Et velut sacra Inquisitio in publicis actibus ad ostensionem suæ autoritatis exponit cadurcum, quando pro tribunali contra hæreticos, idololatras, Mauros, striges pronuntiat: Ita pater æternus in præsentatione Mariæ exposuit cadurcum suæ maiestatis ad condemnandum è publico tribunali vteres idololatrias, & falsa dogmata, & pestiferas hæreses, decernens facere initium legis euangelicæ, & gratiæ vbi esset magna sanctitas, & puritas, & gratiarum ingens affluentia. Hoc est, quod dicitur Patrem voluisse suam in consecratione Virginis exhibere autoritatem contra peccatum.

Voluit sancta Anna implere votum, quo filiam Deo addixerat, obtulitque illi hoc die sanctum purissimorum viscerum suorum partum. Quod autem voto se oblationi filiæ obstrinxerit, ex quibusdam S. Gregorij Nysseni verbis eruitur, quæ sic habent: *Cùm autem puella tam grandis euasisset, vt mamma admoueri eam ampliùs opus non esset, haud cunctata est eam ad templum adducere, atque promissum præstare.*

In his illud obseruate, quod tunc in templum adducta Virgo sanctissima dicitur, cùm deinceps admoueri mammæ opus non fuit. Hinc accipitur

ante

ante triennium non fuisse ablactatam: eâ enim ætate primum Deo præsentata fuit. Vltra biennium præbere vbera pueris, quamuis debilibus, & infirmis matres nullæ solent, & quando sunt validioris naturæ, & conditionis, vix vltrà annum lacte nutricari eos consueuerunt. Quid ergo sibi vult, quòd MARIA illa tam prudens, tam sana, vt nunquam ægra laborârit valetudine; tamdiu lac maternum suxit, nec alimoniam primo illo triennio aliam admisit, quousque Deo in templo oblata fuit? Trimulam autem fuisse, cùm in templum adductã affirmat sanctus Hieronymus his verbis: *Cùm trium annorum circulus volueretur, & oblationis tempus completum esset, &c.* & S. Epiphanius luculentè ait, quod *tertio anno oblata est in templo.*

Responsio ad propositam quæstionem in maximam S. Annæ commendationem, insignitamq; eius laudem cedit. Res certa est, & quæ multorum grauium autorum testimonio comprobari possit, quòd mores cum lacte materno combibuntur. Vide Galenum lib. de alimentis, & Plinium lib. 15. cap. 13. Gellius lib. 12. cap. 1. ait: *Si enim lacte hœdi, aut caprarum agni alerentur, constat in illis lanam duriorem, in illis capillum gigni teneriorem.* Cùm ergo mores cum lacte hauriantur, noluit MARIA in ædibus parentum suorum relinquere vbera matris, nec alium capere cibum, ne quid bonorum morum in S. Anna remaneret, quod filia non imbiberet, & præclara existimatio, quam de parente sua habuit, fecit, vt omnem eius viuendi ritum studiosissimè imitaretur. O ingentem S. Annæ excellentiam!

S. Gregorius Nyssenus, vt paulò antè dictum, ait, non cunctatam esse Annam, sed tempestiuè promissum exsoluisse. Nicephorus lib. 1. hist. cap. 7. tantundem his verbis adstruit: *Promissionem mater Anna adimplet, & in templum ascendens iuxta votum eam consecrat.* O quàm præclarè sancti hi parentes docent gratias Deo pro beneficijs ab eo acceptis referre!

Exemplar gratitudinis summæ fuit rex pœnitens Dauid. Ibat ille, vt cum gigante confligeret. Rex Saul cùm illum tam iuuenem videret, victoriæ spem, quam conceperat, omnem abiecit, cui adolescens pastorculus aiebat: *Dominus, qui eripuit me de manu leonis, & de manu vrsi ipse me liberabit de manu Philisthæi huius,* 1. Reg. 17. & quando leonem quendam interficiebat vel enecabat vrsum, capita eorum, summosque pedes, & vngues in gurgustio suo tanquam trophæa Dei, ad contestandam suam erga Deum gratitudinem, suspendebat, ac propterea confidebat, quòd Deus facturus esset, vt de gigante triumpharet. Et quòd arma regis Saulis recusauit, hoc fecit, *vt virtus Dei apertè monstraretur, & non armis, quæ fiebant, adscriberent.* Ita S. Ioannes Chrysostomus hom. 46. in Genes. Gratitudo exhibita Deo spem certam illi fecit victoriæ. Obtinuit victoriam. Fuitné oblitus Deo pro accepto beneficio referre gratiam? Nequaquam, quia fundam pro trophæo reposuit. Iosephus lib. 6, antiq. cap. 11. ait, totam illam Deo adscripsisse victoriam. Quid ex tanta gratitudine consecutum fuit? Illud, inquit S. Ambrosius lib. 1. offic. cap. 35. vt nunquam ingressus fuerit prælium quin victor abiret. *Nunquam nisi consulto Deo bellum adorsus est, ideò in omnibus victor vsque ad summam senectam euasit,* Sic ille.

Aliudné præterea gratitudine suâ obtinuit? Hoc etiam, quod victoriam ipsius cantu celebrârunt virgines Hierosolymitanæ dicentes: *Percussit Saul mille, & Dauid decem milia,* 1. Reg. 18. Percussitné Dauid alios præter gigantem? Non. Quid ergo illæ dicebant, percussisse decem millia? Quia ille gratum se exhibuit, gratitudo autem amplificat victoriam, & multiplicat trophæa, & augustiorem speciem addit triumphis, vt videantur maiores. Audite S. Basilium Seleucum, qui orat. 51. sic ait: *Gratus seruus, qui vel ante operam opera fructum offert Domino.* Quando obuiam ibat giganti, dicebat: *Ego venio ad te in nomine Domini exercituum,* 1. Reg. 17. 45. eique offerebat victoriam. Ea gratitudo grandibat triumphum, & gigantem vnum ad vsque decem millia gigantum multiplicabat.

§. VI.

Traduntur bonæ conditiones, quas vera virgo imitatione Reginæ cœlorum habere debet.

SApiens in suis Prouerbijs quatuor proponit conditiones necessarias bonæ mulieri, vt sit perfecta, maximè, si virgo sit. Prima est, quòd *surrexit de nocte*, hoc est, vt simul atque vsum rationis attigit, Deo se consecret, & tempestiuè officijs Dei se tradat. Secunda, quòd *considerauit semitas domus suæ.* Tertia, quòd *accinxit fortitudine lumbos suos.* Quarta, quòd *panem otiosa non comedit.* Hæ quatuor conditiones reddunt mulierem omni laude, & præclarissimis elogijs, honorumque titulis dignam.

Primum ergo requiritur in muliere, vt maturè se tradat cultui, & officijs Dei. *Surrexit de nocte.* Plurimùm semper placuit Deo, habere ab officijs iuuenes,

iuuenes,siue pueros, qui & in cœlis pueros habere secum in suo cubili cuidam supplici amico dicebat Lucæ 11. Id in lege vetere præfiguratum videmus, vbi non annosa animalia, sed pullos eorum sibi offerri voluit. *Par turturum*, ait, *aut duos pullos columbarum*, Leu. 12. Et Psal. 28. *Afferte Domino filios arietum.* Et cùm ad festa illa Iudaica frequens deberet concurrere populus,volebat tenellos agnos sibi immolari. Sic enim aiebat Psal. 117. *Constituite diem solennem &c. ad cornu altaris*, quod Chaldæus legit: *Alligate anniculum iuniorem.*

S. Gregorius Magnus ait, quòd in lege antiqua Deus agnos, vitulos pullos animalium brutorum sibi offerri cupiebat, eâ re præmonstrasse, quid in noua gratiæ lege futurum esset.Hæc tam certa sunt, vt non sit necessum probare.

Libet hîc proponere quæstionem, & ex Deo aliquid sciscitari. Quid causæ est, quòd adolescentes, pueros adeò vis habere ab officijs? Scisné pueros esse tales,quibus credi nihil possit? Hominem etiam, illum senem,& grauem annis parùm decet multâ vti puerorum operâ, & familiaritate. Antiquum dierum te vocat Daniel cap. 7. quid ergo existimationis haurire potes ex talium immatura ætate hominum seruitijs, & ministerio? Certè parùm dignum te, Deus meus, videtur,quòd id facis. Mihi scripturam legenti occurrit,quòd illa rudis ætas cum autumno, opprobrio, & procelloso mari comparatur. Iob 19. dicitur: *Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ.* Id Vatablus transtulit: *Sicut fui in diebus Autumni, & opprobrij.* Et rursum cap. 36. ait: *Morietur in tempestate anima eorum.* Id apud LXX sic habet: *Morietur in adolescentia,vel in pueritia.* Adolescentia hîc, vt vides, cum Autumno componitur, qui nihil habet boni. Per eam anni partem conijcit agricola semen in agrum cum illius perdendi periculo. Est etiam incommodum modicis tempus,qui tametsi delassati sint, per frigus nihilominùs discurrere debent. Deinde & nubili sunt dies autumnales, & periculosæ infirmitates, quæ tunc hominem corripiunt, & plurima per vndabundum mare discrimina. Quare ergo vult Deus iuuenes talium rerum similes habere à ministerio?

Respondeo. Deus amat primitias,& vt prima animalia, sic & ætatem primam sibi vult offerri, & non diligit matura. Quòd autem Deus expetit annos primulos, id facit, vt omnes ætates tuas in gratia finias. Tot mortes oppetit homo, quot varias ætates. Fit ex puero adolescens. Si adolescentem percunctareris, quonam ipsius abierit pueritia, obijsse diceret. Ex iuuene vir nascitur, quid iuuentuti illius accidit? Mortua est. Ex viro fit senex, virilis ætas in senili deficit, & tot mortes homo decrepitus subijt, quot mutauit ætates. Quòd ergo Deus annorum nostrorum primitias exposcit, hoc facit, vt singulas ætates in gratia conficiamus, & ex infantibus fiamus virtutum studiosi pueri, ex pueris studiosis adolescentes pij, ex adolescentibus pijs viri sancti, ex sanctis viris venerabiles probitate magis, quàm canitie senes. Quare magnæ prudentiæ est, statim ac rationis aurora illucescere incipit, consecrare se Deo, & plurimùm sapit, qui simul sapere, & seruire Creatori suo exorditur.

Quando Saluator mundi maledixit ficui isti, cuius Matthæus cap. 21. meminit, eamq; ariditate damnauit, quòd non faceret fructus, *non erat tempus ficuũ*, vt inquit S. Marcus cap. 11. Videtur ergo iniuriâ illam mulctasse. Negat Nazianzeni scholiastes Nicetas, quanquam enim ficuum tempus non esset, erat tamen primorum fructuum tempus. Hæc arbor bis anno vno fructus edit. Primos tempestiuè,reliquos serius. In hac ergo ficu, quæ nullos protulerat fructus, maledixit Christus quosdam homines,viros,ac mulieres, qui nec in iuuentute, nec in processiore, ac senili ætate benè viuere volunt. O quantâ confusione nos hac in parte Deus suo exemplo profundit, ac replet!

Cùm scriptura de creatione mundi differit, priusquam ad diem septimum perueniret, qui est Sabbatum, & Symbolum quietis, dicit quòd Deus sex continuis diebus laborauit, ac tunc subiungit: *Requieuit Dominus die septimo ab omni opere, quod patrârat*, Genes. 2.

Theophilus Antiochenus subtiliter annotauit, quòd Deus, cùm primùm innotescere, & mentionem sui in chronicis fieri voluit, inspirauit illorum scriptorem,qui fuit Moyses,vt opera illius antè describeret, quàm ipsum memoraret, vt propterea dixerit: *In principio creauit Deus*; cùm dicere debuisset: *Deus creauit in principio.* Noluit ergo Deus nomen suum sciri, nisi priùs opera scirentur,& non tam per suam pulchritudinem,aut bonitatem,quàm per suas actiones innotescere. Verba Theophili ex lib. 2. contra impugnatores veræ religionis sic habent: *Vt igitur Deus, qui verè est Deus ex operibus suis cognosceretur, &c.* O quantam hoc adferre confusionem ijs debet, qui non tempestiuè, & primis, quibus possunt, diebus laborare in operibus bonis, & Deo seruire incipiunt,tanquam in Sabbatum otij

æterni, & vacationis ſemper duraturæ per otium temporale venire ſperent.

Alterum, quod requiritur in virgine, eſt vt ſit prudens, & receſſus amans. Nam vbi noſtra Vulgata habet: *Conſiderauit ſemitas domus ſuæ*; dicit Græcus: *Anguſtæ ſunt ſemitæ domus eius*. Latebricolæ virgini, ſeu mulieri magnam conciliat receſſus amor exiſtimationem. E contrà ſi quæ vagos libenter figit oculos proprios, & admittit alienos, ea Tertulliano, ſi virgo ſit, ſtupri appetentiâ laborare videtur, vt cui ſua virginitas ſit oneri, quo leuari cupiat, quanquàm per vim accidat. *Omnis publicatio Virginis ſtupri paſſio eſt*, inquit ille in lib. de veland. virginibus; velut dixiſſet: Quòd virginem tædet ſolitudinis, quòd conqueritur, ſe à matre in publicum egrediente non aſſumi comitem, *id ſtupri paſſio eſt*. Quòd literas recipit amatorias, & quærit quocum communicet, *id ſtupri paſſio eſt*. Quòd identidem ad feneſtram accurrit, & noctu furtiuis colloquijs, patre, ac matre inſcijs, intempeſtiuam dat operam, id *ſtupri paſſio eſt*. Talis virginitas graue pondus eſt, quod quæ patiuntur, magno illius deponendi deſiderio ardent.

Tertulliani conſilium pientiſſimâ quâdam commentatione confirmabo. In Exodo reperies, quòd cùm Moyſes deſcendit è monte, vbi cum Deo locutus fuerat, tam elegantes emicuerunt ex illius facie radij, vt neceſſum habuerit obnubere ſe velo, vt diſſerere ad populum poſſet.

Ego in his illud admiror, quod dicit Oleaſter talibus verbis: *Moyſes non cognouit, quòd radiaſſet cutis faciei ſuæ*. Non erant luminoſa cornua, quæ ille fronte prætulerit, vt plerumq; ſolet depingi, & ſæpè pro concione à nonnullis dictum. Oleaſter ait, ex genis eius talem eluxiſſe ſplendorem, in quibus verecundia, vt Ariſtoteles affirmat, & conteſtatur experientia, ſuam habet ſedem. Res eſt, quòd rubore perfundebatur, quòd ſe hominem terrenum coram Deo cœli præſentem videret. Cùm Moyſes tantis ſubiectus eſſet miſerijs, Deus verò tam purus, & ſpecioſus, vt Iob dixerit: *Cœli non ſunt puri in conſpectu eius, quantò magis abominabilis, & inutilis homo, qui bibit quaſi aquam iniquitatem?* & ille tum ſuam vilitatem, tum Dei maieſtatem ſecum reputaret, vehementer erubuit, quòd ei præſens adſtaret.

Hæc autem verecundia ita placuit Deo, vt illi ſuccurreret, & ſplendore gloriæ eam condecoraret, maioremque autoritatem, & exiſtimationem ei adderet. Et cùm Moyſes è monte reuerſus cum populi vulgo loqueretur, qui eſt maximus verecundiæ hoſtis, cogitaretque eſſe cœleſtem pudorem, cuius ſanguis facilè vitiaretur, & quouis oculo faſcinari poſſet, ne illum perderet, ſed conſeruaret, velum faciei ſuæ iniecit, vt tutaretur. Niſi enim ille cuſtodiatur, Deo permittente fit, vt in miſerandum ſtuprum prolabatur.

Et hoc eſt, quod dicebat Tertullianus: *Omnis publicatio Virginis bonæ ſtupri paſſio eſt*, & nimia cum impare ſexu familiaritas deſiderium ſtupri.

Arca Teſtamenti ſemper in clauſura fuerat, ſemel in publicum elata, ſtatim à Philiſthæis capta fuit. *Arca Dei capta eſt*, inquit ſacer Scriptor 1. Reg. 4. Non poterat eam tutari virga, quæ intùs erat, neque tabulæ legis, vel manna defendere. Denique in manus hoſtiles incidit, poſtquàm clauſtrum ſuum reliquit. Idem euenit virgini, quæ non vult latere, ſic vt neque lex, hoc eſt virtus illi ſuccurrat, neque manna diuinarum conſolationum auxilietur, ac propterea non deerunt Philiſthæi, qui illam capiant, abductamque aliò permouebunt, vt ſuſque deque habeat bona conſilia, quibus illam parentes erudierunt, & educârunt.

Ego virginem cum feretro comparo, quod cùm per compita defertur, inditio eſt, cadauer intùs eſſe, vt propterea & vicinarum Parochiarum campanæ compulſentur. De virginibus eiuſmodi, quæ vagari, & obire plateas amant, eleganter ſcribit S. Cyprianus in lib. de habitu Virginum: *Dum liberè euagari Virgines volunt, eſſe Virgines deſinunt, furtiuo dedecore corruptæ, viduæ antequàm nuptæ*. Et quæ virgo ſcire cupit, à quo ſpiritu regatur, videat quò propendeat. *Ductus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu*, inquit S. Matthæus c. 4. Sanctus Gregorius Magnus ait, Spiritu Sancto ductore perrexiſſe in deſerti locum ſolitarium. Dæmon autem ex ſolitudine illum eduxit in ciuitatem, & in pinnaculo templi conſtituit. Videat virgo, quò illam ſuus ſpiritus ducat. Si in ſolitudinem, & latebras, inditio eſt, ſpiritum eſſe ductorem, ſi in Babylonem mundi, à ſpiritu diabolico id fieri indubitatum eſt. Hoc ergò eſt, quod dicit Sapiens: *Anguſtæ ſunt ſemitæ domus eius*.

Tertia conditio eſt, quòd *accinxit fortitudine lumbos ſuos*. Sunt virgines nonnullæ, quæ cingunt quidem lumbos ſuos, & fugiunt omnem laſciuiæ, & ſenſualitatis occaſionem, ſed frigidè & languidè hoc faciunt. Scriptura dicit, quòd ſeruo Abrahæ pergenti ad inquirendam ſponſam Iſaaco, cùm prope fontem quendam eſſet, viſa fuerit Rebecca, quæ venerit allatum aquam. *Erat autem puella decora nimis*,

mis, virgoq; pulcherrima, & incognita viro, ait sacer Scriptor Gen. 24. At si virgo erat, cur addidit, fuisse incognitam viro? Quia multæ sunt, quæ esse virgines volunt, & visitari tamen, & intentis, emissitijsque spectari oculis amant. Hæ constringunt virginitatem suam, sed non validè. Aptiùs in rem præsentem transtulerunt LXX. *Virgo erat, & vir non cognouerat eam.* Si virgo erat, quomodo cognita esse viro poterat? Dicam. Sunt multæ puellæ, & virgines, quæ mundi opinione sunt tales, sed norunt ipsæ, quòd sua virginitas magis artis, quàm naturæ est filia. Hoc est, quod dicitur: *Virgo erat, & vir non cognouerat eam*, hoc est, non solâ vulgi existimatione erat integra, sed etiam viro intacta. Ita clarè exposita dedi illa Paræmiastæ: *Accinxit fortitudine lumbos suos.* Virgo se validè stringere debet.

Ad huius confirmationem facit, quod Sanctus Paulus, cùm nos ad communem cum hostibus nostris, carnis specialiter conflictum incitaret, Ephes. 6. aiebat: *State succincti lumbos vestros in veritate*, hoc est, validè, fortiterque constringite lumbos vestros, non laxè, ac leniter, velut ij faciunt, qui nunc præ imbecillitate cadunt, & rursùm eriguntur. Hoc idem voluit dicere Iob c.19. cùm ait: *Tu autem accinge sicut vir lumbos tuos, & interrogabo te.* Masculâ virtute tam arctè te constringe, vt nullus maneat vanitati locus.

Quarta conditio mulieris est, vt non sit malè feriata: *Panem otiosa non comedit.* Semper eam occupatam habeant extra quidem seduli manuum labores, intùs verò actus contritionis.

Quæro. Quomodo mors ingressa est? Per manus. Sic enim dicit liber Sapientiæ c.10. *Impij manibus, & verbis accersierunt illam.* Quinam fuerunt isti impij, nisi nostri Protoplasti, qui cùm in paradiso otioso inutiles, & perniciabiles cum malo dæmone miscerent sermones, & liberas ad fructus vetitos extenderunt manus, verbis, & manibus aduocârunt mortem. Ergò per manus rursùm egredi mors debet. Ad hunc sensum declarat Aponius illa è Canticis verba: *Manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei myrrham probatissimam*; Cant. 5. Quæ sic exponit: *Manus meæ stillauerunt myrrham, id est, opera animæ stillauerunt myrrham per amaros gemitus compunctionis.* Per manus ingressa est mors, per manus exire debet; quod fiet, si illæ nunquàm ab opere neque corporali, neque spirituali ferientur. Apprehendant ergò fusum per diem, & per noctem flagra, quæ si adiunctas habeant lachrymas, myrrha mortis per digitos paulatim distillabit.

Hæ quatuor conditiones faciunt, vt virgo ijs ornata sit vera famula Dei, & capax misericorrdiarum illius.

O quàm præclarè his exculta Virgo Mater Dei fuit! Primùm enim se præmaturè consecrauit officijs Dei, quæ non maior trimula in Templo oblata fuit. Sanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 20. componens Basilium Magnum cum Patriarchis, & iudicibus populi Dei, & Samuele Propheta dicit, fuisse *ante natiuitatem donatum*, & oblatum Deo à sua matre. Et quid inde factum? Quòd *statim post natiuitatem sacer*, & sanctus simul ac natus. Multò veriùs hoc de MARIA Virgine Domina nostra affirmari potest. Deo illam mater sua obtulerat priusquàm mundo per partum intulerat. Mox vt nata fuit, mundus illi tanquàm Reginæ Angelorum cum caduceo obuiam venit, & augustissima Virgo triennis velut sacra persona in Templum Deo famulatura ascendit.

Dixit aliquando Dauid: *Et placebit Deo super vitulum nouellum cornua producentem, & vngulas*; Psal. 68. Richardus illud exponit de his, qui rudibus teneræ ætatis annis Deo se offerunt. Hi tanquàm vituli nouelli cornua paruula primarum cogitationum proferunt, quæ vsus rationis in Deum dirigit. Per vngulas, quas etiam producunt, intelliguntur primi passus, quibus ad officia Dei accedunt. Congruit cum his versio Pagnini, quæ sic habet: *Et pulchrior erit Domino, quàm bos vitulus cornificans, & vngulificans*, quisquis ad Dei seruitutem primulis ætatis annis accesserit, cùm primùm erumpere cornua, & prodire vngulæ incipiunt. Et si huic adiungimus illud S.Remigij, qui sic legit: *Et placebit Deo super omnia sacrificia legis*; quis potest esse ille vitulus, qui oblatus Deo plùs quàm sacrificia alia omnia charus fuit, nisi MARIA, quæ à momento suæ conceptionis Deo cogitationes suas, passusq; futuros omnes consecrauit? O quàm tempestiuè hæc Virgo officijs Dei se tradidit!

Secunda conditio mulieris fortis est, quòd *considerauit semitas domus suæ.* Intelligitur hoc de homine interiore, quem intellectus peragrat, vt videat quam viam voluntas inire, quibus rebus occupari memoria debeat. Et hoc est, quod dicitur: *Considerauit semitas domus suæ.* Sed quis hoc tam accuratè facere nouit, quàm hæc sacra puellula? De illa namq; dicit Richardus: *Tota vita MARIÆ erat quasi ecstasis, & contemplatio*, nec aliud agebat, quàm quod oraret, & meditaretur, & in continua amoris Dei exercitatione versaretur.

Tertia

Tertia mulieris fortis conditio est, quòd *accinxit fortitudine lumbos suos*. Vnius MARIÆ puritatem, & integritatem omnes simul Angeli non attingunt. Ecclesiastici 32. dicitur: *Ante grandinem præibit corruscatio, & ante verecundiam præibit gratia, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia.* In nulla creatura præuenit gratia ruborem verecundiæ virginalis tam anticipatò, quàm in MARIA, vix enim concepta fuit, quando maximis gratiæ ornamentis ad miraculum exculta.

Adferam in huius rei corroborationem quédam S. Ildephonsi præclarissimum conceptum. Is de virginitate MARIÆ affirmat, æternam fuisse: *Cuius virginitas æterna est.* Non voluit dicere, virginitatem eius æternam deinceps fore, id enim de Sanctis Agnete, Lucia, Agatha, alijs affirmari quoque potest, neque ingens laus esset, sed hoc vult, quòd Sacratissima Dei Parens ita deperijt virginitatem, tantiq; æstimauit suam integritatem, vt si non fuisset confirmata in gratia, & totâ in hoc mundo æternitate viuere potuisset, virgo per omnem illam æternitatem mansisset, & castitatem suam illibatam, intemeratamque seruasset: Hoc significant illa: *O virgo, cuius virginitas æterna est.* Item ista: *Accinxit fortitudine lumbos suos.*

Fuit in ea & quarta proprietas, quòd *panem otiosa non comedit.* In his conficiendis, quæ ad ornatum templi faciebant, tota erat MARIA. Atque vt manibus cultui illius templi, sic totius Ecclesiæ saluti precibus suis studebat. *Te solam, ô MARIA, pro sancta Ecclesia solicitam præ omnibus Sanctis scimus,* aiebat S. Bonauētura in Speculo Virg. c. 6. Omnes Angeli, totiq; homines vertantur in linguas, vt tantam Dominam celebrent, & magnificent. Ea nobis impetret Domini nostri gratiam, quæ est pignus gloriæ, quam mihi, & vobis concedat Deus benedictus in sæcula, Amen.

De eodem Festo Virginis Præsentatæ.

Autore Interprete.

Vnam petii à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, vt videam voluptatem Domini, & visitem templum eius. Psalm 22. v. 4. 5.



AVditores. Sæpè me hoc in loco fugitiuum tempus fefellit, sæpè operam meam volubilis hora lusit, vt postquàm vestris diu desudaui vsibus, vix commodare potuerim profectibus. Sed id hactenus fecerit, neque enim plura deinceps superuacaneo labore congeram, quàm hoc breui interuallo, regerere in rem vestram commodè queam.

Vnicum ergò illud hodiè paucis tractabo, quare templo includi mater Dei voluerit, quæ domi inter religiosissimos Parentes Deo omni sacrorum officiorum genere obseruire potuit. Si promissa factis vicero, & sponsioni quidquam supererogâro, propensi animi illum indicem accipite, & in vicem pro solenni vestro studiosè attendite.

Vnam petii à Domino, &c.

TAm securus agebat S. Dauid, vel si nudus, inter medias armatorum hostium copias, & acies, quàm intrepidus viuit alius, qui nullum hostis timet periculum, cuius scilicet nullum vel procul subodoratur vestigium. Aiebat nimirùm Psalm 26. *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Si consistant aduersùm me castra, non timebit cor meum, si exurgat aduersùm me prælium, in hoc ego etiam sperabo.* At tametsi de bono Deo tantùm præsideret, non tam bellicam gloriam expetebat tamen, quàm illud summis votis optabat, & assiduis precibus postulabat, vt liceret à bellicis laboribus feriato omnes in domo Domini vitæ exigere dies: *Vnam* (subaudirem) *petii à Domino*, inquiebat, *hanc requiram*, hanc petere non desinam, *vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, vt videam voluptatem Domini, & visitem templum eius.* Hæc tunc erant Regis, armis à puero innutriti vota.

Minus aliquid tali Parente Dei Parens, ac talis filia optârit, cupierit, expetierit? Aut tam degener fuerit, vt solam ab illo vitæ duxerit originem, neque contraxerit morum sanctorum similitudinē? De alia quauis id subuereri possis, de Virgine matre vel suspicari nemo debet. S. Bonauentura ait, quo tempore appetebat cum cœlesti nuncio Archangelus, inhæsisse meditando virginem vaticinio Esaiæ, illi, quo ex virgine oriturum Messiam præsagit, tum ardentissimis votis illud suspirasse, vt vel pro mancipio esse posset Virgini, quam conceptu illo Diuino fœlicitare cœlum decreuisset. Et non optârit in templo primulis statim annis Deo initiari, vbi plurimus erat pientissimarum virginum conuentus,

uentus, è quarum choro vnam aliquam tanto operi à Deo destinatam sperare poterat, cùm se gloriosissimo illo munere prorsus indignam arbitraretur?

Rupertus lib. 3. in Cant. de Beatissima Dei matre sic ait: *Hæc prima vouit Deo votum virginitatis.* Id eam alii in vtero Matris suæ etiamnum positam fecisse existimant, rectè, si existiment tantùm, neque dogma fidei esse velint. Si verò intemeratum seruare pudorem tam cita vouit, quid longâ vteretur cum mundi hominibus consuetudine, quæ tametsi inter medias sæculi perlecebras magis tuta fuit, quàm inter hostium bipennes, ac mucrones Pater eius Dauid, conseruandæ tamen integritatis exemplum prælucere virginibus aliis omnis optimæ disciplinæ magistra debuit, & templo se à teneris annis tanquam Cœnobio includere, vt intelligerent virgines reliquæ, quòd tum demum esse possint tutæ, quando inaccessi loci parietibus, & claustris probè munitæ. Magnus virginitatis patronus S. Gregorius Nazianzenus dicere amabat id quod in illius Orat. 43. sic habet: *Vt quisquam assiduè voluptatis monimentis prematur, haud sustineo, eam quoque consuetudinem, quæ per aërem contrahitur, odi, ac detestor.*

Assidua voluptatis monimenta sunt, imparis sexus frequens congressus, paratæ ad voluntatem, & voluptatem ciborum lautitiæ, vestitus mollior, lectus blandior, iners otium, vitæ genus liberum, ac disciplinæ nescium. Hæc non sustineo in virginibus, quibus castè viuere in voto est, inquit Nazianzenus, quia & castitatem ea vix sustinent, adeòque infestant, vt nec à fratre tuta sit soror (Thamar, & Amnon dicere id queant ex 2. Reg. 13.) nec Patris reuerentia salacitatem infrœnare filiarum satis possit (quod vnus Lot suo exemplo orbi testatum reliquit) & Paulus Timothæo, *viro*, vt loquitur Chrysostom.) *ieiuniis dedito, & in tantùm aquæ assueto, vt infirmaretur, & crebras morborum molestias pateretur*, præcipiendam nihilominùs pudicitiam duxerit ac dixerit: *Teipsum castum custodi*, quasi & apud illum, ni pernox, perdiùsque excubaret, periclitari castitas potuerit, cui tantilli vini vsus propter imbecillem stomachum & frequentes infirmitates concessus fuit. At verò *quæ per aërem contrahitur, consuetudinem, eam odi etiam, ac detestor*, pergit Nazianzenus. Quam vocat consuetudinem per aërem contractam? Eorum, qui videri, aut videre amant, furtiuisque oculorum obtutibus auidè, licenterque spectant, ac velut missis, per aërem nunciis mutuò consalutant. Sed quare huic sit tam infensus consuetudini? Quòd eæ, quibus prodire domo facultas, quoties voluntas, aut voluptas, dum in publico agunt, facilè oculos oculis miscent (quod apud eundem legere memini) pronubisque ad conciliandam beneuolentiam vtuntur pupillis, vt sint sæpè nuptæ priùs, quàm desponsæ, & marcidum virginitatis florem domum referant, quæ vernantem extulerant.

Dicam hîc noui aliquid, sed quod admodum olim accidit. Virginitatis tam est fragile bonum, vt Rebecca non se ampliùs virginem integram, arbitrata fuerit, postquàm momentaneam cum viro incognito consuetudinem eminùs, per aërem contrahere cæpit, & Isaacum sponsum liberioribus oculis procul inde arbitrata fuit, adeò nuptiale flameum exemplo sibi iniecerit, tanquam illo intuitu ex Virgine coniugem factam testari voluerit. Tertullianus hoc tantis verborum ponderibus expressit, quantis nescio an aliud quidpiam, quamuis soleat pleraque maximis. *Rebecca cùm ad sponsum ignotum adhuc ignota perduceretur, simul ipsum cognouit esse, quem de longinquo perspexerat, non sustinuit dexteræ colluctationem* (notate magnam verborum proprietatem) *nec osculi congressionem, nec salutationis communicationem, sed confessa, quòd senserat, id est spiritu nuptam, negauit virginem, velata ibidem.* Hæc ille lib. de velandis virginibus. Tam facilè suum capite deuexo ponit flos virginitatis honorem. Vt Virgo virginum, tametsi nullum illi ab oculis vel propriis, vel alienis periculum immineret, meritò templi penetralia rudibus adhuc annis inuaserit, vel vt alias suo exemplo informaret, ac doceret, Deo, cui sacrârunt, eidem vni, tutam tectamque seruare suam pudicitiam, nec oculis hominum prostituere.

Hæc prima causa fuerit, quare ab ipsis propè incunabulis in templum tenera virguncula concesserit. Proxima huic sit, vt videret voluptatem Domini, & visitaret templum eius. Voluptatem Domini non vnam omnes, sed in rem tamen nostram omnes interpretantur. Sunt qui voluptatem Domini dictam velint illum sacri tabernaculi locum, in quo maiestas quædam Diuinæ præsentiæ relucebat. Nam quia Dominum ipsum mortali indutus carne videre S. Dauid non poterat, saltem illam templi maiestatem & augustam Sanctorum speciem cernere cupiebat. Sic Doctus Agellius. Maiore ardebat cœlorum Princeps Maria Dei videndi desiderio, quòd cùm exsaturare non posset, mitigare studebat,

debat, arcamque, & tabernaculum Dei interim frequens adibat, templumque illud qualecunque visitabat, quia ipsum spectare in solio gloriæ suæ Deũ per carnis conditionem nondum poterat. Adiiciam huc aliorum de voluptate Domini sensum, atq; inde faciam pronum ad mores gradum. Ergò quidam suauem illum, ac iucundum Psalmorum cantum, & in laudes Dei composita carmina, voluptatem Domini dictam censent, quam alibi quoque (Psl. 146. 1.) *iucundam, ac decoram Dei laudationẽ* Propheta pœnitens vocet. Hi Dauidem oblectabant moduli, qui cùm plurima Dei beneficia tùm publica tùm priuata in numeros artificiosæ orationis coegisset, tantâ eorum cupiditate tenebatur, vt vel ob id diu ac procul à templo abesse non posset, quo ea crebrò auidissimis haurire auribus posset. Hæc è patria domo, hæc à charissimorum Parentum dulci complexu, hæc ab omni consanguineorũ grato conuictu Virginem quoque nostram in templum abstraxerunt vota, vt ab ineunte pueritia, atque à crepundiis laudes Dei oblectabiliter audiret, cùm reddere ipsa per ætatem vix posset.

Quod noster vulgatus ait, *Vt visitem*, hoc est, crebrò adeam *templum eius*, id ex Hebræo ad verbum sic transferunt alii: *Vt diluculò veniam ad templum eius.* Diluculò ad templum Domini Domini mater venit, quæ sub ipsam vitæ maturioris auroram, cùm à lactea ætate vix dilucescere ratio cæpit sacram ædem cursu petiit, vbi hymnis, Psalmis, atque aliis id genus sacris cantibus pascere aures, atque animum, sed inprimis Deum colere posset. Quid egisset, putatis, diuinissima hæc Virgo, si illo in téplo ipsum Dei filium sub augustissimo Sacramento omnium vsui, & esui expositum adire, & instauratæ per illum nostræ salutis Euangelia ac beneficia audire licuisset, quorum nullum tam est exiguum, vt cum illo venire in comparationem possint, quæ illius temporis erant maximis maiora? Et nobis, quæ nostra est vecordia, ista adeò viluerunt, vt quàm sumus ad alia ferè strenui, tam ad cultum Dei, & frequentanda templi sacra oscitabundi, & ignaui, & nemo fanum diluculò petat, cui vel stipula per viam obstat, nemo non leuiter se abstrahi sinat, & missas etiam die festo facilè missas faciat, reliquis autem feriis quantumuis feriatus de nihilo prorsum intermittat. Vt verò veriùs dixerit Magnus Augustinus de verbis Apostoli serm. 18. *Quia tanta dignitas præstita est.* (vt essemus fratres, & membra Christi, & mensæ illius participes) *non honor ei retribuitur, quasi non præstaretur, desiderare-tur, quia præstita est, contemnitur.* Hæc ille. Deus meliora vertat, & spiritu suo, ac matris exemplo gelida pectora nostra ad gratitudinem, & omnem pietatem inflammet.

Alii templum Domini, ac voluptatem Domini pro eodem accipiunt, ac templum Domini illo voluptatis Domini nomine ob id donatum volunt, quòd templum sit locus, vbi Dominus pro maxima sua voluptate benè mereri de hominibus, gratiisq; ac fauoribus ornare, & cumulare eos sit solitus. Dictum acutè, si etiam verè, nec enim satis cohærere videtur cum illo, quod Dominus Esaiæ 55. ait: *Domus mea domus orationis vocabitur cunctis Gentibus.* Non ergò rectè dicitur templum voluptas Domini, quòd Dominus ipse domum orationis vocari imperauit. Immò ob id etiam rectissimè voluptas Domini dicitur, quòd domus orationis appellatur. Nam si ea est magna Dei voluptas, quòd donorum suorum copiis inopiam nostram depellit, quòd necessitatibus nostris succurrit, occurrit ærumnis, (cuius rei præclara nobis exempla in ouis, & drachmæ primùm perditæ, posthæc inuentæ, in filii prodigi passis vlnis tam inhianter, lætanter, ac peramanter excepti parabolis dedit) rectissimè domus orationis vocatur locus, qui voluptas Domini, & voluptas Domini, qui domus orationis, in quo dum per orationes inopiam nostram testamur, & egestatem exponimus, & tristes casus aperimus, opemque illius, & auxilium imploramus, hanc illi captandæ ex nobis voluptatis occasionem damus, cùm dari ab illo nobis quæcunque necessaria postulamus.

Fuerit ergò vna quoq; è multis causa, quare mater Dei primis vitæ annis adducta in templum fuit, vt cùm Deo excolendam se gratiæ donis sisteret, hanc illi simul voluptatis materiam ex se præberet.

Quantis porrò gratiæ ornamentis pro sua voluptate Virginem Deus in templo excoluerit, quam sibi matrem legerat, id tale est orationis argumentum, tractandum aggredi solus quidam sibi præsidens possit, pertractare nemo. Vnum tamen habeo, ex quo coniicere vtcunque possumus, quantis donis beatissimam hanc Domicellam Dei munificentia adornârit. Quantùm Angeli hominibus præstent, si naturæ vtrorumque conditiones spectes, in propatulo est. Cùm verò decretum erat Numini cùm natura inferiore vnius personæ inire consortium, decentiùs vt quidem videtur, Angelo, quàm homini copulatus, & honestiùs immortali


 spiritui,

spiritui, quàm corruptibili carni Deus spiritus coniunctus tam arctâ necessitudine fuisset.

Itaque iniuriam interpretari Angeli poterant, quando secus factum, & factum hominem, qui Deus erat, videtur. Sed quomodo iustæ (si tamen iustæ) querelæ, & indignationi Angelorum Deus occurreret? Quid faceret, vt meritò illos præteriisse, & creaturarum, quæ intellectu valent, extremum hominem in tantam sublimitatem euexisse videretur? In promptu habuit quid ageret. Quid enim fecit? voluptati suæ liberalissimè indulsit, tantasque de plenitudine sua virtutum, gratiarum, priuilegiorũ copias in Virginem exonerauit, vt illi Angeli facilè concederent, affirmarentque multò quàm se digniorem esse, quæ Dei filio materiam ministraret, ex qua illius spiritus corpus Deo deuinciendum concinnaret. Magna gloria conceptum hunc fraudâro, nisi Autorem illius producam. Melliflui Bernardi in horto natus est, cuius hæc sunt ex hom. 2. super missus est: *Hæc Virgo Regina gemmis ornata Virtutum* (quas ibi recensuit plurimas) *specie suâ, & pulchritudine suâ, in cælestibus cognita, cæli Ciuium in se prouocauit aspectus, ita Vt & Regis animum in sui concupiscentiam inclinaret, & cælestem nuntium ad se de supernis educeret.* Hæc os gemmeum. *Ad se*, inquit, *educeret*, quo ille cœlestis nuntius tam promptè perrexit, quàm vehementer Deum ipsum propendere vidit, & illam tum se, tum omnibus collegis suis Angelis præstantiorem intellexit.

Quid huic virgini roganti neget Deus, qui tanta concessit neque cogitanti? Meritò ergò cùm eodem Bernardo ser. in Nat. B. Virg. de aquæ ductu in fine, vos monere debeo, ac rogare, vt *quicquid istud modicum Deo offerre desideratis* (seu Rosarii, quas illa præ omnibus gratas habet, seu qualesuis preces, eleemosynas, pias cogitationes) *gratissimis illis, & omni acceptione dignissimis Mariæ manibus offerendum tradere curetis, si non Vultis sustinere repulsam. Nimirum candidissima lilia sunt*, nec dedignabitur *ille liliorum amator quicquid illud sit, quod inter Mariæ manus inuenerit.*

Amen, Amen. Dixi.



De Festo Natiuitatis Beatissimæ Virginis Matris Dei.

Autore ALEXANDRO CALAMATO *Messanensi Clerico Italo.*

Interprete F. Ioanne Freylinck Ord. Præd.

Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata. Cant. 6.



CVm stupore naturæ, cum ingenti admiratione totius orbis terrarum, cum lætitiæ voluptate nunquam visa Angelorum, & insigni gloria Creatoris omnium nata est hodie in hac regione mortis magna DEI parens MARIA, quæ luce, & splendore natalis sui terram nostram supra quam sol iste materiatus felicitauit. Descenderunt indubitatò ad hoc spectaculum Angeli pacis, festinanter accurrerunt beati illi spiritus, vt tantam admirarentur pulchritudinem, & concito volatu se inde huc submiserunt, vt inter fascias adorarent eam, quæ omnipotentem Deum conceptura, & fascijs inuolutura erat. O dies verè felix, & fortunate! qui es ornamentum temporis, annorum corona, opulentia sæculorum, æternitatis inuidia. Hâc die harmonicus cœli concentus auditur ad honorem, & magnificentiam eius, quæ suprema & cœli, & terræ regina nascitur. Vtinam sors nostra vellet, vt aures humanæ audirent, quàm dulciter cœlum cantet, quamque festiuè, & studiosè hanc sacram MARIÆ natiuitatem celebret. Sed quia illa plùs nostra est, quàm cœli, eapropter dum cœlum eius laudes cantu persequitur, nos admirabundi respondeamus: *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra Vt luna, electa Vt sol, terribilis Vt castrorum acies ordinata?* Cant. 6.

Non nescio, quòd multi sacrorum Expositorum, dum hunc è Canticis locum expenderunt, dixerunt, quòd virgo sacrosancta diuersis temporibus fuit quasi aurora, luna, sol, & acies castrorum ordinata, id est aurora in suo die natali, quando enim nata fuit, attulit perdito mundo pulchram lucem gratiæ, & fugauit tenebrosam noctem culpæ. Luna plena diuinæ

diuinæ gratiæ fuit in verbi incarnatione, iuxtà illud Archangeli Gabrielis dictum: *Aue gratiâ plena*, Lucæ 2. Instar splendentis solis fuit in sua assumptione, quando tanta fuit eius in cœlum abeuntis maiestas, vt Ioannes in sua mystica apocalypsi non dubitauerit eam vocare mulierem vestitam sole: *Mulier amicta sole*, Apoc. 12. Denique exercitus benè ordinati instar fuit in sua coronatione, quando suprà omnes angelorum choros exaltata, & ad vnigeniti Filij sui dexteram collocata patronæ nostræ officium agere cœpit, de qua Dauid Psal. 44. ait: *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate*, quod alij ex origine hebræa apertiùs, & aptiùs in rem præsentem sic transferunt: *Astitit regina à dextris tuis in scutulatis*, hoc est, in veste picta scutis, quæ sunt luculentum nostræ defensionis, & patrocinij symbolum. Mihi nihilominùs placet hodie repræsentare Virginem benedictam in solo suæ gloriosæ natiuitatis tempore cum omnibus his tam insignibus titulis auroræ, lunæ, solis, & exercitus benè digesti, atque ordinati. Attendite, ego incipio.

1. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Cant. 6. Admodùm congruè, auditores, potest vocari MARIA aurora in suo die natali. Nam si aurora, quam nos videmus (quod Rupertus Abbas annotauit) est finis, & terminus exactæ noctis, & ineuntis diei principium: Ad eundem modum cum certa quadam proportione natiuitas Virginis fuit terminus, & finis tenebricosæ noctis ærumnarum humanarum, & exordium claræ diei lætitiæ omnium nostrûm. Nata fuit hodie diuina ista puella tanquàm noua aurora, faciens initium gaudij nostri, & finem pœnalium laborum quem nobis obscurissimâ nox peccati, attulit, cùm longum illud tot sæculorum tempus, quod ab Adamo ad natiuitatem Virginis vsque effluxit, atra nox ex grauissimorum scelerum caligine fuerit, quod Hugo de sancto Victore serm. 34. his verbis apertè dixit: *Totum tempus, quod ab Adam ad Virginis ortum præcessit, quasi nox extitit, nox longa, & obscura.* Verùm ô felicissimam sortem nostram! Nam post exactam hanc longam noctem, quæ tot sæculorum spatijs peccatorum horrendâ caligine inclusum habuit genus humanum, mox vt ab Annæ vtero egressa est MARIA, splendida, & tam vehementer expetita eluxit aurora, illa, inquam, aurora, quæ clausit noctem peccati, & inchoauit serenum diem gratiæ, illa aurora, ex qua natus est sol iustitiæ. Audite Rupertum hæc dicentem, qui lib. 6. in Cant. Virginem sic appellat. *Quando nata es Virgo beata, tunc vera nobis surrexit aurora prænuntia diei sempiterni, quia sicut aurora finis est præterita noctis, ac initium diei sequentis, sic natiuitas tua finis dolorum, & consolationis fuit initium.* Et sanctus Petrus Damianus in serm. de assumptione idem confirmat, inquiens: *Natâ Virgine surrexit aurora, quia Maria veri prauia luminis natiuitate suâ mane clarissimum serenauit. Hæc est aurora, quam sequitur, immò de qua nascitur sol iustitiæ.*

Aurora diuina, & singularis fuit MARIA illius manibus condita, qui solo nutu auroramque solemque conficere nouit, quemadmodùm dicit rex Propheta Psal. 73. *Tu fabricatus es auroram & solem*, eamque reuerà tam elegantem, vt horrenda, & formidabilis larua videatur alia quæuis aurora, si iuxta illam constituatur, & cum ea componatur. Nascitur aurora (non inficior) coronata lilijs, capillamentum habens aureum vestitâ luce, curruque aduehitur nubium, quem venti tanquàm velocissimi, & alati aurigæ ducunt. Sed quid sunt hi apparatus, quid ornamenta illa, si cum ijs conferas, quibus fulget aurora, quæ hodie nascitur, coronata omnibus diuinarum gratiarum floribus, comas habens non rutilantes auro, sed cogitationibus diuinis ornatas, vestita non luce, sed puritate incorruptibili, & æterna, non curru sedens volubilium, & inconstantium nubium, sed intra brachia, & complexus Dei æterni, & immutabilis recubans, non ventis attracta, sed Patrum veterum vehementibus suspirijs obtenta. Illam suspirauit Adam quando ex somno, in quo sacramentum salutis nostræ vt vult Hieronymus, vidit, euigilans, hæc anhelus dixit: *Os de ossibus meis, & caro de carne mea*, Gen. 2. velut alijs verbis apertiùs dixisset: O aurora quando ille felicissimus dies, adueniet, quo te nasci videam os ex ossibus meis & carnem de carne mea! Illam suspirauit Magnus Noë, quando candida columba suum differebat reditum, Gen. 8. vt vult venerabilis Beda. Illam suspirauit Abraham, quando *exultauit* (quod Christus Iudæis aiebat Ioan. 8.) *vt videret diem meum.* Illam suspirauit sapientissimus Salomon, quando illam intrà fascias vagientem audire cupiens aiebat: *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora*, Cant. 2. 14. Illam suspirauit totus Patriarcharum, & Prophetarum chorus, quando per os Isaiæ dicebat: *Anima mea desiderauit te in nocte*, Isa. 26. Et benè dicit: *In nocte*, quia noctis suæ splendidam auroram optabant.

bant. Tantâ verò luce, tantoque ſanctitatis fulgore veſtita hodie nata fuit, vt ſuo ſplendore omne ſanctitatis, & perfectionis illorum lumen obſcurârit. Non ſic obſcurantur ſtellæ matutinæ luce exorientis ſolis (inquit S. Hieronymus in prologo Sophoniæ) vt omnis perfectio ſanctarum fæminarum veterum ſplendore ſanctitatis huius naſcentis auroræ MARIÆ velut extincta, & reapſe ſublata fuit: *Velut ſiderum igniculos MARIÆ lumen abſcondit*, inquit ille, & ſanctorum maximi coram illa vix quales parvæ ſcintillæ ſunt viſi, immò multò minùs aliquid, quia & ipſi Angeli, qui ſunt quaſi mare ſanctitatis, præſente illâ penè fugiunt oculos, de quo S. Petrus Damianus in ſerm. de Natiuit. Virginis ſic ait: *Ita Angelorum hebetat dignitatem, vt in comparatione Virginis nec poſſint, nec debeant apparere.*

Accedit ad omnia hactenùs dicta, quòd ſi hoc nomen *Aurora* non eſt aliud, quàm *aurea hora*, optimè quadrat & aptiſſimè cadit in virginem in hoc illius natali die nomen iſtud *Aurora*, vt quæ hodie nata ſit hora nobis fortunatiſſima, & optatiſſima, quando occaſione illius ceſſaturum erat bellum, quod inter Deum, & homines ſæculis tam multis durauerat, & pax redijt, quam ſancti illi in limbo Patres tam diu, ardenterque deſiderârunt.

Opportunè hic mihi occurrit memorabilis illa lucta, quâ magni conſilij angelus cum Patriarcha Iacob concertauit, & expreſsè præfiguratus fuit ille Dei cum hominibus, quem dixi, conflictus, vt habet Theodo. q. 28. in Geneſin opinio. Colluctatus fuerat Angelus totâ nocte (hoc nomine dono omne illud tempus, quo mundus ſplendore MARIÆ caruit) & *inualuit* Iacob *ad Angelum*, vt habes Oſeæ 12. Sed quid? Simul ac diluceſcere dies, & prodire aurora cœpit, MARIA, dico, nata fuit, debuit magni conſilij Angelus dicere ad Iacob: *Dimitte me, iam enim aſcendit aurora*, Geneſ. 32. velut alijs verbis dixiſſet: Pone nunc arma, Iacob, non eſt neceſſum ampliùs dimicare, quoniam ego pacem tecum inire volo, non quòd tu viribus maioribus valeas, quàm ego, cùm ſis inualidiſſimus homuncio, & ego Deus, ſed quia MARIAM auroram nouam prodeuntem video, quæ mundo naſcitur, vt ſit mea vera Mater, ad cuius præſentiam oportet me deponere arma iuſtæ indignationis meæ aduersùs peccatores, & cum illis inſtaurare pacem, ideòque *dimitte me, iam enim aſcendit aurora.* Theodoreti commentatio vbi ſuprà in ea Angeli, ſiue Domini verba talis eſt: *Quòd igitur magni conſilij angelus victum ſe aſcendente aurorâ confitetur, nihil eſt aliud, niſi quòd Maria aſpectu Chriſtus infirmum ſe eſſe oſtendat, & peccatori dicat, dimitte me, iam enim aſcendit aurora.* Quo ergo momento producere verticem, & appetere myſtica hæc aurora Maria cœpit, obſeratus fuit infernus, apertum cœlum, catenis conſtrictus ſatanas, ſolutus vinculis homo, deſtructa mors peccati, & vita gratiæ introducta.

Itaque Virgo benedicta, illa ab æterno electa, & deſtinata Mater Dei, tantis aduersùs Deum viribus valuit, tantumque fortitudine ſuâ apud illum effecit, vt iram in clementiam, iuſtitiam in miſericordiam, vindictam in beneficentiam, bellum in pacem, odium in amorem verteret. Hoc eſt, quod S. Ioannes Damaſcenus orat. 2. de dormitione Deiparæ his verbis affirmauit. *Per hanc diuturnum illud bellum, quod nobis cum Creatore erat, ſublatum, & extinctum eſt. Per hanc cum eo reconciliatio ſancita pax, & gratia donata eſt.* Plurimùm ergo huic ſacroſanctæ Dominæ debemus pro auxilijs, & beneficijs ab illa aurora in nos profectis, quæ electa à Deo fuit, vt mundum felici ſuâ natiuitate bonis inæſtimabilibus locupletaret. Qua de re ſic rursùm ait idem Damaſcenus Orat. 3. de Natiuitate Deiparæ: *Huiuſmodi eſt Virginis natiuitas, nempè Dei faderum cum hominibus initorum renouata memoria, totius humani generis viſitatio, in quo nos, qui priùs in tenebris, & mortis vmbra ſedebamus, viſitati & per eum colluſtrati ſumus, inacceſſo videlicet eius lumine perfuſi, qui ex alto nobis ortus eſt, Chriſti Ieſu.* O quàm pulchra Aurora! Tanta eſt illius elegantia, vt non poſſim, quin ad Deum conuerſus cum Propheta dicam: *Tu fabricatus es auroram*, & ſolem, Pſal. 73. inferiorem quippe opificem tam inſignita venuſtas habere non potuit, quàm te ſupremum, & omniſcium Deum.

II. Apparuit quoque Virgo in hoc ſacræ felicis Natiuitatis ſuæ die qualis luna, *pulchra vt Luna*, Cant. 6. Nam vt apud veteres Romanos Luna erat ſignum nobilitatis, & generoſi ſanguinis: Sic diuina hæc puella in ſuo natali die aſſimilata fuit Lunæ, vt per hoc mundo declararetur nobiliſſima, immò regia illius ſtirps, & proſapia. *Regali* enim *ex progenie*, quod Sancta teſtatur Eccleſia, *Maria exorta refulget.*

Niſi velimus dicere, quod hodie ad modum alterius cuiuſdam Lunæ Virgo Sanctiſſima naſcitur, quia ſola illa ex omnibus poſteris Adæ prodit in hanc lucem plena ſupernâ luce gratiæ. Legite Sanctum Ambroſium in ſuis Hexæmeris inuenietiſque, quòd ille poſtquam inquiſiuit quomodo, & cum

quanta

quanta lucis plenitudine in sua creatione primùm visa luna fuerit, respondet deniq́ue creatam fuisse à Deo perfectam & confertam lumine, quantum orbis illius capit, Dei enim perfecta sunt opera omnia, *& vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, vt habet primum caput Genesios. Iam si omnia quæ Deus à principio mundi fecit, fuerunt vmbra illius, quod in lege gratiæ explendum erat, veraciter affirmare cum Ruperto vbi suprà possumus, pulchræ Lunæ figurâ eleganter repræsentatam Virginem, ac propterea quemadmodum Deus visibilem Lunam plenam luce creauit, sic vt illustrissimam, splendidissimamq́ue se exhibuerit, quando primùm prodijt, ita & copiosa gratiæ luce perfudit, & locupletauit viuam multoque præstantiorem Lunam Mariam, quæ illi parens futura erat. *Pulchra vt Luna.*

Est alia causa, cur Virgo cum Luna comparetur. Si oculos attollamus, videbimus quòd Luna, quando plena, omnibus stellis splendore præcellit, & ad solis similitudinem magis accedit, vt proinde stellæ velut captæ amore pulchritudinis eius prodeant, vt officiosæ vrbanitatis cultum, obseruantiamq́; illi exhibeant, & tanquam conspicui cancelli tam venustæ Reginæ sint, non solùm eam comitantur, sed etiam laudes illius festiuiter quodammodo cantant, dum iugi micatu circum illam quasi certatim scintillant. Figat quisq́; similiter mentis obtutus non solùm in omnes homines sanctos, quos stellas scriptura sacra vocat, verùm etiam in sublimiores angelos, & supremos Seraphinos, videbitq́ue, quòd hæc Virgo luce gratiæ, & virtutum, & cœlestium donorum cunctos longè ampliùs superat, quàm stellas luna, quæ tam confertim plena fuit, vt sanctus Bonauentura serm. 3. de B. Virgine dicat: *Domina nostra omnia habuit Dei dona, quæ in sanctis alijs sunt diuisa, vnde dicit, In plenitudine sanctorum detentio mea.* Neque solùm sanctis, & Angelis omnibus antecelluit, sed etiam tantam plenitudinem, & affluentiam omnium donorum Spiritus sancti habuit, vt sola inter omnes creaturas tanquàm altera quædam luna simillima fuerit æterno soli verbi incarnati, & in illa completum illud Isa. 30. *Erit lux lunæ, sicut lux solis.*

Vel dicamus, quòd nomen lunæ conueniat virgini propter beneficia, quæ vnusquilibet ab illa recipit. Nam si luna tanquàm æmula solis suum lumen huic mundo inferiori abundè affundit, quis post Christum dicat sanctam Ecclesiam gratijs, & donis, nisi sacrosancta virgo illius parens? *Totius gratiæ plenitudinem posuit in Maria, vt proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea nouerimus redundare*, inquit mellifluus Bernardus serm. 3. de Virg. natiuit.

Vel denique dicamus, quòd virgini nomen pulchræ lunæ, cuius incitatissimus est cursus, aptè conuenit, eò quòd solicitè, vt sanctus Anselmus lib. de excell. virg. cap. 6. ait, procurat, & confert diuinas gratias. *Pulchra vt luna.*

III. Verùm progrediamur vltrà, & consideremus illam similem serenissimi solis in sua natiuitate. *Electa vt sol.* Et magna est vtriusque affinitas. Nam vt hic sol, quem videmus, transiens cœnum, & sordes terræ, nihil ex eis inquinatur: Ita magna hæc Domina quasi nouus sol, quanquàm nata sit ex Ioachimo, & Anna parentibus, nihilominùs mansit immaculata, & absque næuo noxæ originalis, in quam omnes miserabiliter incurrimus. *Caro virginis*, inquit S. Petrus Damianus in serm. de Assumptione, *ex Adam assumpta maculas Adæ non admisit.*

Aut dicamus, quòd instar splendidissimi solis in suo natali die eluxit virgo, eò quòd velut cùm sol in nostro horizonte apparet, omnes stellæ se abdunt, nec audent oculis se offerre, sic cùm nouellus sol, virgo Dei mater prodijt, omnem lucem, & splendorem virtutis aliorum sanctorum obfuscauit. Hoc idem Cardinalis ibidem talibus verbis expressit. *Sol lucidiùs incandescens ita siderum, & lunæ rapit positionem, vt sint quasi non sint, & videri non possint. Similiter & Virgo veri prauia luminis in illa inaccessibili luce perlucens sic vtrorumq́ue spirituum hebetat dignitatem, vt in comparatione virginis nec debeant, nec possint apparere.*

Nisi mauelis dicere, quòd Maria qualis sol quidam in sua natiuitate fuit, quòd velut sol materiatus, cùm horizontem nostrum ingreditur, totam terram illuminat, sic ex præsentia noui huius solis, benedictæ Virginis, inquam, non modò hæc terra inferior, verùm etiam cœlestis Ierusalem omni ex parte tincta lumine fuit, de quo S. Bernardus ser. 1. de Natiuit. Virg. ita: *Mariæ præsentiâ totus illustratur orbis, adeò vt & ipsa cœlestis patria clariùs rutilet virgineæ lampadis illustrata fulgoribus.*

Solis instar nascitur Virgo, inquit idem Bernardus in illud, *signum magnum, &c.* nam si magnus ille planeta in hemisphærium nostrum aduenit, vt omnes luce suâ communiter, ac prodigè perfundat, iuxtà illud euangelij de illius splendore sic pronuntiantis: *Qui solem suum oriri facit super bonos & malos*, Matth. 5. Magna hæc Domina etiam nascitur, vt lucem diuinæ gratiæ clarissimam, & benefi-

cia cœlestia omnibus impertiat fidelibus, bonis, & improbis. *Maria omnibus sinum misericordiæ aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, angelus lætitiam*, inquit Bernardus.

Ad extremum solis nomen datur Virgini, quia sicut ea est præstantia solis, vt similem inter stellas, & planetas nullum habeat, vel etiam æqualem, sic hæc virgo gratia, donis, dignitate, ita omnibus creaturis excellit, vt nulla venire in comparationem illius queat. Atque vt Rupertus lib 6. in Cant. ait: *Vna est electa, quia nec inter angelos, nec inter homines similem, vel primam habet, nec sequentem est habitura.*

IV. Absoluamus sermonem, Auditores. Nascitur hodie Virgo, vt sit omnibus nobis fidelibus instar optimè ordinati, & ab inuictis militibus copiosè instructi exercitus contra infernalium dæmoniorum insidias. *Terribilis vt castrorum acies ordinata*. Cant. 6.

Tam sanguinolentum, & crudele bellum fuit inter Adamum humanæ generationis parentem, & antiquum serpentem in campo paradisi terrestris, vt fætor corporum occisorum etiamnum sentiatur, duraturusq; sit in tempus mundi extremum. Verùm quàm malè habere pars satanæ incipit, cùm diuinus Mariæ exercitus prodit tam numeroso, & robusto, & bellandi perito milite instructus, vt solo aspectu perterrefaciat, & exanimet, inque fugam conijciat inimicos! *Terribilis vt castrorum acies ordinata*. Itaque tam formidabilis exercitus fuit Maria, vt infernales dæmones eminùs eam videntes, metu correpti fugam arripuerint. *O sanctissima filia in maternis vlnis conspicua rebellibus angelis formidabilis!* exclamat S. Ioannes Damascenus serm. 1. de Nat. Virginis. Et Richardus de S. Victore in c. 6. Cant. ait: *Etiam ipsis principibus tenebrarum terribilis fuit, vt ad eam accedere non præsumpserint.*

Virgo igitur exercitus fuit, in quo tot erant milites, quot illa habuit virtutes heroicas, & excellentes perfectiones. Tot hostes fudit, & confecit, quot peccata subegit. Vicit dæmones, & interemit hæreses. Tot reportauit victorias, quot suo patrocinio saluauit animas. Exercitus fuit, qui sic fregit tartareas inferorum legiones, vt sanctus Damascenus plurimùm admirabundus dicat vbi suprà: *O sanctissima, quæ principatus, & potestates fefellisti, atque ignea maligni tela extinxisti, quæ in Spiritus sancti thalamo versata es, atq; immaculata conseruata in Dei Sponsam!* Meritò ergo sancti Angeli, cùm illam in hoc terræ nostræ humile solum aduenire viderunt, dixerunt: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata*, Cant. 6.

Tunc sanctus Dauid robur suum ostendit, quando 1. Reg. 17. c. solus, & inermis non alio, quàm fundâ, & lapide percussit, strauit, terræque gigantem Philisthæum afflixit. Quoties cogitationi meæ occurrit Anna, quæ fascijs Mariam dominam nostram inuoluat, videre mihi videor in funda mysticum lapidem Mariam, quem primo notet, postea iaciat, & in caput infernalis gigantis impingat, sic vt illam in terram deijciat, iuxtà illud diuini oraculi: *Ipsa conteret caput tuum*; Gen. 3.

Vide hîc, Salomon, mulierem fortem, inquit S. Bernardus homil. 2. super *Missus est*, quam tanto studio perquisiuisti, cùm dicebas: *Mulierem fortem quis inueniet*? Prou. 31. Quæ namq; maior fortitudo, quàm illius, quæ fascijs etiamdum inuoluta perterrefaciebat inferos, vincebatque, & dissipabat, & fugabat omnes tartari copias?

Neque hîc finis victoriarum illius, quià & ipsum Deum inaurato sui amoris spiculo victrix sauciauit, quod ipse fatetur, dicens: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, in vno crine colli tui*; Cant. 4. Ipsa nimirùm à quo inter fascias vixit, Deum amare cœpit, & ardenter, atque efflictim dilexit.

Sed eheu, iste Virginis ergà Deum amor nostræ nos ingratitudinis commonefacit. Cum MARIA ab incunabulis amandi Deum initium fecerit, immò & antè, quando nos illum amare incipiemus? Consenuimus iam, & pedem alterum in tumulo habemus, & nondum illius amandi cogitationem concepimus, qui tamen obligamur illum ex toto corde, & anima tota diligere. Recordabatur Sanctus Augustinus, lib. 1. Confess. c. 9. quàm malè fecisset, quòd Deum non statim à primulis vitæ suæ horis amasset, & seriùs illum nouisse dolebat, dicens: *Serò te amaui, pulchritudo tam antiqua, serò te amaui*. Sed habebat ille qualemcunq; excusationem, eam nempè, quòd Dominum tardiùs nouisse cœpisset. Nos tale nihil obtendere possumus: Nam vt Sanctus Greg. lib. 9. Moral. c. 7. dicit, *penè à matris vtero ad fidem venimus ab ipsis incunabulis, & potum sanctæ prædicationis sumpsimus cum lacte carnis*. Propè simul & balbutire, & Deum nouisse, deque illo loqui cœpimus, neque tamen amauimus. O te beatam Virginem, quæ illum tam tempestiuè & cognouisti, & dilexisti, & corde tuo donasti!

Sed

Sed priùsquam coronidem sermoni huic meo imponam, illud volo cum Sancto Gregorio Nysseno ex orat. eius de Christi Nativ. notetis, quòd postquàm Mater Dei in lucem mundi est edita, impositum illi fuit dulcissimum nomen MARIÆ, quod significat Dominam. Voluit autem Deus sic eam vocari. Et decebat ita fieri. Nam alijs charis seruis suis voluit Dominus imponi nomina, velut Isaaco, qui figura Christi futurus, & Ioanni Baptistæ, qui præcursor illius destinatus erat. Magis ergò ratio postulabat, vt & illi nomen à Deo veniret, quæ ad hoc nata fuit, vt Deum mater pareret. Sic enim habet S. Bernar. epist. 174. *Quod vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certè non est suspicari, tanta Virgini fuisse negatum.*

Deinde imponere nomen rebus solùm ad eum spectat, qui perfectam earum habet cognitionem. Cùm ergò aptum, conueniensque nomen designandum esset Matri, quæ Deiparens futura erat, quis non videt, id ab alio, quàm Deo ipso fieri non debuisse, qui solus nosse poterat magnam perfectionem, & excellentiam, quacum illam creauerat?

Postremò cùm nomen Matris Dei deberet esse potentissimum, sanctissimum, & amabilissimum, quod & Angeli, & homines, & dæmones reuererentur, adorarent, tremerent, congruebat vt aliquid & ex potentia Patris, & ex sapientia Filij, & ex bonitate Spiritus Sancti haberet. Propterea deuotissimus Idiota lib. de contempl. virg. c. 5. aiebat: *Dedit tibi, MARIA, tota Trinitas Nomen, quod post Nomen Filij tui est super omne nomen, in Nomine tuo omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.* O nomen potens, nomen sanctum, nomen amabile!

Quid verò de virtute huius Sanctissimi Nominis dicam? Tres inuenio huius Nominis effectus singulares. Primus est, quòd indignationem Dei mirabiliter placat. Hæc fortè causa est, ob quam Sanctus Petrus Chrysologus serm. 156. vocat Nomen MARIÆ *sacrificium Dei*, quià sacrificia instituta sunt ad conciliandum Deum, & impetrandum gratiam, quamobrem Dauid dicebat: *Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino*; Psal. 4.

S. Anselmus maius aliquid dicit de efficacia Nominis MARIÆ, idque lib. 5. de excellentia Virginis c. 5. his verbis: *Velocior est nonnunquàm salus inuocato Nomine MARIÆ, quàm inuocato Nomine IESV Filij sui*, non quòd Virgo sit maior, vel potentior Filio, sed quià dum oratio proponitur in Nomine Filij, ille tanquàm iudex *discernit merita singulorum*, & nonnunquàm non vult concedere beneficia gratiæ suæ, verùm quando exhibetur in Nomine Virginis, *etsi merita inuocantis non merentur, vt exaudiantur, merita tamen Matris intercedunt, vt exaudiantur.* In Nomine MARIÆ Deus considerat quantum debeat illi, & pro compensatione concedit illi gratias, quas pro suis cultoribus exposcit.

Secundò emollit dura, & obstinata corda peccatorum. Id affirmat sapientissimus Idiota vbi suprà his verbis: *Tanta est virtus tui Sanctissimi Nominis, ô semper benedicta MARIA, quod mirabiliter emollit, & penetrat duritiam cordis humani.* Corda autem sic emollita conuertuntur ad Deum, pœnitentiam agunt de suis peccatis, & impetrant salutem.

Tertiò expellit dæmonia. Hac de re sic ait Sanctus Bernardus citatus à Richardo de S. Laurentio de laudib. Virg. *Non ita metuunt hostes visibiles quamlibet multitudinem castrorum copiosam, sicut aëreæ potestatis MARIÆ vocabulum, patrocinium & exemplum.* Quid ergò non debemus sperare ab auxilio huius Sancti Nominis, si deuotè illud inuocauerimus, maximè in tentationibus? Propterea honoremus illud, & reuereamur vt debemus.

O MARIA Sanctissima! ô diuina puella à paucis horis nata, sed à multis sæculis expectata. Beata illa hora, quæ te vidit nasci, beati oculi, qui fuerunt primi tuæ pulchritudinis spectatores, beatæ aures, quæ primum tuum vagitum audierunt, beatæ manus, quæ te exceperunt, felicissima labia, quæ tibi prima libare oscula meruerunt, beatum os, quod primùm planctum tuum quacunque cantus festiuitate sedare studuit.

Nata fuit, Auditores, magna hæc paradisi regina non in superbo palatio, sed in tenui, humilique domuncula, vt per omnia similis esset filio suo, qui mundum ingredi in paupere tugurio voluit. Inuoluta autem fuit non pretiosis fasciis, sed vilibus pannutiis, quanquam esset imperatrix designata hominum, & Angelorum. Sed ô Pater æterne, cur in tanta paupertate nasci finis filiam tuam? Et tu Fili Patris coæterne, cur permittis vt tam tenuia habeat vitæ primordia, quæ futura est mater tua? O sanctissima domina Anna, ne relinque in terra illam, quæ magis digna est cælo, seda vagitum, & absterge lachrymas illius, quæ est risus paradisi, lucta, lacta eam, quæ lac præbitura est Dei filio, complectere, & stringe, & foue brachiis tuis quæ omnipotentem Deum suis brachiis complectetur, stringet, fouebit.

Benè autem veneris, Regina paradisi, sis benedicta millies, & ampliùs, ô gratiosa puella, quæ tuâ nos inuisere præsentiâ es dignata. Non iam posthac mundus est desertum, sed hortus, non carcer, sed regnum libertatis. Vtinam ô vtinam anima mea sciret quâ tibi re gratificari aut seruire posset. Vtinam intelligeret, quid tibi acceptum. Virgo gratiâ plena salua animam, fac illam tuâ infantiâ humilem, fac tuis lachrymis, vt illa deploret culpas suas. Salua tu illam, quia potes, & vis, & omnibus nobis, quotquot hîc me auscultant, imperti tuam sanctam benedictionem. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.*

De eodem Beatissimæ Virginis Natæ.

Autore Interprete.

Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Isaiæ 11.

AVditores hodie de stirpe Iesse virga Virgo prodiit Regem parituram supremum, quam mense superiore Augusti terra cælo, at die hodierno cælum terræ peperit, vt post hæc suum terræ germinaret saluatorem. Debebat hoc mundus cœlo, vt redderet, quam fœnori cælum modò dederat, hac ingentis spe lucri, vt nobis agnum pareret, sed qui perditas oues in perditissimorum spirituum vacuas cæli sedes hinc subueheret. Quo autem die gloriosissimam Virginem cœlo solem nostrum transcripsit, *supernorum gaudia ciuium copiosis sine dubio cumulauit incrementis. Hæc enim est, cuius salutationis vox & ipsum exultare fecit in gaudio, quem materna adhuc viscera conclusum tenebant, Ioannem. Quod si paruuli nec dum nati anima liquefacta est, vt Maria locuta est, quid putamus quanam illa fuerit cælestium exultatio, cùm & vocem audire, & videre faciem, & beatâ eius frui præsentiâ meruerunt?* quæ ferè totidem verbis ex mellifluo Bernardi ore accepi ser. 1. de Assumptione. At fuerit superorum de Reginæ suæ in cælis ortu quantacunque exultatio, potiores tamen habuit, ac iustiores lætitiæ causas orbis, cùm in terris nata fuit, quæ mater Saluatoris destinata. *Homo cùm in honore esset*, vitamque ex voto & voluptate beatam in paradiso Dei ageret, non intellexit, rapinamque Deitatis meditatus, cùm esse optaret similis altissimo, *comparatus est iumentis insipientibus*, adeò non pro intentato furto solùm, sed & pro ingluuie, violatóque abstinentiæ præcepto, qualis bruta pecus in bestiarum stabulum (ita mundum ex SS. Damasceno, & Thoma nostro noster Vincentius vocat) damnatus, libertatis suæ vindicem quamdiu, tam ægrè expectabat, tam turpi ergastulo inclusus spem aliquando euadendi accepit, quando tunicas pelliceas à benigno Iudice indutus, de lana diuinare cæpit ouiculam parentem agni futuram, qui cùm olim coram tondente se obmutesceret, vellendumq; ac mactandum se præberet, tum simul pro libertatis litro sanguinem offerret.

Hic inter fletum, & risum positus Adam, vtri primas, aut plures indulgeret, dubitabat. Vtcunque tamen illi acerba acciderit domicilii deploranda commutatio, & parùm dignam homine communis cum pecorib. habitatio, permulcebat tamen vehementer animum, atque in risum proritabat, quando in vestis suæ vellere vellus iam Gedeonicū videre sibi videbatur, quod hodie in area mundi primùm est expansum. Abraham exultauit, vt diem hunc videret, vidit, sed tam procul inde tam diu antè, tamq; illud obscurè, quàm pauca agni Dei lineamenta in ariete vepribus impedito arbitrari potuit, & gauisus tamen est de vmbra, qui videndi corporis quanquam spem haberet, tempus tamen nullum sciebat.

Dauidi Nathan semen sempiternum, & posteritatem ex Maria in Christo perennaturam pollicebatur, 2. Reg. 7. tantosque is ex tali promisso animos sumpsit, vt demùm cor inuenisse putaret, quo iam quiduis aliud à Domino non expectare modò, sed & petere auderet. Posteriorum sæculorum homines, cùm sæpè modicum expectare, & messiæ sospitatoris propinquantem aduentum tantisper præstolari hortatu Prophetarum monerentur, vel tantæ moræ impatientiâ, vel ærumnarum magnitudine, vel diuturnæ, atque indignæ captiuitatis tædio victi, ac fracti, demùm vates suos, vt vult D. Hieronymus, talibus verbis subsannabant: *Expecta, reexpecta, expecta, reexpecta, modicum ibi, modicum ibi*, tanquam illos verbis suis luderent, quibus velut per iocum illi vates etiam spem vanam messiæ, ac Virginis matris eius fecisset. Hodiernum diem vixissent tum illi, tum Adam, Abraham, Dauid, & quotquot natalem Virginis Deiparæ præcesserunt, noua lux illis oriri visa esset, multò sanè magis, quàm Iudæis, quando Hesteris & Mardochæi beneficio Assuerum & sibi demeruerunt, & in hostes efferârunt, vt quo Iudæos perdere, & perimere destinârant, eodem illi perirent supplicio, & ferrent, quàm inferre cogitârant

rant necem, quemque aliis dixerant, haberent ipsi fatalem diem, verè lux noua iis oriri visa esset, si visa oriri Maria, quæ vbi primùm appetiit, maiora extemplò beneficia mundo contulit, quàm lux illa vetus, ac prima antehac vel vidit, nisi fortè digniùs aliquid summi Dei Matre sol ille ante hunc diem aliquando est arbitratus.

Expleuerit, illustrârit, adornârit radiorum suorum splendore inanem, obscuram, inuestem terram lux vetus, ac prima: Hæc lux noua nubem excitauit, quæ inaccessibilem solem iustitiæ carnis suæ velo obtexit, itaque humanis temperauit obtutibus, vt deinceps nobis conspicuus esset, quem ante hæc nemo vnquam viderat, nec videre quisquam saluâ visâ poterat, *non enim videbit me homo & viuet*, aiebat iam olim familiari suo Moysi.

Noua, quin nouissima lux oriri visa fuisset Isaiæ, si virgam de radice Iesse progressam, si florem ascendisse coràm videre datum esset, qui cœlos dirumpi optabat, & cum suis luminibus extingui, nihil illorum vel orbium, vel siderum interitum arbitratus, dum videre modò hac luce virgam, & florem, quos dixi potuisset.

In his Isaiæ verbis duo mihi nonnemo obscurè subindicauit, magnam gratiam initurus, si luculentè exposuisset. Primum illud est, cur flos ascendisse, idque de radice magis, quàm de ramo, feratur. Alterum cur virga egressa dicatur. Hæc ego hodie indagando persequar, quæ tametsi difficilè assequar, beneuolentia tamen vestra, & audiendi auiditas faciet, vt maiora viribus & tentare ausim, & efficere possim, si etiam tua, ô magna Dei parens pietas, quam suspiro, piis conatibus aspiret.

Egredietur virga, &c.

V*Irgo Dei genitrix virga est, flos filius eius.* Decantauerit, & persuaserit hoc nobis ita Ecclesia, & illud statim inquiramus, cur flos ascendisse, idque ab ipsa radice, ac de radice Iesse, magis, quàm Dauidis ascendisse feratur. Mirum enim videtur, quòd de radice dicitur flos ascendere cùm potiùs è ramo, aut virga protuberet, inquit ferè noster Hugo, in cap. 11. Isaiæ, qui me singulari beneficio ornasset, si duab. rationibus, quas huc adfert, tertiam aliquã instituto meo commodam adiunxisset. Modernus quidam scripturæ non vulgariter peritus Cornelius à lapide existimat, quòd ob id flos Christus de radice Iesse oriundus dicitur, quia sicut Regnum Dauidis ex humili Iessæa stirpe est natum, sic etiam fuerit ex humili Christi prosapia restitutum, Dei enim est ista potentia, de minimis facere magna. Omninò *excelsus Dominus humilia* semper beneuolus *respexit, suscitatq; de puluere egenum, & eleuat de stercore pauperem, vt sedeat cùm principibus* orbis terrarum, *& solium gloriæ teneat.*

Postquàm semel mundum è nihilo, è limo terræ hominem condidit Deus, amat deinceps vel è nihilo, vel ex abiecto puluere omnia creare, hoc est, homines, qui suâ existimatione vel nihil sunt, vel terræ puluere nihilo meliores facere maximos. Primus credentium Pater primùm, *Abram*, hoc est *Pater excelsus*, dein *Abraham*, siue *Pater multitudinis est dictus.* Genes. 18. Puluis suâ opinione ille erat, quia *loquar ad Dominum*, aiebat, *cùm sim puluis, & cinis.* Ex hoc puluere in tantam sublimitatem illum Deus fastigiauit, vt Pater excelsus, & multitudinis caput, & omnium credentium vertex fieret. *Quomodo miseretur Pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se,* inquiebat Dauid Psal. 102. 14. tanquam dixisset: Velut Pater omnes conatus suos huc conuertit, vt liberi illius quàm optimi euadant, & emergant, ita Dei misericordis studia huc respiciunt, vt homines miseros erigat, ac sublimes educat. Vnde verò ille huc tam propensus? Quia *cognouit figmentum nostrum, & recordatus est quoniam puluis sumus,* & quos semel è puluere finxit, eosdem è puluere amat deinceps semper erigere.

Educere verò è puluere suo humilia tam vehementer amat, vt nonnunquam in cineres redire aliqua sinat, vt inde ea rursum excitet. Sic nimirùm ait de illo iterùm Dauid: *Auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur,* verùm non relinquentur in puluere suo sempiternùm conquiescere, aut etiam computrescere, sed *emittes spiritum tuum, & creabuntur* (de puluere velut de nihilo rursum formabuntur) sed iam augustiora, & præstantiora, quia *renouabis faciem terræ,* decentiùsque ornabis refecta, quàm facta.

Discamus hinc initio statim humiliare in puluere animas nostras, vt sæpè originis nostræ luteæ memores descendamus in infernum, hoc est, sepulchrum nostrum viuentes, & hoc nos esse iam cogitemus, quòd certò futuri sumus, itaque ex hac pulueris nostri humilitate, ex hac putredinis nostræ vilitate à Domino in sublimem gratiæ dignitatem excitati, demum hinc in ipsam gloriæ maiestatem assurgamus.

Videtur mihi ea etiam de causa in Iesse ignobilem magis, quàm in Dauidem Regem primordia sua reuocasse per os Isaiæ Dominus, vt doceret nos

humilia consectari, quos cupidè sublimes facit, neque ex Parentibus quærere gloriam alienam, sed magis gloriosè factis conflare propriam.

Duplex erat Christo generatio, vnà ex matre homine, altera ex Patre Deo, sed filium hominis à cognatione inferiore, sed per omne passim Euangelium Christus nominat, qui venerat vt filius Dei crederetur, & id credentes faceret saluos. Et quamuis filium Dei se factis ostenderit, adeò credi & merito suo, & commodo nostro voluerit, hominis tamen filium passim seipsum dixit, idque hoc documento, vt qui etiam præclaris facinoribus splendorem sibi nominis magnum excitauit, non proinde generis sui nobilitatem vanus ostentator facilè iactet, ne hoc illi accidat, quod cuidam Episcopo, de quo Hugo noster in cap. 9. Lucæ memorat, cùm ambitiosiùs gloriaretur, decem è stirpe sua prodiisse Reges, & post septem non inueniret alios, tum quendam commodè subiunxisse: *Ego verò noui tres alios Coloniæ.* Nec modò nullam ex Parentibus suis laudem Christus captauit, sed neque probra eorum sibi probro duxit ipse probus.

Quid enim necessum fuit dicere: *Dauid genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ,* hoc est, adultera? Poterat Bersabeam Salomonis matrem prorsum tacere, vt aliorum Christi Proauorum tam multorum matres tacentur, voluit tamen eam diuinus spiritus à viro, cuius thorum violârat cognominare, atque ita turpis adulterii memoriam refricare, *vt doceret, quòd nemo debeat erubescere propter Progenitores, sed dare magis operam virtute suâ illos clariores efficere, & quòd omnes accepti sint Deo, etiamsi è scorto nati, modò virtute sint præditi.*

Ita pulchrè Theophylactus. Secus hac ætate à plerisque agitur, adolescentibus maximè quos Parentum, affinium, cognatorum pudet, si tenuiter vestiant, ac viuant, quorum inter magnas diuitias maiora vitia nequaquam erubescerent. Sic & alii vt alios contemptui habent, & viles quos vilibus natalibus oriundos norunt, ita ab solis se maioribus illustres æstimant, tanquam Parentes sint etiam animarum Autores, omnemque suam seu bonam, seu malam indolem in liberos transfundant, & habeant virtutes, à quibus vitam. Discant à Christo quotquot tales vt ne pudenda quidam suorum flagitia sibi pudori ducant, paupertatem verò minimè erubescant, dum non pudenda, non erubescenda ipsi quoque agant, sed tunc se verè nobiles existiment, tametsi obscurissimis Parentibus natos, si Diuinæ imaginis apud se integritatem seruent tum diuites, quamuis mendicabulis oriundos, cùm meritorum ingentes cumulos animo repositos habent. Vide PPP. 241. o. & calcem illius c. Item Tom. 2, 186. o. & calcem illius Perichæ.

Christum adeò non dispuduit suorum siue tenuium, & pauperum, siue incestorum, & adulterorum, & idololatrarum maiorum, vt per hos non modò ortus sui lineam duxerit, sed ascendere sibi etiam visus fuerit. Hoc mysterium admirabatur noster Hugo, quòd Christus flôs de Iessæa tam humili radice ascendisse dicatur, quasi hinc gloriæ incrementum fecerit, quòd à tam ingloriis maioribus ortus fuit. D. Bernardo hoc tam nihil mirum est visum, vt putârit aliter ascendere non potuisse, nisi ita primùm descenderet. Sic enim habet serm. 2. de Ascen. *Christus cùm per naturam Diuinitatis non haberet, quo cresceret, vel ascenderet, quia vltrà Deum nihil est, per descensum, quomodo cresceret, inuenit:* Nam cùm in forma Dei esset æqualis Deo, nec assurgere supra illum posset, exinaniuit semetipsum, formamque serui induit, sub qua dum altissimam suam Diuinitatem vsque ad infima mediastinorum ministeria demisit, viam inuenit, quâ ascenderet, & obtineret nomen, quod est super omne nomen. Hominis infimi hanc illi gloriæ occasionem ministrârunt, dum sibi ab illo ministrari sunt passi.

Sit hoc mirum, at non certè nouum, iam olim enim propè ad æmulationem, vt sic loquar, ex hominibus extremis, & peccatoribus ascendere, & fieri magnus tam magnoperè cupiit, vt nec Dauidem, hominem secundùm cor suum, priorem se, & antiquiorem hac in re esse voluerit. Animos huc aduertite, quosquos rei alicuius bonæ, & selectæ auiditas tenet.

Reputabat Propheta pœnitens aliquando secum, quàm indignè fieret, quòd ipse quidem domum cedrinam habitaret, arca verò in medio pellium, loco humili, & obscuro posita esset, ductusque religione neglectæ obseruantiæ Dei, & curæ rerum suarum quantum nimiæ, de consilio, & consensu Nathan Prophetæ regiam Domino si non illius maiestate dignam, at suis viribus, & sumptibus parem excitare constituit. Non displicuit Domino religiosi animi votum, ac propositum, factum tamen adeò non probauit, vt diceret: *Nunquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum?* Premite illud, *tu,* in quo tota conceptus energia est posita. *Nunquid tu mihi ædificabis?* Et quid est, quod ais, Domine, *nunquid tu mihi ædificabis?* Fortean is est Dauid, vt

vnus ille talem mereatur repulsam, cùm talem meditatur operam, & sint eius vltronea tam vilia officia? Et quo hoc loco reponam, quòd vt pronam eius voluntatem extemplò remunereris, promittis velle ex illius posteris Diuinitati tuæ humanitatis excitare domicilium, & homo ex illius prosapiæ hominibus fieri, nec permittis vt voluntatem in opus explicans, domo domum vtcunque mereatur? Zelus quidam est, Auditores, quod cum Dauide hic agit Deus. *Conuenerunt ad Dauidem*, vt habet sacer Historicus 1. Reg. 22. 2. *omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo, factusq; princeps* hominum talium pauperum, afflictorum, obæratorum, illorum ope copiam opum, quibus suscitare Domino domum; ac sibi gloriæ hoc monumentum volebat, contraxerat. Et Dominus: *Nunquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum?* Tu, qui ab afflictis tenuibus, ærumnosis, miseris vis gradum facere, atque eò assurgere, vt cum basilica mea nominis tibi celebritatem immortalem extruas? Hanc ego mihi seruo prærogatiuam, vt à talibus ascendam, neque tibi paris gloriæ communionem permitto.

Atque illa rudibus istis antiquæ, & antiquandæ legis sæculis. Tempore verò legis gratiæ tam altùm ascendere sibi visus est, quoties ad extremorum hominum, hoc est, publicanorum, taliumque consuetudinem se demisit, vt hos velut ad pompam, & veræ choragium gloriæ per mundum circumduceret: Nam cùm varios variis malis leuârit, familiariùs cum nemine, quàm cum publicanis, & peccatoribus (hoc est, miserorum miserrimis) egit. Apud Zachæum putauit oportere manere, apud Matth. pransit, Magdalenam ad dissuauiandos, irrorandos, tergendosque pedes admisit, esto primores plebis cum omni passim vulgo immurmurarent. Tam seriò autem, & ambitiosè talium hominum captauit consuetudinem, vt eò magis ascenderet, quò humiliores & abiectiores erant, ad quos maiestatem suam inclinabat.

Quorsum hæc dicta putatis, Auditores? Eò hæc attuli, vt veræ gloriæ vobis iter aperirem, ostenderemque tunc quemque sublimissimum esse, quando ad extrema Dei officia sese demittit. *Elegi abiectus esse*, velut est in Hebræo, *ad limina sedere in domo Dei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum*, aiebat magnus ex tanta humilitate Dauid, tanquam ex Theodoreti commentario apertiùs dixisset: *Ita mihi domus Dei optabilis est, vt malim in ea vel humi abiectus iacere, & ante ianuas illius volutari, quàm in magnis, & præclaris peccatorum ædibus degere.*

Nam minimis, & contemptibilibus pro Deo perfungi, gradus est ad maximam gloriam, teste vel ipso, quem dixi, Dauide. Saltabat is quondam totis viribus ante Dominum, tantumque non omninò nudus, ipse sibi choraules, ipse choragus cui vxor eius Michol tale probrum his tam amaris verbis dicebat: *Quàm gloriosus fuit hodie Rex Israël, discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est quasi si nudetur vnus de scurris.* Ille verò, cùm sciret quibus gradibus ad veram gloriam itur, hæc generoso pectore suo dignissima reposuit: *Et ludam, & vilior fiam plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo.* Hîc hîc producere scænam, & exagitare superbiam & arrogantiam nostram poteram, quæ tanta est, vt iam non modò nihil gloriæ inesse arbitremur officiis Dei humilioribus, sed & verè gloriosa eius obsequia. Tanquam parùm honorifica defugiamus. Officiorum, quæ Deo pendimus, præstantissimum facilè, diuinissimumque est vnum missæ sacrificium. Vbi verò mihi apud nostrates inuenias non dico militaris, vel Patritii, vel inferioris ordinis virum, sed vel adolescentem, cui modò primat ingere mentum lanugo cæpit, qui Sacerdoti augustissimum hoc munus peracturo præferre librum, & quæ huc præterea spectant, ministrare velit? Dicite posthæc Hispanos superbos, apud quos vt quisque est nobilissimus, ita humillimè discogitur gladio, sacrificuloque non solùm librum, & ampullas ad aram præfert, sed etiam cereos accendit, & per omnia promptissimè obseruit, denique etiam inclinato ad obseruantiam capite, ac poplite inter terrarum submisso reuerentissimè manus exosculatur, precatusque benedictionem, nec antè abit. Vt ne dicam, quàm crebri Xenodochia adeant, egenisque ægris cibos suis manibus ministrent, quorum cùm nos passim negligentes simus, tam verè inglorii sumus, quàm sæpè falso illis superbia crimen affingimus.

Sed me nata hodie cælorum Princeps ad se vocat, iubetque vt cur illam virgam egressam de radice. Iessæa Isaias dixerit, paucis aperiam, tum Concionem dimittam. Obsequar seruus, Domina, sine tamen vt laudis tuæ quantulumcunque illud adiungam.

Vti radix omnis in terra, & ex terra viuit, ita Iesse, & quotquot illius veteris Legis Professores in terrenorum amore toti erant, connubiis, proli, ouibus,

uibus, opibus, & copiis toto ore, & animo inhiabant, & quorum filii ſicut nouellæ plantationes, quorum filiæ compoſitæ, circumornatæ vt ſimilitudo templi feſto die, quorum promptuaria plena eructantia ex hoc in illud, quorum oues fœtoſæ, & boues craſſæ, hos beatos & habebant, & dicebant.

Ab his egreſſa eſt noſtra Princeps infans, quæ ſuã Virginitatem Deo, quàm primùm per vſum rationis potuit, concepto voto nuncupauit, & pauperé vitam vixit, etiam cum Deo filio ditata Mater, niſi fortè auaritiæ tribuis, quòd par turturum pro filio obtulit (quod pauperes ſolebant) quæ totos pro illo mundi theſauros dependiſſet, ſi æquè ac turtures habuiſſet. Egreſſa eſt Maria de radice terrena, quæ rerum terrenarum copiis, ac deſideriis renunciauit priùs quàm videre terram cæpit, vt humum, & quæcunque ex ea fiunt, priùs animo calcâſit, quàm veſtigio. Verè virga egreſſa, *virga gracilis propter rerum, & ſpiritus paupertatem, ſublimis per contemplationem, recta per charitatem, leuis per peccati immunitatem, flexilis per compaſsionem, tecta per ſolitudinis amorem, canes, id eſt, dæmones arcens per orationem*, inquit noſter deuotus, & Doctus Hugo, ampliſſimam mihi ſyluam aperiens, vnde laudũ beatæ Virginis materiam accipere queam, quantam huc adferre nequeo. *Virga gracilis fuit*, inquit, *propter rerum, & ſpiritus paupertatem, ſublimis per iugem contemplationem.* Immò ipſa illam gracilitas, hoc eſt, rerum, & ſpiritus inopia, ſublimiſſimam fecit.

Viſum fuit Ioanni aliquando ſignum magnum in cælo, mulier, quæ lunam calcabat, ſolem veſtiebat, & capite coronam ſtellarum duodecim præferebat. Quid ſibi voluit ſignum? Magno hoc ſigno indicatum fuit, inquit rurſum Hugo noſter (ne parũ ſit quod ei debeamus) mulierem, quæcunque Lunam, hoc eſt, terrena omnia (quorum luna typus eſt) calcat, ſeu contemnit, dignam eſſe, quæ in cœlo ſublimis habitet, ſolemque induta, etiam ſtelleo diademate coronetur. Ergò virga noſtra humili radice hodiè egreſſa etiam hinc faſtigiatiſſima fuit, quòd gracilis, quòd tenui ſemper cenſu contenta, fabro lignario, homini etiam tenui nupta, tenuem ſemper fortunam non ſolùm tolerauit, ſed & amauit, tunc ſe omnibus ſuperiorem arbitrata, cùm in altiſſimæ, vt Apoſtolus vocat, paupertatis apicem euaſit. Aut ſi in gracili, ac tenui virga eius paupertas ſpiritus, quæ eſt humilitas, adumbrata fuit, hæc illam ſuprà quàm paupertas rerum extulit.

Humilitas Virginis vix conſentit vt poſsit computari, inter homines. Iam olim hoc apud Rupertum Commentariorum in Cant. lib. 3. legi, quod ita dictum accipio, quaſi Maria tam ſibi viluerit, vt infrà homines extremos, ac propè extrà humanæ dignitatis terminos omnes ſeſe abiecerit, ex qua tantâ demiſſione in tantam altitudinem à Deo euecta fuerit, vt vix inter homines cenſeri poſſit, quæ Mater Dei effecta etiam Angelorum Hierarchicos ordines tam procul tranſcendit, quàm propinqua Deo facta eſt, quæ illius digniſſima Parens. Potuit in eam ſublimitatem ſeſe erigere, quæ tam altas radices egerat virga gracilis, virga leuis, enodis, glabra, quàm nulla peccati labes fœdauit, aut deformauit, à quo illam nobis Anna Mater fœlici partu affudit, de qua ſcilicet dictum fuerat Pſalm. 45. *Adiuuabit eã Deus mane diluculò*, pro quo alii verterunt, *in ipſo ortu matutino*, vt ſancta eſſet, & immaculata vixdum concepta, ac tantùm non ſimul nata, & ex Spiritu ſancto renata, & quod ibidem ſubditur: *Deus in medio eius non commouebitur*, ſcilicet tam procul abfuit, ab omni peccato mortali, quo illum à ſe moueret, aut repelleret, vt ne minimo quidem, ac leuiſſimo veniali vel tantillùm aliquando commouerit, aut concitârit. Neque tantùm leuis, & enodis fuit, hoc eſt, peccati expers, quod in hac ægritudine naturæ imitari ægrè, ac ne ægrè quidem poſſumus, ſed etiam flexilis, de quo nobis plurimùm gratulari debemus, certi de facilitate Dominæ noſtræ, quâ ſe ad omnes neceſſitates noſtras miſericordiæ Mater inflectit, vt & iuſtis perſeuerandi gratiã impetret, & in extremo agone poſitos auxiliaribus copiis aduersùs hoſtes confirmet, & defunctorum animas è piacularibus flammis eximat, & tricerberum ſtygium procul à nobis arceat, & peccatores ad vitam meliorem, ac beatam adducat. Dixi. Amen, Amén.

De Annuntiatione Beatæ Mariæ Virginis.



Cùm audiſſet ſalutationẽ Angéli Maria, *turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio*; Luc. 1. Tametſi plurimam, eamq; amabilem lucẽ, vt videtur, per oculos, perq; faciem, & corpus totum funderet, *turbata* tamen *eſt non in vultu eius, ſed in ſermone*, inquit Emiſſenus. Nihil turbationis maieſtas angelici vultus animo puriſſimæ Virginis attulit. Quid ita? *Non enim Angelum, ſed verbum Angeli attendit*, inquit ille rursùm. Non

quali-

qualitatem Legati, ſed mandatorum, quæ perferebat, momenta attentiſſimis cogitationibus ſapientiſſima Domicella penſiculabat. PPP. 223. c. 2. & 224. c. 1.

Ita non quis dicat, ſed quid dicat, attendendum, auditorum enim ſalus non in eo, qui loquitur, ſed in eo, quod docetur, poſita eſt. Ibid. 223. o. Non hoc maximè attendendum, vtrùm Angelus ſit, qui docet, verùm an doctrina, quam tradit, angelica.

Elias ex corui roſtro, vel vnguibus carnem, & panem accepit, nec curauit ab impura volucri nutriri, cùm alimonia eſſet bona.

Verbum Dei eſt cibus animæ (Gregorius) hunc prædicatores tanquàm miniſtri Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum eius, vt Paulus vocat, exhibent. Tu cibum, qui offertur, penſa, non offerentem, qui tametſi improbus ſit, nihil id alimoniæ officit.

Minerua naues reperiſſe fertur, vt ait Tertullianus, & texendarum veſtium artem, & Chriſtus nihilominùs naui, ac veſtitu vſus fuit.

Quanta inuenerunt brutæ pecudes, quibus nos homines ad ſoſpitandam vitam vtimur? *Venatio bona erat, etſi non bonus venator* Eſau, adeòque illum diligebat Iſaac, *eò quòd de venationibus illius veſceretur*, Gen. 25.

Raphaëlem, qui ſe viæ ducem offerebat, rogabat Tobias ſenior, vt indicaret, *de qua domo, aut de qua tribu* eſſet, quem ille hoc reſponſo coarguit: *Genus quæris mercenarij, an mercenarium ipſum, qui cum filio tuo eat?* Tob. 5. Dignum cœlorum palatino reſponſum. Quid enim domus, tribus, genus faciunt ad officium, ad quod Raphaël expetebatur? Ita quoties audimus ſermonem pium, non monitorem, vitam, moreſque illius, ſed ſolam exhortationem attendamus.

Iethro homo ethnicus erat, & nihilominùs Moyſes *fecit omnia, quæ ille ſuggeſſerat*, Exodi 18. audijt vocem eius, & fecit omnia, quæ dixit, & non quis diceret, ſed quid diceret, auſcultauit, inquit Origenes.

Agar vilis, & gentilis ancilla nomen *videntis*, & *viuentis* cuidam puteo dedit, quòd Iſaac reliquit, quando iuxtà illum habitauit. Ibid. 224. 225. 226.

Ecce ancilla Domini, aiebat mater Dei ſummi tunc, cùm maternitatis infinita, & immenſa dignitas illi à Deo ipſo per Archangelum deferebatur. Euſebius Emiſſenus apud S. Thomam in cat. aur. in ea verba ſic ait: *Alius aliud quiddam in præſenti ſermone Virginis extollet, hic quidem conſtantiam, hic obedientiæ promptitudinem, alius quòd non allecta eſt tam ſplendidis, & arduis per magnum Archangelum promiſſis pollicitis, alius quòd non exceſſit modum in dando inſtantias, ſed æqualiter cauit & Euæ leuitatem, & Zachariæ inobedientiam; mihi autem humilitatis profunditas non minùs conſpicitur admiranda.* Omninò admiranda eſt humilitas, quæ cùm Deo tam coniuncta fore diceretur, quàm eſt filio mater, in extremum ancillarum ordinem ſe deijcit.

Acutè dictum à Nouarino in ſuperiora Virginis verba, laudem iuſtis graue pondus eſſe, quo preſſi magis inclinentur: Nam quò magis honorantur, & efferuntur, eò magis ſe contrahunt, ac demittunt; contrà ac mali, & parùm modeſti, qui laudibus intumeſcunt. Abrah. 100. o.

Vna domus Abrahæ debit rei vtriuſq; exemplum. Poſtquàm ille varijs à Deo gratijs, ac promiſſis ornatus, collocupletatuſque fuiſſet, *cecidit pronus in faciem*, Geneſ. 17. tanquàm indignus eſſet, quem Deus tam inſignitis donis ſuprà alios extuliſſet. Verùm Agar ancilla eius *videns ſe concepiſſe*, plùs animo, quàm vtero intumeſcens *deſpexit Dominam ſuã*, Geneſ. 16.

Laudârat Chriſtus quendam legiſperitum à ſapiente reſponſo duobus, neque ampliùs verbis dicens: *Rectè reſpondiſti*; Lucæ 10. Et quid ille? *Laudatus legiſperitus à Saluatore, quòd rectè reſpondit, in ſuperbiam prorupit, nullum ſibi proximum putans eſſe, quaſi nullus eſſet ei in iuſtitiâ comparandus.* Ita Theophylactus, & Cyrillus apud S. Thomam.

Vultis nôſſe, quàm ſancta mulier fuerit Sara? Inde id æſtimate, quòd eam in os laudare his verbis Abraham auſus fuit: *Noui, quòd pulchra ſis mulier?* Gen. 12. Indené verò illius arbitrabor ſanctitatem? Inde omninò, inquit Chryſoſtomus, dicens: *Conſidera quantùm confidebat moribus mulieris.* Quantùm? *Non timuit, ne fortè laudibus remiſſior fieret*, neque timuit, ne ex commendatione pulchritudinis corporalis fœdari animo inciperet.

Rogabat Moyſes quendam Hobab cognatum ſuum, vt comes itineris, & ductor viæ eſſet, cuius peritus erat. Et ille: *Non vadam tecum, ſed reuertar in terram meam, in qua natus ſum*; Num. 10. Pulchra eſt Oleaſtri in hæc obſeruatio dicentis: *Commune eſt vilibus, & infimus perſonis tantò magis tibi opem negare, quantò te magis viderint eorum auxilio indigere, atque inde plùs efferri, vnde ampliùs ſe demittere deberent.*

Defecerant quidam à Chriſto Diſcipuli, quando ille ad reliquos ait: *Nonnè ego vos duodecim elegi, &*

Vnus ex vobis diabolus est; Ioan. 6. Quare non magis laudauit hos duodecim; quòd non cum alijs ab illo desciuissent? Vel nonnullam laudem commeruisse videtur eorum perseuerantia.

Cur ergo eam prætermisit? Respondet Theophylactus: *Si laudauisset, fortè humani aliquid passi fuissent, factiq; arrogantiores existimassent, se illi gratificari propter comitationem.* Vide ergo quantùm fuerit in Sara muliere, quod non vereri potuit Abraham, ne ex commendatione suæ venustatis superbiret, cùm Christus timere Apostolis suis potuerit, ne ex dilaudatione suæ constantiæ fierent arrogantes. Ibid. 100. & 101.

De eadem Annuntiatione Beatæ Mariæ Virginis SERMO.

Autore ALEXANDRO CALAMATO *Messanensi Clerico Italo.*

Interprete F. Ioanne Freylinck Ordinis Prædicatorum.

Ecce ancilla Domini fiat mihi secundùm verbum tuum. Lucæ 1.



CElebratur hoc sacro die mysterium omnium, quotquot vnquam sancta celebrauit Ecclesia, gloriosissimum, sublimissimum, profundissimum. Fit solennis memoria diu expectatæ, vehementerque expetitæ pacis, quæ hodie semel inter hominem perduellem, & pientissimum Deum coaluit, composito scilicet vetere bello, quod plurimis sæculis inter illos versatum fuit. Celebratur iucunda recordatio mundi suâ primùm infelicitate euersi, & perditi, posthæc verò erecti, & restaurati. Commonentur filij Adæ, quòd non ampliùs audientur illa pœnalia suspiria, & ardentia desideria veterum Patrum, inter quæ dum promissum cruciabiliter, præstolarentur Messiam, miserabiliter succlamabant: *Vtinam disrumperes cælos, & descenderes*, Isa. 64. *Exurge, quare obdormis, Domine? Exurge, & ne repellas in finem*; Psal. 43. Ille verò nunc magis cantus personat, *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, Ioan. 1. Atque vt verbo dicam, verbi æterni incarnati, & Annuntiationis MARIÆ gloriosus anniuersarius celebratur. O quàm felix tempus! Quàm fortunatus dies! Tempus reuerà plenissimum gaudio, & lætitiâ. Dies dierum aliorum omnium fortunatissimus. Tempus, quod inuidiam mouere cuicunque alteri tempori possit. Dies, qui solus inter omnes alios dies palmam gloriosè reportat, & laudem.

Simul enim ac hodiernus dies illuxit, principium factum est nostræ salutis, & destructa mors, & restituta vita, & occlusus infernus, & reseratum cœlum, & catenis constrictus Satanas, & libertate donatus homo. Et omnia hæc tam læta noua per Gabrielem ardentem Seraphin magnæ Dei matri hodie dulcissimis illis verbis annuntiata fuerunt: *Ecce concipies, & paries Filium*, Lucæ 1. Quod tale fuit, quale si dixisset: Aduenit iam, ô Virgo inter omnes mulieres benedicta, fortunata illa hora, quæ ab annis æternis fuit destinata, vt intrà purissima viscera tua compleatur ineffabile mysterium incarnationis verbi, tuque efficiaris illius vera, & digna mater.

Hæc Auditores, est hodiernæ solennitatis summa, in cuius commendationem cum beneuolentis Dei auxiliari gratia ostendam, inter omnia illius opera, quæ extrà se operata est summa illa, & sacrosancta Trinitas, profundissimam, & admirabilissimam esse Incarnationem Verbi. In illa quippè, vt docet Angelicus Doctor 3. p. q. 22. art. 3. tanquàm in clarissimo speculo plùs quàm in alio quocunq; opere diuina elucent attributa. Videbimus itaque in quantam hodie celsitudinem euectus sit homo per assumptam à Verbo humanitatem. Attendite, ego dicendi exordium facio.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.

PEraltum, & nimis sublime semper arbitrati sunt sancti Patres, & Doctores Ecclesiæ hoc opus incarnationis Verbi, & annuntiationis MARIÆ. Hinc est, quod Paulus Apostolus incarnationem hanc verbi vocat *mysterium, quod absconditum fuit à sæculis, & generationibus*, Coloss. 1. Et sanctus Cyrillus Alexandrinus ait, fuisse *Sacratissimum ænigma*, & B. Petrus Damianus Serm. de Annunt. *nouum omnium nouorum*, iuxtà illud Ierem. 3. *Nouum fecit Dominus super terram, fæmina circundabit virum.* Et subscribit Mellifluus Bernardus serm. 2. de Aduentu, dicens esse abyssum imperscrutabilem, & profundissimum puteum, ex quo nullam haurire guttam

guttam

guttam humanâ intelligentia possit: *Abyssus impenetrabilis est*, inquit, *& puteus altus, & in quo hauriam, non est mihi.*

Hinc est, quod Propheta Dauid (cui Deus nostræ sanctæ fidei reconditissima mysteria manifestauit) cùm de hoc Dominicæ Incarnationis sacramento in lege vetere agere vellet, in hæc verba prorupit Psal. 118. *Defecit in salutare tuum anima mea*, siue vt alij legunt: *Defecit vsq; ad deliquium.*

Et in lege Euangelica Ioannes Baptista, qui fuit sanctus, priusquàm natus, se quoque ineptum fatetur dissoluendo modo duarum naturarum, diuinæ, & humanæ in vna hyposthasi subsistentium, adumbrato in corrigia calceamenti, de qua ille dicebat: *Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est, cuius ego non sum dignus, vt soluam corrigiam calceamenti eius*; Ioan. 1. In quæ S. Gregorius homil. 7. in Euang. ista: *Corrigia calceamenti est ligatura mysterij Incarnationis, calceata enim venit ad nos diuinitas. Ioannes soluere corrigiam calceamenti non valet, quia Incarnationis mysterium nec ipse inuestigare sufficit, qui hoc prophetiæ spiritu agnouit.*

Profundissimum itaque, Auditores, est hoc mysterium Incarnationis Verbi, & Annuntiationis MARIÆ, ad quod nunquàm humanus, ac ne Angelicus quidem intellectus penetrare potuit. Et cùm sit tale, idcircò si quis ex me quæreret, quod Angelum Virgo interrogauit, *quomodo fiet*, aut iam factum est *istud*? quomodo ista Dei & Hominis sacrosancta coniunctio accidit? quomodo persona, quæ ab æterno ex Patre absque matre nata, in terris ex Matre sine patre renata fuit? quomodo simplex quædam, & pura domicella facta est vera mater, & Virgo tamen illibata, & intacta remansit: Quomodo Deus immortalis, æternus, immensus, infinitus, impassibilis factus est Homo passioni subiectus, mortalis, temporalis, mensurabilis, & intrà vnius corpusculi angustias arctatus? Si quis cum S. Bernardo serm. de Annuntiatione sciscitaretur: *Quomodo summus omnium factus est imus omnium?*

Possem difficillimæ huic quæstioni occurrere cum S. Augustino epist. 2. ad Volus. ac dicere: *Ne quæras modum, & ordinem naturalem, quando suprà naturam sunt, quæ fiunt.* Vbi & illa subijcit: *Fateamur ergò Deum aliquid posse, quod nos fateri necesse est inuestigare non posse.* Fateamur quæ Deus in hoc mysterio est operatus, ea in cacumine tam sublimiter fastigiato posita esse, vt intellectus pertingere ad illa humanus nequeat, & lingua omnis stupore celsitudinis illorum obmutescat.

Possem item dicere cum Concilio Toletano 2. quòd hoc mysterium non esset inexplicabile, si ratio illud humana demonstrare, aut similitudine quapiam dilucidare valeret. *Si ratione ostendi posset, non esset mirabile, si exemplum haberet, non esset singulare*, inquiebat Sacrosanctum illud Concilium.

Adiungite ad omnia dicta, quòd Angeli, quotquot ij sunt, non eò pertingunt, vt illud perspicere, & intellectu assequi possint. Ita docet S. Dionysius Areopagita in lib. de diuin. nominibus c. 2. dicens: *IESV in carne apparitio & ineffabilis est sermone, & omni ignota intelligentiæ, ipsi quoque antiquissimorum Angelorum primatui non satis perspecta.*

Sed quid ego dico de Angelis? Ipsi quoque Angelorum Reginæ tunc, quando iamiam futura erat Mater Dei, tam obscurum ænigma fuit hoc mysterium, vt velut non intelligeret, à cœlesti nuntio exquireret eius declarationem, dicens: *Quomodo fiet istud?* Quæ verba exponens Hugo Cardinalis, ait: *Quod potuit concipere, capere non potuit.*

Possem denique cum S. Leone Papa dicere, aliter à nobis capi tam ingens sacramentum non posse, quàm si ad sanctæ fidei subsidium confugiamus. *Vtramq; substantiam in vnam conuenisse personam, nisi fides credat, sermo non explicat*, inquit ille in serm. de Natiuit.

Mihi satis est dicere cum Angelico Doctore Opusc. 60. Incarnationem Verbi factam esse opere infinitæ potentiæ, incomprehensibilis sapientiæ, & bonitatis immensæ Dei. Quæ enim maior potentia, quàm illius, qui duo extrema tam dissita, hoc est, Deum & Hominem intimè coniunxit? Quæ maior sapientia, quàm ad complementum, & ornamentum vniuersi coadunasse primum, & vltimum? Et quæ maior bonitas, quàm ea, quæ totam se diffundit, & communicat? In alijs operibus Dei videtur ad pondus, & mensuram distributa, in hoc tota impensa, & exonerata fuit. Propterea dixit Apostolus, in Christo inhabitare omnem plenitudinem *diuinitatis corporaliter*. Coloss. 2.

Et reuerà, Auditores, quod hoc ineffabile mysterium Verbi Incarnati factum sit operâ diuinæ omnipotentiæ, hoc Dauid Psal. 79. indicauit, dicens: *Excita potentiam tuam, & veni.* Insinuauitque etiam Virgo benedicta istis sui Cantici verbis: *Fecit potentiam in brachio suo*; Lucæ 2. velut & hæc, & ille dicere voluerit: Cùm hoc opus omnia reliqua tum naturæ, tum gratiæ opera transcendat, idcircò extraordinaria aliqua, adeòque infinita potentia requiritur, quæ illud perficiat.

Non volo hîc dicere, quòd maior in Deo vis potestatis exigatur ad producendam rem aliquam maiorem, seu perfectiorem, cùm in actionibus *ad extra*, vt sacri Theologi aiunt, æqualiter se exerat, sed ex parte solius termini tantùm.

Cùm ergò magnum hoc Incarnationis Sacramentum terminetur ad rem omnium, quæ sub imaginationem cadere possunt, excelsissimam, & sublimissimam, ad hanc, inquam, vt Deus Homo, Homo Deus fiat, hinc est, quòd vocare possumus opus, cuius confectio diuinam omnipotentiam postulauerit. Et ad hunc sensum dixit Doctor Angelicus vbi suprà: *Quid enim potentius, quàm coniungere extrema summa distantia? Magna enim potentia fuit in coniunctione disparium elementorum, maior in coniunctione illorum ad spiritum increatum.* Ad eundem modum loquitur S. Ioannes Damascenus lib. 3. de fide orthod. dicens, quòd solo isto mysterio voluit Deus manifestare mundo vltimum terminum, quem diuina omnipotentia nobis benefaciendo attingere posset. Verba illius sic habent: *Nihil maius, quàm quòd Deus Homo factus est: Hoc vltimum est, quod Deus efficere potuit, amplius enim aliquid efficere non valuit.*

Hæc abyssus omnipotentiæ tam est profunda, vt non modò homines, sed etiam dæmones quantàuis scientiâ suâ in eam penetrare non potuerint, immò & ipsi Angeli intellectu assecuti non fuerint, sic vt Isaias nescius quomodo ab hoc se expediret negotio, diceret: *Generationem eius quis enarrabit?* Isa. 53. Quis magnitudinem, & abditissimos recessus & mysterium totum generationis, & incarnationis Verbi æterni vnquàm explicabit? S. Ambrosius contra Nestorium postquàm hæc verba expendisset putaretque rem istam peruidere ampliùs non posse, sic ait: *Mihi impossibile est generationis huius scire secretum, mens deficit, vox silet, non mea tantùm, sed & Angelorum, supra Cherubim, & supra Seraphim, & supra omnem sensum est.* Ineffabile itaq; Incarnationis mysterium per operationem diuinæ omnipotentiæ factum est.

Concurrit etiam ad idem sapientia Dei, quæ tametsi mille alijs modis perficere opus humanæ redemptionis potuisset, sciuit tamen inuenire commodiorem, & aptiorem cæteris omnibus, qui quamuis sufficientes fuissent, habuissent nihilominùs nonnullas imperfectiones, vt docent sacri Theologi. Modus autem ille fuit quòd vestijt rude, ac scissile mortalis carnis nostræ palliastrum, in qua cùm tormenta varia, mortem denique subiret, pro iniuria, quam nos homines Patri illius æterno irrogaueramus, de toto rigore iustitiæ satisfecit in sua persona, in qua coniunxit res tàm longè distantes, quàm sunt temporale, & æternum, passibile, & impassibile, homo, & Deus, fecitque vt nobis peccata nostra per misericordiam condonarentur absque offensione diuinæ iustitiæ, iuxtà illud Prophetæ: *Misericordia, & Veritas obuiauerunt sibi, iustitia, & pax osculatæ sunt*; Psal. 84. Quod totum expendens S. Augustinus lib. 13. de Trin. c. 10. aiebat: *Ostendamus non alium modum possibilem Deo defuisse, cuius potentiæ omnia æqualiter subiacent, sed sanandæ miseriæ nostræ conuenientiorem modum non fuisse.*

Prætereà diuinæ bonitati ferre acceptum debemus hoc maximum Incarnationis opus. Nam cùm bonum, vt habet S. Dionysius lib. de diui. nom. c. 4. ex sua natura sit communicatiuum, & diffusiuum sui, propterea cùm Deus esset infinitè bonus, infinitè se communicabat. Et non contentus communicationibus illis æternis, quæ reperiuntur *in diuinis*, & à sacris Theologis vocantur *ad intrà*, vbi Pater communicat infinitam suam naturam Filio æterno, & ambo simul Spiritui S. voluit etiam communicare se homini *ad extra* per Incarnationem & facere se nostri similem, hominem passibilem, & mortalem, eâq; re ostendere, tanto ardere desiderio communicandi se nobis, vt quod fieri *in diuinis* non poterat, fieret in humanis, & suam personam intimè naturæ coniungeret humanæ.

Nec defuit ad huius sublimissimi operis executionem misericordia diuina & pietas. Miseratus enim Deus nostras ærumnas, & infelicitates, hodie in terram venire, & fieri homo dignatus est. Vide quàm egregiè hoc Paulus 1. Tim. 3. 16. astruat, vbi sic habet: *Manifestè magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne.* Et Zacharias Propheta vaticinatus fuerat Lucæ 1. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus nos visitauit oriens ex alto.* Et quanquàm in isto Incarnationis ineffabili mysterio admirabiliter dicta attributa eluxerint, amor tamen primas tenet, omniaq; transcendit. Charitas quippè, quæ in eius pectore ardebat, illum permouit, vt fieret homo. Et cùm amor, vt S. Dionysius vbi supra docet, magnam coniungendi vim habeat (*amor est vnitiuus*, inquit ille) diuinusq; erga hominem amor tam esset ingens, & superabundans, hinc factum, quòd voluit non solùm per gratiam, & visionem beatificam, verùm etiam personaliter illi vniri & copulari.

Non recordamini, Auditores, publicum illud edictum,

ctum, quod promulgauit Sanctus Ioannes Euangelista, quando ait: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*, Ioan. 3. ijs verbis, vt S. Ioannes Chrysostomus hom. 27. in Genesin ait, voluit declarare affectum amoris expectoralem, qui adegerit verbum ad suscipiendam carnem humanam, ideòque vsus fuit illâ particulâ *sic*, quæ cum cæteris verbis hunc facit sensum: Tam enixè, tam sublimiter, tam ineffabiliter Deus amauit hominē, vt illi Filium suum vnigenitum dono obtulerit. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret. Neque mens sufficit, neque mens valet enumerare*, (inquit Chrysostomus) *nam quantumuis dixero, multò plus prætereo.* Hoc voluit Paulus docere, cùm ita scribit Tit. c. 3. *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei.* Alij ex Græco legunt: *Apparuit amor hominum.* Hoc denique affirmant sacri Doctores, ex quibus vnum sat fuerit adducere Cyrillum Alexandrinum, qui in Ioannem ait: *Homo à Deo diligitur. Quomodo enim fieri potest, vt non diligatur, propter quem vnigenitus, qui est in sinu Patris, mittitur?* Et S. Augustinus in soliloquijs reliquit scriptum: *Quæ maior est causa aduentus Domini, nisi vt ostenderet Deus dilectionem suam in nobis?*

Iam quæ lingua explicare possit, in quàm excelsum cacumen sublata fuerit natura humana per hoc, quòd Verbo æterno copulata? Accipe hoc, Christiane, & lachrymas ex teneritudine funde. Priusquàm Deus fieret homo (inquit Rupertus lib. 3. c. 7. in Zachariam) non erat humanæ generationis tanta dignitas, & existimatio, quanta modò: *Antequàm Deus homo fieret ex vtero Virginis*, ait ille, *nullum erat pretium generis humani.* Simul autem & Deus carnem nostram induere, & homo pretium habere cœpit. Omnis enim hominis nobilitas, omnis honor, gloria, dignitas ex eo nascitur, quòd Deus Homo natus.

Hanc veritatem ex opinione Hugonis Cardinalis, demonstrauit Sponsa, id est, Sancta Ecclesia, quando Sponsum suum in carne mortali videre desiderabat, vt deinceps nemini despicabilis esset, apud omnes autem honorem, & reuerentiam haberet. Quare & dicebat: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te, & iam me nemo despiciat?* Cant. 8. 1. Audite Hugonem Cardinalem, quàm diuinè hæc exponat: *Olim despectum erat genus humanum*, inquit, *sed per incarnationem, & vnionem nostra carnis ad Deum incepit humna natura nobilitari.*

S. Ioannes in Apocalypsi sua refert, vidisse quodam die Angelum, cuius tam fuerit venerabilis aspectus, tam admirabilis, & rara formæ elegantia, tantaq́; & tam insignis maiestas, vt ad pedes eius se abijciens, illi adorationis cultum exhibere voluerit, sed prohibitum esse ab Angelo, ne quid tale faceret: *Cecidi ante pedes eius, vt adorarem eum, & dixit mihi, vide ne feceris*; Apoc. 19.

Cur noluit à Ioanne adorari Angelus, qui tale obseruentiæ genus ab alijs ante illud tempus non semel tantùm acceptauit? Scio quòd in agro vrbis Iericho visus fuit Angelus quidam Iosue, & *cecidit Iosue pronus in terram, & adorans ait*, &c. Iosue 5. 15. & Angelus hunc sibi ab illo deferri honorem tolerauit. Cur ergò similem reuerentiæ cultum à Ioanne oblatum refutauit?

Hugo Cardinalis in c. 19. Apoc. respondet, id factum, quòd Verbum Dei tempore Iosue nondùm incarnatum, & homines viles, atque ignobiles erant, idcircò Angelos facilè permisisse adorari se ab ijs. Postquàm verò Deus carnem humanam susceperat, & Homo factus fuerat, sic humanam extulit, & nobilitauit naturam, vt supra Angelos eam exaltârit, ac proinde nihil mirum sit, quòd Angeli ab homine adorationis cultum admittere recusârint. *Iam vident nostram naturam super se in Christo homine exaltatam, vnde & timent ab homine adorari*, inquit Hugo, & ante illum S. Gregorius homil. 8. in Euang. his tam elegantibus verbis: *Quid est, quòd ante Redemptoris aduentum Angeli ab hominibus adorantur, & tacent, postmodùm verò adorari refugiunt, nisi quòd naturam nostram, quam priùs despexerant, postquàm hanc super se assumptam conspiciunt, prostratam sibi videre pertimescunt?*

Iam intellgetis causam, Auditores, ob quam veteres Patres aduentum Messiæ in carne tam vehementer desiderabant. Nimirùm humanæ naturæ exaltationem optabant, de qua Ieremias Thren. 1. aiebat: *Vide Domine, & considera, quoniā facta sum vilis*, quod hac adiectione dilucidat Hugo Cardinalis: *Sed exaltata est per Incarnationē*, ampliùsq́; declarat similitudine mulieris ignobilis, quæ viro Principi nupta per coniugium ab humili statu in sublimem extollitur: *Facta sum gloriosa, sicut mulier ignobilis sublimatur, si contrahat cum viro nobili.*

Obseruastisne, quòd Christus Dominus noster, quando insignitum aliquod opus, vel miraculum operabatur, non Deum, sed hominem se appellabat? Cùm paralytico illi sua condonare peccata, & reddere bonam valetudinem vellet non Deum, sed hominem

minem se vocabat, dicens: *Vt sciatis, quòd Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum;* Matth. 9. Cùm loqueretur de iudicio extremo, & tempore, quo è cœlo ad iudicandum mundum descendet, hominem se denuò nominabat, inquiens: *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa & maiestate*, Matth. 24. Et agens de suo in angelos imperio rursùm vocauit se hominem dicens: *Mittet Filius hominis angelos suos*, Matth. 13, 41. Denique si diligenter aduertatis, inuenietis, quòd semper filium hominis se dixit, quoties opera quæpiam insignitiora faciebat vt Deus. At si eiusmodi actiones ille vt Deus, non vt homo, seu virtute diuinâ, non humanâ operabatur, cur se hominem non Deum appellabat?

Respondet Abulensis q. 127. in c. 16. Matthæi, id fecisse ad ornandam, & exaltandam naturam humanam, cùm sit perhonorificum homini, quòd videatur talia facere, quæ vires humanas superent. *Quando Christus faciebat magna, vocabatur filius hominis, & hoc fiebat ad honorem naturæ humanæ quòd talia fierent per eum, vel ab eo, qui homo erat*, inquit ille.

Neque hic finis excellentiarum naturæ humanæ. Altiùs euecta est. Æternus enim Deus, cùm pro suo amore, quo hominem ab æterno dilexit, liberare illum à seruitute dæmonis, quam peccando incurrerat, vellet, atque illud facere per Angelum posset, ipsus in terram descendere dignatus est, & fieri homo, & ignominiosam mortem pati. Et hoc fecit, inquit Beda, quia per incarnationis mysterium voluit non solùm saluare homines, verùm etiam honorare, & sic nobilitare, vt non ampliùs homines, sed dij essent. Si angelum ad suscipiendam carnem submisisset, ille vt non esset Deus, sic deos facere homines non posset. Audite verba venerabilis Bedæ digna suo autore. *Angelus etsi salutem daret, diuinitatem minimè conferre posset, quam ex se non habebat.* Necessarium ergo fuit, vt Deus ipse de cœlo veniret, & factus homo homines deos faceret. Propterea sanctus Thomas Opusc. 57. ait: *Vnigenitus Dei filius suæ diuinitatis volens nos esse participes nostram naturam assumpsit, vt homines deos faceret, factus est homo.* Congruit cum his illud S. Augustini: *Factus est Deus homo, vt non fieret Deus.* Et sanctus Petrus Chrysologus cum stupore admiratur, quòd tam sublimiter sit eleuata natura humana, vt homo intimæ cognationis necessitudine coniunctus fuerit Deo. Et quem non attonitum reddat, *cæli & terræ, carnis & Dei tantùm posse prouenire commertium? vt Deus in hominem, homo in Deum, Dominus in seruum, seruus verteretur in filium, fieretq; diuinitatis, & humanitatis ineffabili modo vna, & sempiterna cognatio?* Hæc ille.

Deniq; natura humana per incarnationem verbi in tantam celsitudinem est euecta, vt exaltari ampliùs non possit. Eò peruenit, inquit S. Augustinus, vt sit Deus, quid magnificentius dici potest? *Prædestinata est ista natura humana tanta, & tam excelsa, & summa subiectio, vt quo attolleretur altiùs, non haberet*, inquit ille in lib. de prædest. SS. c. 15. Animos ergo sumite homines, & sublimem spem concipite, quia dij fieri potestis.

Cùm hunc Dei ergà homines amorem Rex propheta secum reputaret, neque causam satis intelligeret, ob quam tam magnus, & immensus Deus tam vilem creaturam tam efflictim diligeret, curiosâ hâc interrogatione illum appellauit dicens: *Domine, quid est homo, quòd memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum*, Psal. 8. velut alijs verbis dixisset: Quamobrem, mi Deus, maiestas tua adducitur, vt hominem, rem tam vilem, abiectamque non solùm vehementer amet, sed & magni æstimet? Ad hunc modum explicat ea verba Cassiodorus dicens: *Quid est homo fragilis, & caducus, cuius memor est Dominus, & visitauit eum cum Verbum caro factum est, habitauit in nobis? Nam visitare dicimus, quando medicus ad infirmos ingreditur, quod in aduentu Domini reuerà completum est.* Et sanctus Hieronymus in expositione eiusdem Psalmi ait: *Quid est homo, id est, quale meritum stat hominis, vt memor tu factus eius pro eius redemptione susceptas carnem. Aut filius hominis, id est, filius Dei factus, filius Virginis, qui visitauit corpus humilitatis nostræ, quod assumere dignatus est?* Cum non minore elegantia dicit in eandem rem Origenes ita: *Magnum sanè aliquid est homo, cùm tanto honore à te dignetur, & quòd de ipso curas, & humanitatem indutus inuisis.*

O grande miraculum! O ingentem, & stupendam bonitatē, charitatem, dignationem, quæ fecit, quòd talis, ac tantus Dominus, quòd rex gloriæ, & monarcha mundi tam magni fecerit vilissimum vermiculum, & ingratum peccatorem, vi eius amore ex sinu Patris, à summo cœlo, ex beata illa patria in hunc tam sordidum mundum, & humilem terram nostram & miseriarum vallem descenderit, & seruus illius, atque vt Apostolus ad Philipp. 2. ait, *in similitudinem hominum factus fuerit: & habitu inuentus vt homo!*

Homines mundani, audite vestram dignitatem, & obstu-

& obstupescite. Hoc die primum verè dici potuit, quòd homo esset Deus. Quid maius vnquam visum fuit? O Adam, Adam, ecce adimpletum tuum desiderium, quo cupiebas esse sicut Deus. Vide naturam tuam ad magnitudinem altissimi exaltatam. Veniat nunc diabolus, atque vt tibi fraudem struat, dicat: *Eritis sicut dij*, Gen, 3. Loquatur denique infernus, quia dicere aliud, quàm illud Prophetæ ex Psal. 81. non poterit: *Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes*, fatebiturque inuitus, quòd homo sit Deus, & talis, quem ipse meritò pertimescat, & formidet. O excellentia naturæ humanæ! *Videte quanta sit dignitas fidelibus, qui dij vocantur & filij*, exclamat S. Hieronymus. O Deus, Deus quantùm nos exaltâsti, & quonam euecti sumus! Hoc die homo eò peruenit, vt ad solam illius appellationem inclinentur cœli, submittat se terra, & abyssi profundiùs descendant, *Vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum*, Philipp. 2. Non potest hoc laudis dari Angelis. Nostra est hæc gloria, noster dignitatis splendor peculiaris. *Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*, dicit S. Paulus Heb. 2. *id est naturam humanam sibi vniuit*, vt exponit Lyranus.

Dic itaque, sancte Bernarde, Deo tuo: *Ne ludens vltrà dixeris, Domine, ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est. Sufficit dici malitiâ suâ, desine iocari, nunc enim serio, & in voce exultationis respondebimus tibi; Ecce Deus noster non quasi vnus, sed sublatâ omni moderatione dicemus, vere vnus ex nobis factus est.* Hæc ille serm. 5 de Natiu. Domini. O excellentia! ô amor! ô artificium, & inuentum charitatis! *Stupet cœlum* (ita pergit Bernardus) *contremiscit infernus, terrenæ linguæ obmutescunt.*

Vide Christiane, & diligenter considera, quibus artibus singularis affectus tecum vtatur Deus, vt è manibus dæmonis te eripiat, & tu nihilominùs malè imprudens mille conquiris perdendi tui inusitatos modos. *Ah misera anima, quæ tam pretiosè es redempta, cur permittis corpus tibi dominari?* Exclamat S. Ambrosius lib. 9. in Luc. Propter te Deus ipse venit in terram, & factus est homo, propter te passus est, & mortuus, & pretiosissimo sanguine suo te redemit, & tu propter voluptatem aliquam terrestrem propter lucellum quodpiam mundanum propter turpem libidinem, propter infernale odium, propter maledictam contumaciam in rixis, inuidia, auaritia, luxuria, superbia sinis te ad inferos, & damnationem præcipitari. Curate, Auditores, vt veraciter hoc dici posthac non possit, nam ægrè obtinet veniam, qui suam sibiipsi procurat perniciem, & ruinam. Cor saxeum fuerit, quod non suam relinquat duritiem, & peccandi peruicaciam, si cogitet abundantiam amoris, quem ergà nos hoc die exercere dignatus est æternus Deus. O quàm ille stultus est, & amens, qui propter transitoriam voluptatem iacturam facit boni sempiterni!

Exploratam ergo habentes nostram dignitatem, non eam deinceps peccatorum sordibus contaminemus. *Per hoc* incarnationis hodie in vtero Virginis primum peractæ mysterium *instruimur, quanta sit dignitatis humana natura, ne eam inquinemus peccando* inquit Doctor Angelicus 3.p.q.1.art.2. Et in huius rei consideratione positus S. Leo Papa dicebat: *Agnosce, ô Christiane, dignitatem tuam, & diuinæ consors factus naturæ noli in veterem vilitatem degenere conuersatione redire.* Hæc ille serm. 1. de Natiu. Domini.

Aliud mihi nunc reliquum est nihil, quàm vt ad te conuertar, Virgo benedicta, quæ hodie electa es veri Dei mater vera, quæ omnium diuinarum gratiarum es aquæductus, teque obsecrem, quod supplex facio, vt à filio tuo nobis impetres rectè nôsse naturæ humanæ in diuinæ personæ consortium hoc die assumptæ dignitatem, atque vt eam nullâ deinceps flagitiorum turpitudine conspurcemus. Obtine, ô Virgo benedicta, vt ob oculos Dei, qui se vsque ad mensuram pupuli intrà angustos alui maternæ limites velut contraxit, & eò humiliauit, vt ex rudibus, vilibusque mortalis naturæ nostræ pannutijs pauperem togam sibi assumeret, discamus humiliari, & nostrum nihilum, ex quo descendimus, agnoscere. Obtine demùm etiam hanc gratiam, vt rerum terrenarum, fragilium, transitoriarum amore nos abdicantes, solum diligamus Creatorem, quandoquidem hâc illius incarnatione sumus prouocati, & excitati ad illum amandum, vt in vita præsenti sic facientes possimus in futura optatum, & expetitum consequi finem, propter quem ille in tuo purissimo vtero accepit carnem humanam, quæ est gloria paradisi, Amen.



De eodem Festo Annuntiationis beatissimæ Virginis.

Aue gratiâ plena, Dominus tecum. Lucæ 10.

Autore Interprete.



AVditores: *In operibus DEI solicito quamuis homini magis se admiratio potest offerre, quàm ratio.* Id Eusebius Gallicanus, vir disertus, & eloquens, de omni opere Dei generatim quidem, atque vniuersè ita pronuntiabat, dicendi occasionem tamen ex hodierna filij Dei incarnatione nactus fuit, cuius sacramentum cùm inde subolfaceret, nec satis discerneret Isaias cap. 53. 8. admirabundus exclamabat: *Generationem eius quis enarrabit?* Vbi de humana Christi generatione locutum Euangelicum vatem, Tertullianus, Iustinus, Athanasius, & ex Patribus alij, neque ij postremi, volunt apud Corneli à lapide. S. Andreas Hierosolymitanus in salutationem Deiparæ, hoc diuinæ incarnationis *mysterium inauditum* vocat, *quòd sui admiratione res admirandas cunctas longè superet*, adde & ingenia non modò sapientissimorum hominum, sed & acutissimorum, & subtilissimorum, ac sublimissimorum Angelorum. Ex his enim duo quidam apud Isaiam cap. 6. velabant faciem, ac pedes sedentis super thronum, vt inditio esset, non solùm diuinitatem Christi, in facie adumbratam, sibi inaccessam esse, verùm & *Dominicæ incarnationis mysterium, quod ad pedes specialiter cognoscitur pertinere*, vt loquitur S. Bernardus serm. 5. de verbis Isaiæ, omninò impenetrabile. Nimirùm tam excelsus est Dominus ex diuinitate, tam abiectus in carne, vt cùm neque in illam sublimitatem erigere sese, neq; in imam demissionis abyssum submittere posse cernerent, tegendum vtrâque parte illum putarent, & admiratione venerari voluerint mysterium, quod vsurpare oculis nequibant. Quid ergo tam hebete sensu ex argilla, & luto fictus homulus de hoc Dominicæ incarnationis mysterio dicere hodie queam, de quo iam olim testati sunt angeli, atque ex his supremi, videndo assequi prorsùm non potuisse, adeò facere aliud non debuisse, quàm vt tectis illud oculis admirarentur, & laudarent, ac dicerent, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum*, è quorum acie vnus quidam eximius Gabriel, cùm illud Virgini matri hodie nunciasset, tum nono posthinc mense omnes cœlo effusi votiuo cantu celebrârunt, quando *facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, Lucæ 2. Noctuabundus vespertilio sum, itaq; magnitudinem splendoris, quo hoc mysterium radiat, minimò minùs ferre queo, quem & illæ in medio die natæ semperq; positæ cœlorum aquilæ tam non potuerunt tolerare, vt nubere oculos necessum habuerint.

Dicam autem ingenuè, quantum illud mihi de sacramento abscondito à sæculis in Deo ac hodie in carne primùm reuelato sit exploratum. Ego huius mysterij non solùm rem ipsam non intelligo, tametsi credo, verùm ne nomen quidem hodiernæ diei, quâ id factum, satis certum habeo, sic vt nesciam an Christi, an beatissimæ illius Parentis virginis an cælitum, an hominum, an omnium semel rerum creatarum festum dicam. Atque vt ignorantiæ hac in re meæ nihil dissimulem, de homine quoque, cuius vnius causa maximè hodie acta videtur, minimè scio, gaudiosumné illi, an dolorosum hoc mysteriũ accidere debeat. Quæ me illa his in rebus dubium, an nescium faciant, ea vobis primùm exponam, tum pronuntiandi pro quauis parte arbitrium relinquam. Esse ergo totius causæ attenti Auditores, quotquot vultis esse integri & æqui Iudices.

Aue gratiâ plena, Dominus tecum.

CŒlestis quidam Paranymphus, qui pronubus inde ad Hebræam virginem ciuem Nazareticam (Mariam appositissimo dignissimo vocabulo appellabant) delegatus, *vt inter creaturam & creatorem sponsalia contraheret* (sic loquitur sanctus Gregorius Neocæsariensis serm. 3. de hoc festo) Superioribus illis verbis eam comiter, placidè, ac reuerenter salutauit, postulauitque vt summi Dei vnigenito filio carnem, qua cum inire nuptias posset, ex se ministraret, quod illa vbi ex Dei voto fore intellexit, humillimè, ac deuotissimè concessit. Itaq; hæc dies nuptialis Christo fuit. Fuit planè: *Tunc enim Pater nuptias filio suo fecit*, Matth. 22. *quando hunc in vtero virginis humana natura copulauit, quando Deum ante sæcula voluit fieri hominem in fine sæculorum.* Ita Gregorius Magnus hom. 38. in Euangel. Et non inuitus in hæc connubia descendit, aut difficilis talibus nuptijs assensit Christus, qui Prophetâ regio teste *exultauit vt Gigas ad currendam viam*, scilicet carnis, & vitæ mortalis, vbi quòd

exultasse

exultaſſe fertur, id Gloſſæ interlineari, & Hugoni Cardinali ſignificat, per ſe, ſuâ ſponte, ac proniſſimâ voluntate deſponſatum, quòdq; cucurriſſe viam dicitur, hilaritatem prodit, quâ in eas nuptias conceſſit. Hilaritas porrò ea tanta fuit, quâ in hæc fœdera deproperauit, vt ſponſus Paranymphum ſuum præuerterit, vt priùs ille matrimonium contraxerit, quàm hic nunciare potuerit.

Hanc cogitationem S. Bernardus ijs Angeli verbis exſculpſit homil. 3. ſupermiſſus eſt. *Aue gratiâ plena, Dominus tecum*, in quæ ſic ait: *Quid mirum, ſi gratiâ plena erat, cum qua Dominus erat? Sed hoc potius mirandum, quomodo qui Angelum miſerat ad Virginem, ab Angelo inuentus eſt eſſe cum Virgine. Itane Velocior Angelo fuit Deus, Vt feſtinantem nuncium celerior ipſe præueniret ad terras*, vt dicere opus haberet Angelus, tecum eſt iam Dominus, quem ego ad te, atq; in te venturũ nunciaturus venio? Omninò pronubum ſuum ardens ſponſus præuertit. Nec mirum. Deſiderium illi alas addidit, vt præuerteret Paranymphum Angelum, *ad Virginem, quam amauerat, quam ſibi elegerat, cuius decorem concupierat.* Hæc ferè ita os melleum. Ergo Chriſto feſta eſt, quæ illi tam incitatis votis expedita nuptialis dies, quod ne dubitares, etiam ſponſa in Canticis diem hanc *ſolemnitatis & lætitiæ cordis eius Vocat*, ex commentario SS. Athanaſij, Ambroſij, Caſſiodori, Philonis, Carpathij, Bedæ, Gregorij magni, & aliorum apud Ghisler. in expoſitione 2. & appendice expoſitum in cap. 3. v. 11. Cant.

Sed iam Annunciatione beatiſſimæ Virginis iam pridem huic diei nomen vniuerſus Eccleſiæ conſenſus indidit, videturq; illi multis nominibus ſolemnis, ſtata, & votiua eſſe. Sãctus Bern. ſer. 2. de Annũ. inter varias cauſas, quare filius Dei præ Patre, ac Spiritu S. incarnatus fuit, hanc vnam ponit, vt Beatiſſ. Virgo communem haberet cum Patre filium *quod factum non fuiſſet, ſi ille incarnatus non fuiſſet.* Hac die autem fuit incarnatus: Hæc ergò dies Feſta eſſe, & dici ſacra eidem Virgini debet, quâ in eam celſitudinem eſt euecta, vt illius eſſet mater ex tempore, cui ſmmus DEVS eſt Pater ab æterno, quam D. Bernardus homil. 3. quidem vocat *ſingularem, & excellentem prærogatiuam Mariæ*, & ſanctus Andreas verò *dignitatem, quâ omnes ſuperet, præſtet Vniuerſis non ſolùm hominibus, ſed & ſummis cælorum Virtutibus*, atque hinc eſſe quòd *glorioſius præ illis nomen hæreditârit, mater Dei, adeo ſalutis, gratiæ, miſericordiæ mater appellata, cùm alius Angelus, alius Propheta, alius præco, alius alio* tali quodam inferiore nomine cenſus. Sanctus Baſilius Seleucus orat. 9. ad finem hanc tantam præſtandam putat, vt ob eam *Virtus, & potentia Deiparæ, aut quale nutricationis pretium matri datum, non ſatis cogitari poſſit*, ab iis præſertim, qui non neſciunt, *quantum Deus Petro Paulo, talibuſq; ſeruis ſuis impertitus ſit gratiæ.* Huic ergò videtur hæc tribuenda dies, in qua tantùm illi tribuit Deus, quantùm vel hominum, vel Angelorum nemini.

At enim Angeli ſibi hanc poſſe arrogare diem videntur: *Hodie namq;* (vt D. Andreas Hieroſolymitanus aiebat) *Vniuerſi cæleſtium poteſtatum ordines ſpirituales magno gaudio exultent ob Dei nobiſcũ reconciliationem, iucundiſſima enim ipſis eſt noſtra ad DEVM reuerſio, & ad ſtatum meliorem ingreſſus, atque reditus, quoniam Valdè ſunt noſtrâ causâ ſolliciti, atque benigni, quippè ad eorum miniſterium miſſi, qui ſalutem ſortientur.* Hæc ille. Et verò ſi gaudium eſt Angelis in cælis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente in terris, quantum gaudium fuerit hodie, quando ob id incarnatus eſt filius Dei, vt omnes homines per pœnitentiam ad vitæ melioris ſtudia adduceret, & cœlo tranſcriberet? Non abs re ergò fecerit, qui hanc Angelorum ſolennitatem dixerit.

Ex alia parte D. Ambroſius ſerm. 81. circa finẽ, vult hodiernum Feſtum tam eſſe proprium, ac peculiare hominum, vt putet non rectè fieri, niſi nullum lætitiæ modum teneamus, niſi effuſiſſimè hilares ſimus, niſi gaudia cordis exterioribus ſignis prodamus, cantuq; & ſaltu, ac tripudiis teſtemur, eo die, quo cum Deo non ſolùm in gratiam reuerſi, ſed in eiuſdem quoque perſonæ conſortium admiſſi, & tam coniuncti facti ſumus, quàm ſibi ipſi eſſe proximus quiſque poteſt.

Audite, amabò, verba magni Antiſtitis, & Eccleſiæ Orthodoxæ patris: *ſolent homines ſicut mos eſt, in Votis ſuis, hoc eſt nuptiis præcipuè ſaltare, Vel canere. Vnde & nos habemus Votiuas nuptias, in quibus ſaltare, Vel canere debeamus. Vota enim noſtra celebrantur, quando Chriſto Eccleſia copulatur ſicut ait Ioannes 3. qui habet ſponſam, ſponſus eſt; propter has ergò nuptias ſaltare nos conuenit.*

Quo verò exemplo id ſuades, Doctor ſancte? Dauidis, inquit, *ſiquidem ille Rex pariter, & Propheta, dum multa cecinerit, ante arcam teſtamenti ſaltâſſe dicitur.* Rex erat Regum potentiſſimus, nec aures tamen, aut oculos vulgi verebatur, quin ob ea totis viribus ante arcam Domini ſubſultaret, & ad numeros membra alternis motibus agitaret.

Vultis etiam huius tam liberi saltus, & tripudii causam. Non Rex modò, sed & Propheta erat, itaque *prauidebat in spiritu Mariam de germine suo Christi thalamo sociandam*, quando Psal. 18. aiebat: *Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo*, & quomodo inter hæc sibi temperare poterat, vt ne saltatorium versaret orbem, ac sinuosi volubilitate corporis latere nesciam cordis lætitiam exprometet? At si ille ante arcam veterem saltandum putauit, quæ Mariæ hodie Deo grauidæ vmbra quædam pertenuis, & obscura fuit, (*illa namq; intrinsecùs portabat testamenti tabulas, Maria autem ipsius testamenti gestabat hæredem*) mirum fit nisi nobis in saltum pruriant pedes, quibus hæc cælestis, ac Deo plena arca proposita est, quæ desiderium omnium sæculorum complexa, nobis, in quos sæculorum fines deuenére, salutis nostræ, & fœlicitatis æternæ primitias hodie attulit.

Hodie enim verbum caro factum est, clamat sanctissimus Carthusianorum Patriarcha Bruno, serm. de hoc festo. *Hodie Filius Dei incarnatus est, quod quidem nisi factum fuisset, nunquam nasceretur, nunquam pateretur, nunquam resurgeret, nunquam infernum expoliaret, nunquam cælos ascenderet, nunquam Spiritum sanctum Apostolis mitteret, in quo baptizati sumus, per quem & fit remissio peccatorum. Hæc est igitur prima festiuitas, hæc est principium, & causa omnium aliarum festiuitatum.* Sed quarum mihi dicis festiuitatum? *Earum*, inquit, *quas omnes homines meritò simul celebrare debeamus.* Hac nimirum festiuitate (quod Ecclesia etiam magnis vocibus cantat) *Dominus afflictionem populi sui respexit, ac redemptionem misit? Hac festâ die mortem quam fœmina intulit, fœmina fugauit? Hac festâ die redemptionis nostræ exordium deuotè recolere*, ob idque exultare plurimùm & possumus, & debemus. Hominum ergò, id est, nostrum maximè proprium hoc tantum esse Festum videtur.

Sed væ nobis, nisi hoc Festo sic vtimur, vt eius meritò ad æterna festa perueniamus? Væ nobis, nisi tam insignito Dei beneficio omnibus religiosi cultus, ac deuotæ obseruantiæ officiis occurrimus? Væ nobis, nisi humanitate, & benignitate Christi, quæ hoc Festo primùm apparere cæpit, permouemur, *Vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & aduentum*, non iam iterùm abiectionis Christi intrà humani corpusculi mensuram vel angustati, & arctati, sed *gloriæ magni Dei*, qui tunc in illo aduentu omnium, quæ hoc die nobis attulit, ac deinceps dedit, accuratissimas rationes exactissimè, seuerissiméque repetet, tam inexorabilis Iudex futurus, quàm nunc est indulgentissimus Patronus, & Saluator. Secundi enim aduentus rigor nascetur, & acuetur à suauitate misericordiarum aduentus primi Tom. 2. pag. 323. o.

Apud S. Epiphanium aliquid inueni de Virgine hodie primùm Deo grauida, quod ad ea, quæ dicere cæpi, admodum pertinere videtur: *Ipsa est nubes tonitrui formis*, inquit, *quæ fulgur interius in vtero gestat*, tanquam dixisset: Quæ verbum Dei castis gestat visceribus ea nubis similis est, sed nubis, quæ fulgetrum parturit, quòd illa cùm pari aëris fragore, & orbis terrore abortire solet. At ô bone Deus, quid hoc audio! Talisné est Maria Dei filio prægnans, qualis nubes formidabili fulgure grauis! Id quidem affirmauit S. Epiphanius, nec affirmauit solùm, sed Spiritum sanctum quoque verborum suorum autorem, & obsignatorem habere putauit, dicens: *Sermoni meo attestatur diuina scriptura, dum ait: Venter tuus sicut aceruus frumenti vallatus liliis*, ex Cant. c. 7. Hîc ego præ illo, quod Epiphanius suprà dixit, hoc demiror, nec mirari satis possum, quòd his Salomonicis verbis suam de Virginis Christo fætæ, & nubis fulgure grauidæ similitudine sententiam comprobatam existimat, tanquam ita esset argumentatus: Mariæ venter Deum ferens est qualis aceruus tritici, isque vallatus liliis. Ergò nubis similis est fulgure graui. Quid enim affinitatis habet optabile triticum cùm igniuoma nube, aut quid consequentiæ, vt sit eius vterus velut terrificum hiantis cœli iubar, quoniam est qualis aceruus tritici septus, satus, vallatus blandidulis, ac nitidulis liliis? Immò si diligenter animum aduertas, non adstipulaberis Epiphanio solùm, sed dices quoque necessariâ consecutione fieri, vt sit Maria nubes tonitrui formis, quæ fulgur interiùs in vtero gestet, postquàm is vterus Dei verbo fœtus, est sicut aceruus tritici vallatus liliis. Non video, inquis, quomodo hoc ex illo fiat. Faxo vt manibus prehendas. Nonné Maria quibus visceribus gestabat verbum Patris, eisdem ferebat aceruum tritici vallatum liliis, id est, filium Dei infinitis gratiis, donis, muneribus, fauoribus locupletatum, ditatum, adornatum, quæ aceruatim nobis effundere veniebat? Nonné Maria tanquam nauis institoris de longè portabat frumentum quod nobis vitæ æternæ alimonia, & omnis annona quâ cœlo nutriremur, futurum erat, & panis qui de cœlo descendens vitam mundo daturus? Id

nemo vel inficias eat, vel nesciat. Atqui si id omnium sensus, & consensus habet, quòd Maria Christum qualem aceruum tritici, hoc est, qualem gratiarum, quibus nos ornatum veniebat, cumulũ vtero gestabat, tum inde fit necessariò, inquit Epiphanius, vt fulgur nobis eisdem visceribus attulerit, quibus Christum. In supremi namque illius, & extremi tribunalis die quid aliud quàm fulgur erũt nobis ingratis tum hoc Dei beneficium, tum cætera illius plurima, & maxima dona, quæ neque ad Autoris gloriam, neque ad animarum nostrarum vsus, commoda, vtilitatem conuertimus? Tunc ille Diuinus panis toties cum nausea, & absque fructu sæpiùs, non etiam nunquam ad iudicium acceptus romphæa nobis erit mortis, & mortis sempiternæ: Tunc immanè irrugientem, & hortendè detonantem illud, *ite maledicti*, audient, qui hic & verbis suauissimis, & exemplis gloriosissimis, & gratiis magnificentissimis blandè ad se inuitantẽ, & ad sui obsequelã adhortantẽ surdis auribus prætereunt: Tunc illum sustinebunt supplicia inferentem, quem hic adferentem beneficia amare, & colere noluerunt.

Quid tam tritum & peruagatum, omniumque sæculorum Christo posteriorum admiratione celebratum, quàm quòd suauissimus Saluator ficulneam quandam maledicto damnauit, atque ita perstrinxit, vt subitò exaruerit, neque fructum deinceps vllum pertulerit, quam cùm famelicus conuenit, sine fructibus inuenit? At causa tamen illius extemporalis, & tam acerbæ indignationis neque vulgaris est, neque admodum exposita. Abulensis q. 106. in caput 21. Matthæi de hac re sic scribit: *Quia Christus laborauerat declinando ad ficulneam, & illa fructum non habebat, maledixit illam.* At si Christus tanto maledicto arborem fixit, quæ tantillum illius laborem frustrata fuit, quos non fulminum iactus extimescere nos possumus, qui omnem illius expectationem in horas singulas turpiter ludificamus, & mandatorum eius obseruantiam insuper habemus, & salutis nostræ incurii sumus quàm qui negligentissimi, in qua ille tamen tantum operæ, & studii totis tribus suprà triginta annis posuit? Quibus nos tonitruis percellet, qui post tantam laboris impensam, quantam ab hoc die vsque in horã vitæ supremam Saluator egit, crudeliter ingrati, & perditè steriles, nullos memoris animi fructus, quos ille plurimùm esurit, nullos institiæ, & vitæ sanctioris prouentus, quos vnicè, atque auidissimè expetit, reddimus? *Vide hos duos conceptus apud Nissenum Tom. 2. p. 325. & 326.*

Hinc vos, atque ex talibus æstimate nunc Auditores, festané, & votiua, an luctuosa hæc dies accidere iis possit, qui sic viuunt, sic plerosque in otio, aut nihili negotio transmittunt dies, strenui ad vitia, ignaui ad ieiunia, & alia id genus bona opera, vt magnoperè vereri debeant, nisi imprudentes, & impudentes rerum æstimatores esse velint, ne fulgur illis olim fiat, quod hodie sanctum de Spiritu sancto Parens Dei sancta concepit. Cùmque de hac causa Iudices deliberatis, vitam interim vestram sic instituite, vt sit vobis Saluator, qui hodie conceptus, & factus homo in tempore est, eritque Deus benedictus in sæcula. Amen, Amen. Dixi.

In Festo Visitationis Beatissimæ Virginis.

Autore Interprete.

Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione. Luc. 1. v. 39.



Quid non audes religiosa, ac deuota pietas? Quid non faceres, si voluntatem exæquaret facultas! Maiora viribus non promittis solùm, sed & tentas, quasi velis posse, quod scis non posse.

Sed es ingeniosa, pia deuotio, vt quoniam scis non minùs placere Deo quæ volens cupis, quàm quæ potens facis, facias ea interim, quæ potes, dum non potes quæcunque cupis. Ita S. Dauid non ignarus dies annorum nostrorum esse annos septuaginta, aut vt plurimùm exarescant, ad octoginta pertingere, vt habet Psalm. 89. Fecit tamen religiosæ pietatis ambitiosa Deo obseruiendi cupiditas, vt diceret: *Exaltabo te, Deus meus Rex, & benedicã nomini tuo in sæculum, & in sæculum sæculi*, Psalm. 144. idque in dies singulos, perque totos illos, sciuit nimirum quòd *magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis*; ideò cùm videret, non posse perpetuò illum & continuò laudare, vt quem corporis necessitas tam crebrò ad alia vocaret, quòdque idem semper agere tam multa regni negotia non sinerent, esse Deo tamen hoc etiam gratum, quod omninò vellet, si posset, quod potuit, hoc fecit, & dixit: *Generatio, & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronunciabunt*; tanquam dixisset.

Cùm teipsum, præ magnitudinis tuæ immensitate, dignis exæquare laudibus ingenii mei tenuitas nequeat, opera tamen tua, & potentiam qualibuscunque verbis si extollere non possum, dilaudare nihilominùs, & cùm aliis communiter prædicare quàm possum debeo, tam plurimùm volo.

Tale aliquid mihi hodie accidit, Auditores, laudare Virginem officiosam (quæ hodie in montana ascendens, maiestatis suæ fastigia eò demisit, vt ministraret Dei famulæ Mater Dei) est animus, & iusta, vtinam magis accensa deuotio. Immori his pietatis exercitiis velim, & à morte iisdem occupari æternùm. Sed tu quoque, ô Domina, magna es, & laudabilis nimis, & magnitudinis etiam tuæ, quam à filio Mater habes, non est finis, vt nimis quam infans sim, si paria illi de meis angustiis promere aut promittere velim.

At si Virginis Matris inaccessam amplitudinem pro dignitate celebrare non licet, libet tamen opera quædam illius admirari, & pronunciare potentiam, hoc est, pauca de multis, quæ à conceptu filii Dei domi, forisque fecisse fertur, & quanta sit illius in promouenda hominum felicitate facilitas, ac potestas, exponere, quod cùm facio, vos dicentem æquis auribus accipite.

Exurgens MARIA abiit in montana.

VNde, à quo exercitio surrexit? *Aquiete deuotionis, & orationis, quæ erat præuia omnibus operibus illius.* Ita doctus Lyranus. Sic & B. Elizabethæ viduæ apud Sanct. Bonauenturam eadé Dei Parens aperuit, gratiam, præter eam, quâ primùm sanctificata fuerit, nullam vnquam à Deo accepisse aliam, pro qua non supplex antè obsecrârit, & resecrârit, quam non assiduarum precum meritò impetrârit.

Si non aliundè explorata mihi sit incomparabilis huius Virginis sanctitas, & admirabilis vitæ puritas, ex precum tamen vsu perpetuo, & orandi tam familiari consuetudine æstimare eam possim, ac dicere: Verè *per omnia rectè nouit viuere, quæ sic nouit orare.* Sed quid faceret magistra pietatis, quàm vt doceret primitias omnis laboris Deo offerre, & quidquid est posterioris operis nostri, id Numini per orationem consecrare, & ab illo qualiscunque negotii nostri facere principium, à quo principium fecimus vitæ? Inire viam, salutem dicere, obseruire, tum gratulari de conceptu vetulæ materteræ certum illi erat, neque hæc tam bona opera benè fieri posse putauit, nisi Deo primùm consulto, & implorato.

Habemus quod imitari magnopere debeamus, quotquot literarum qualiumcunque studio exercemur, vt nunquam insalutato Deo ad libros accedamus, & tunc solùm nos vel omnia, vel certè plurima facilè, ac rectè assequi ingenio, & intelligere posse credamus, si animo inter has vitiatæ naturæ tenebras posito facem ardens oratio præluxerit.

Seraphica nostra S. Catharina Senensis nunquam Scholas vel à limine salutauit, neque prima literarum elementa vel pingere, vel legere, ab homine docta fuit, & coram summis Pontificibus tamen, atque in medio purpuratorum Ecclesiæ Patrum consessu mulier dixit, grauissimisque legationibus apud magnos Principes perfuncta, etiam libros conscripsit, in quibus summi Theologi inueniunt, quod scire desiderent.

Atque vt recentiora promam, Sancti Didacus ex Ordine Minorum Laicus, & Theresia Virgo nullo vnquàm homine Doctore, nullo studio humano vsi tantam sapientiæ magnitudinem sunt assecuti, vt viri sacratioris literaturæ peritissimi eos de rebus sæpè difficillimis, & abstrusissimis tanquàm oracula quædam consulere necessum habuerint.

Vnde illiteratis mulieribus, vnde viro Laico amuso tanta sapientia, vt docere possent viros scientiâ cultissimos, & peritissimos ipsi nullo homine Doctore vsi? Ad frequentatæ orationis lumen viderunt, ad quæ ingenio eniti viri sapientissimi sæpè non potuerunt, totos licèt neruos contenderent, & perdiu, noctuque totum semper ad contemplationem animum aduerterent.

Paulus Gentium Doctor, cùm apud Agrippam Regem (vt Actuum Apostolicorum liber c. 26. refert) pro se dixisset, tam hoc & sapienter, & efficaciter fecit vt festus quidam admiratus eius disertitudinem, & facundiam, sapientiamque, altum succlamauit: *Insanis, Paule, multæ te literæ ad insaniam conuertunt*; Act. 26. 24. Vnde verò Paulo scenopego, & pellicem sutori, (vt eum Chrysostomus vocat) literarum tanta copia? Plurima inter raptum in cœlo vidit, multa *secus pedes Gamalielis* didicit Act. 22. 3. Neque pauca ex crebra librorum lectione habuit, quam tam vehementer amauit, vt in vinculis, & carceribus legendi illum fames inter vitæ satietatem teneret.

Cùm alteram suam ad Timotheum daret, tam certus erat proximè impendentis mortis, vt diceret: *Ego*

Ego iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat; adderetque: *Festina ad me venire citò, scilicet: tam breui è mundo recessurus erat,* inquit Sanctus Thomas l. 2. in c. 2. Tim. Et rogat tamen etiam illud: *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maximè autem membranas.* Et non dicat hîc aliquis cum D. Angelico: *Quorsum requirit libros Apostolus plenus Spiritu Sancto? Quantò magis appropinquabat morti, tantò magis instabat studio scripturarum*, inquit idem sanctissimus Doctor. Et noster Hugo addit, hoc fecisse, *vt alijs daret exemplum studendi, aut enim volebat studere, non obstante morte imminente,* (notate verba quicunque literas colitis) *vel alijs studium cõmendare.*

At si quidem Paulus inter vincula dabat operam libris, dabat & precibus. Sic enim habet sacer Actuum Apostolicorum Autor. *Custos misit eos in interiorem carcerem, & pedes eorum strinxit ligno, media autem nocte Paulus, & Silas orantes laudabant Deum*; Act. 16. 24. Hæc illi exercitatio vsitatissima erat, huic dabat otium quodcunq; ab alijs negotijs reliquum, hinc ergò etiam illi tanta literarum affluentia, quantam humano studio nemo comparare posset, si etiam vsque ad insaniæ, ac maniæ certum periculum labori sese traderet.

Hoc orationis studium vel ab Apostolorum, & Orbis magistra Virgine Matre discite, Auditores, quicunque discere cum fructu, & profectu vultis, & cæterum rectè viuere, tum agere.

Ab oratione ergò assurgens, iterq; ingressa, Deo intrà ventrem, & mentem incluso comite *abijt in montana*, idque *cum festinatione.* Magnum aliquid subsit necessum est, cùm Virgo hæc domo suâ digreditur, publicumque subit, quam Isaias *Ahalma*, hoc est, *absconditam* nominandam putauit, cùm de eius conceptu vaticinaretur, vt simul eam solitudinis fore amantissimam prædiceret.

Inter plurimas causas, ob quas scripturæ periti descriptum Orbem vniuersum à Cæsare Augusto aiunt, eam vnam esse volunt, vt hac necessitate Virgo Deipara partui vicina domo suâ euocaretur in locum, vbi ventris sui fructum benedictum diu expectato enixu erat depositura, quasi vrbes vrbibus, & regiones regionibus, & orbi orbem misceri oportuerit, vt vnam Virginem commune præceptum in publicum à suo recessu extraheret. Grauissima ergò rerum maximarum pondera fuerint, quæ Virginem nostram hodie non solùm domo exciuerunt, sed incitârunt etiam vt festinatò (quod mulierem vix decet, nisi necessitas honestet) per viam deproperaret.

Origenes, & ex illo Titus Bostrensis, & S. Thomas in sua cat. aur. & posteriores plerique aiunt, quòd Virgo maturauit iter, id eò factum, quoniam IESVS, qui in vtero illius erat, festinabat Ioannem in vtero Matris eatenùs positum sanctificare, & à genitalis noxæ labe emaculare. At quia *Ioannes*, vt Bostrensis loquitur, *non priùs repletus est Spiritu Sancto, quàm ea, quæ Christum Dominum vtero gestabat, sese illi adiunxisset*, Virgoq; ipsa hoc ita Numini decretum nouerat, (vt talium mysteriorum conscia erat) festinandum putauit, & percurrendum iter, vt citam Ioanni etiam ipsa salutem cum salutis Autore adferret.

Cùm Deum ex Deo concepit, simul Filij Dei, & filiorum hominum, nostra, inquam, mater effecta est. Dei simul & nostra mater! Omninò, inquit noster Hugo, ob id etiam inter mulieres benedicta dicta, quòd & Filio Dei nobilitata, & multitudine sobolis fœcundata, quia in vnico Filio Mater effecta est specialiter Electorum, quorum primogenitus Christus, quem primogenitum cùm Lucæ 2. peperisse dicitur, aliorum prætereà liberorum secundo-aut cum primo-genitorum Matrem fuisse indicatur. Mater ergò, & Domina etiam hominum effecta simul curare illos cæpit, & currere, vt Ioanni mortuo vitam adferret, Elizabethi fœtu prægrauatæ obseruiret, demùm quæ Matris sunt, omnia diligenter, & officiosè faceret.

Cùm sacramentis plena sint omnia, quæcunque Apocalypsis habet, tùm illud mysterio plenissimum, quòd Ioanni visa est pedibus Lunam calcare mulier, quæ ex S. Bernardi, aliorumque Interpretum sensu Virginem Matrem monstrabat. Sed quid Luna sub pedibus? Pernicitatem adumbrabat, quâ Virgo Beata in omnes sublunaris mundi vsus aduolat, nec vtcunque festinat. Lunæ cursus concitatior est, quàm cuiusquam planetarum reliquorum. Saturnus post annos triginta vix redit ad punctum, à quo digressus, Iupiter post duodecim, Mars post duos, Sol post dies 365. & horas nonnullas, Venus, & Mercurius idem ferè tempus consumunt: At Luna diebus non ampliùs viginti septem, & horis aliquot totam sphæram motu proprio quàm otijssimè transit. Mulier ergò Apocalyptica mulieris Virginis, ac magnæ magnum signum Lunam calcauit, vt ex mobili scabello intelligeres, quàm celeres promoueat pedes, quoties necessitas humana opem illius postulat. Hodie cùm Dei, & hominum Mater primùm effecta est, velut tale Lunæ vehiculum inscendisset, quod Matris est, quod Dominæ, quod superiorum omniũ

ergà subditos officium, properauit, vt citum ferret laborantibus liberis subsidium.

Huc iam meo pondere cadit, quod ex sponsione proxima defendendum, quare solius Petri vmbra sanârit ægros, & Pauli sudaria, tum semicinctia depulerint morbos, exturbârint dæmones, quod Act. liber de Petro cap. 5. 15. de Paulo cap. 19. 12. refert. Vultis expeditam, facilem, luculentam, sed aliam, & aliam in vtroque Apostolo rationem? Sine emblematis rem vobis nudam, vt est, exponam.

Petrus erat caput Orbis, Pastor gregis Christi, Pater Christi-fidelium. Illius ergò vmbra, quæ à præsente corpore nascitur, depellebat infirmitates, vt intelligas, salutis liberorum, & subditorum, & familiæ, & Discipulorum magnam partem in Parentum, Magistrorum, Superiorum præsentia esse positam, & graues sæpè morbos curari, modò inumbrent, modò coràm adsint, qui ex officij conditione præsunt. Multa & corporis & animæ vulnera vel persanarent, vel præcauerent superiores, & quotidiana velut miracula facerent, si vmbram subditis facerent. Stuprum passa est Dina, cùm se cupiditate videndi fœminas alienas ab vmbra Patris sui Iacob abstrahi passa. Commune hoc est iuuentutis, atque vtinam non tam familiare, ac frequens malum, vt ardorem, vulneraque incurrat pudicitiæ, dum se refrigerijs subducit Superiorum, & Parentum, præceptorumq; vmbræ. *Inter propinquorum*, adde superiorum *lumina non valent delicta versari, dies est aspectus Matris, sol Patris*, ac Præceptoris *rutilat in vultum*, inquit S. Petrus Chrysologus serm. 1. Nemo in meridie ob ipsos solis oculos peccat, nisi cum fronte mentem exuerit, quia *qui malè agit, odit lucem.* Ita nec liberi, nec discipuli, nec subditi flagitijs sese dedunt, vbi Parentes, vbi Præceptores adsunt. Quid ita? Inter eorum lumina non valent versari delicta, vt quorum vmbra tales animarum pestes fugat, & procul facit.

Iam Paulus Doctor orbis erat, adeò illius sudaria, & semicinctia morbos, dæmonesque depellebant. Quid adeò? Quoniam qui docendi munere funguntur, tantosque huc adhibent labores, vt studendi, intelligendi, explicandi conatus, & contentio excrementitium illum toto corpore fluorem exprimant, vt abstergendo vix illum satis sit linteū, tam impigrorum, ac indefessorum Doctorum, seu Magistrorum sudaria, & semicinctia sunt prodigiosa, nam peccata, hoc est, pessimos, & maximos dæmones, vt ille vocat, exigunt, & depellunt, dum illorum naturam, ac fœditatem, periculaque detegant, & multiplicem sæpè ignorantiæ, errorum, hæresum cœcitatem ab animo depellunt. Idcircò Pauli Doctoris sudariis tanta curandi vis, & efficacitas inerat, vt hinc omnes qui docendi prouinciam obeunt, acciperent, tunc se plurima apud Auditores curationum genera facturos, quando officio suo ita insudarent, vt non sudario tantùm, sed etiam semicinctio illis opus esset, ne delapsus superné fluor turpare vestes posset.

Nemo hæc à me huc coactè adducta dicat, cadunt nimirum in Virginem, quàm quæ maximè. Facta est illa hodie Domina, & Magistra mundi, ex quo Dominum, & lucem mundi gestare vtero cœpit. Itaque simul & inumbrare Ioannem seruum suum, & laborioso, præproperoque itinere desudare debuit, vt tum illum, tum Parentes eius de multis, quæ hactenus ignorabant, institueret, sicque iam & vmbrâ, & sudario, & semicinctio optima Domina, infatigabilis Magistra curaret.

Multa hîc perfunctoriè attingenda sunt, & obiter delibanda magis, quàm pertractanda, in tanta copia laudis, & inopia temporis. Ex operibus Virginis duo indicauimus, scilicet à quo opere exurrexerit, & cur viam festinatò inierit. Age de potentia illius vel subindicemus aliquid. Ambrosius & Glossa Ord. de hac sic habent: *Citò aduentus Mariæ, & præsentia Dominicæ beneficia declarantur.* Quæ illa? Ioannes, ac deinceps Parentes illius implentur Spiritu sancto, dum Maria loquitur, velut is se per os Virginis in illos exonerârit. Iam & Elizabethen magna humilitas inuasit, & deuotio singularis, cùm illius tectum Virgo Dei Mater subiit. *Non enim tam clamosa fuit, quàm deuota*, inquit Glossa interlinearis, quando magnâ voce exclamasse fertur; *Benedicta tu in mulieribus, &c.* Et quale illud potentiæ ostentum, quod Ioannes in vtero Matris præ gaudio exultauit, ac subsiliit, atq; intrà obscuras illas angustias, vt noster Vincentius habet, capite prono, totoque corpore ad reuerentiam composito vix incarnatum nondum natus humillimè adorauit! Sed hoc totum factum, ex quo facta est vox salutantis Virginis in auribus Matris eius.

O Auditores colite hanc Virginem, & colendos vos illi præbete, quia potens est, & potentiam suam ita omnem ad nostros vsus conuertit, vt propè non agnouerit suum, quem vtero gestabat, filium, dum recoleret, quòd ille potentiā suam nō aliò, quàm ad salutem hominum conuertisset. *Exultauit spiritus meus*, inquiebat, *in Deo salutari meo*, saluatore

meo,

meo, quia licèt ab initio conditi mundi Saluator fuerit, officium tamen saluatoris tunc assumpsit, quando factus homo. *In saluatore meo*, inquit, *qui per possessionem est proprius mihi, qui totum corpus eius, mediante quo saluet, meum est.* Ita Caietanus. Post hæc verò ait Virgo: *fecit potentiam*, subaudi Pater, *in brachio suo.* Brachium Dei vocatur Christus ratione naturæ humanæ, quæ est velut organũ coniunctum Dei, sicut brachium est organum coniunctum hominis. At si propter eandem naturam humanam à Virgine acceptam Christus vocatur & salutare, siue Saluator, & brachium, cur non vocat suum brachium, sicut suum salutare, aut saluatorẽ? Quia quà Saluator, potentiam suam ad hominum salutem conuertit: Ille verò meus est, inquit illa, sed quà brachium, dispergit, & disperdit homines, sit ergò Patris brachium, meus autem est Saluator.

Vnum pro coronide obseruate cum nostro Hugone, quòd Virgo salutem attulit iis, qui intus erãt in domo Zachariæ. Quo mysterio? Hoc inquit magnus Card. *quòd qui extra vagantur*, qui de nihilo se abstrahi sinunt à locis, vbi Virgo colitur, & salutatur, *indigni sunt salutatione Mariæ.* Esau qui foris erat, amisit benedictionem Genes 25. Et qui amant salutationes in foro, vel conuiuiis, habent suas benedictiones, sed non Mariæ, quin tales sunt, quibus Christus væ dicit.

Discamus ergò nos ab illa crebrò, ac libenter orare, & hoc ante opera nostra alia discamus, & alacres esse ad officia mutua, & libenter desudare siue studendo, siue aliis modis laborando pro aliorum profectu, & amemus adesse vbi salutatur Maria, quia ex salutatione Mariæ replebimur gratiâ, vti repleti sunt Spiritu sancto Ioannes, & Parentes. Dixi.

De Assumptione B. MARIÆ Virginis.

Autore ALEXANDRO CALAMATO *Messanensi Clerico Italo.*

Interprete F. Ioanne Freylinck Ord. Præd.

Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Cant. 8.



Nsigne, & gloriosum fuit illud encomium, quod populus Bethuliæ cecinit sanctæ Iudith quando illa ab hostilibus phalangibus victrix cùm diuite, & ingenti trophæo, superbo, inquam, capite arrogantis Holofernis rediit. Elogium illud sic habebat: *Tu gloria Ierusalem, tu honorificentia populi nostri*, Iudith 15. c. At multò gloriosior, multòque præclarior, & admirabilior ea laus est, quâ cælorum cantores magnam Dei Parentem hodie ornârunt, quando ab huius sæculi hostilibus copiis cum trophæo, hoc est, contrito capite antiqui serpentis in illam cælestis Ierosolymæ felicem patriam beata, & immortalis triumphatrix aduenit. Cantorum autem istorum per choros alternatim, certatimque modulantium symphoniacum melos tale erat: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delitiis affluens, innixa super dilectum suum?* Quòd ad me attinet, non inuenio nomen, nec video titulum dignum illâ, de qua sancti Angeli inquirunt, in hoc illius tam triumphali die. Vellem illam cum Ioanne vocare miraculum paradisi, qui Apoc. 12. ait: *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta sole*; sed nihil noui dicit, quia miraculum illa fuit, quando etiamnum in terra nobiscũ degebat, de quo sanctus Epiphanius in serm. de laudibus Deip. sic dicebat: *O Virgo sacratissima, quæ exercitus Angelorum in stuporem deduxisti, stupendum enim miraculum in cælis mulier amicta sole, stupendum miraculum in terris, mulier gestans lucem in vlnis.* Meritò dicit Mellifluus Bernardus in serm. de Assump. *Christi generationem, & MARIÆ assumptionem quis enarrabit?* Nec Angelus, nec homo, neque terra, neque cœlum assumptionem hodiernam matris Dei pro dignitate dilaudare potest, vt quæ tota sit ineffabilis, tota ingenii nostri viribus superior. Sed quàmuis totum dicendo assequi non possimus, prorsum tamen tacere non debemus. Sic enim ait sanctus Hieronymus: *Si ad hæc nemo idoneus inuenitur, Votis tamen omnibus cessare non debet quilibet etiam peccator à laudibus, quamuis explicare nequeat, quod sentitur.* Itaque vel nonnihil dicere constitutum habeo, & ad duo capita omnem sermonem meum reuocabo. Primò explicabo dulcem, & suauem somnum mortis, quàm MARIA Domina nostra hodie oppetiit. Secundò exponam, si possum, magnificum triumphum, quo cum in cœlum est assumpta. Ordiamur.

I. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, &c.* Omnes filii Adæ, Auditores, sub expirantis vitæ extremam

tremam horam tribus plerumque subiacere solent miseris. Primùm torquentur pœnalibus, & acerbissimis doloribus, quos illis adferunt ardentes febres, & lethales infirmitates, quæ cor sensim inuadunt, auferuntque illi calorem vitalem, & membris vires suas natiuas adimunt, sic vt Ecclesiasticus c. 27. v. 32. dicat: *Dolor consumet illos, antequam moriantur.* Assultum ergò grauis, & insolitæ melancholiæ patiuntur, quæ inde nascitur, quòd proximam mortem cernunt, & post pauculas horas vitâ, quàm summè amârunt, orbandos vident, iuxta illud sapientis: *O mors quàm amara est memoria tua.* Eccl. 41.

Demum quæ lingua effari queat timorem, & terrorem, cui subiacent moribundi, interim dum animæ oculis arbitrantur hinc flagitiorum, & enormium scelerum à se perpetratorum multitudinem, inde exercitus dæmoniorum infernalium, quæ illis in memoriam reuocant grauia vitæ indignè actæ errata, studentque illos inducere in desperationem, proponendo diuini iudicis sæpè, ac grauiter offensi seueritatem, & strictas rationes, quas pauló pòst sunt reddituri. Cuius rei cogitatio cùm Dauidi in animum incidisset, non sine copiosis lachrymis aiebat: *Cur timebo in die mala? Iniquitas calcanei mei circumdabit me;* Psalm. 48. Adiungatur omnibus hactenus dictis incertitudo propriæ salutis, nam vt sapiens Eccles. 9. affirmat, *nescit homo, vtrùm amore, an odio dignus sit.* Terribilitas diuinæ iustitiæ multis grauibusque iniuriis crebrò irritatæ tanta est, vt Apostolus dixerit Heb. 10. *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.*

Iam ab omnibus his tam cruciabilibus cogitationibus, quæ hominibus aliis communes sunt, per diuinam prouidentiam liberata Virgo benedicta fuit in felicissimo suo ex hac misera vita ad illam beatam transitu. Prima ergò gratia ea tunc illi facta est, quòd nullo grauata, vel oppressa dolore fuit, sed tradidit sanctissimam animam suam in manus Filii sui tanta cum suauitate, & dulcedine, vt tunc maiore iure dicere potuerit, quòd ante illam Rex Propheta Ps. 30. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* Præterea omni timore vacua, in morte fuit, itaque summopere desiderabat esse proximam horam extremam, quâ in cælis aspectu Filii sui gauisura erat idque eò ampliùs, quòd nunquam culpâ quapiam inquinata fuit, quæ conscientiam sub vitæ finem acerbè torquere solet. Neque in illa locum habuit timor seueri iudicis Dei, cùm sciret, se fuisse cumulatam diuinis gratiis, & confirmatam in bono, & certiorem redditam de sua beatitudine, & gloria. Denique cùm semper ab Angelorum copiosa multitudine custodita fuerit, necessum est dicere, in morte nihil molestiæ passam à spiritibus reprobis, maximè cùm illi ipsius Virginis ita semper pertimuerint præsentiam, vt Richardus de S. Victore in c. 6. Cantic. dicat: *Etiam ipsis principibus tenebrarum terribilis fuit, vt ad eam accedere, eamque tentare non præsumpserint.* Cùm ergò Virgo ab omni labore, & dolore immunis esset, gaudens, ac lætabunda benedictam, & beatam animam tradidit Deo, S. Ioannes Damascenus Orat. 2. de dormit. Virg. in hanc rem sic ait: *Sicut antequam vllo partus dolore afficeretur, peperit, ita etiam ipsius ex vita discessus doloribus caruit.*

Et quid mirum sit, quòd in morte omnis labor, & dolor à Virgine procul abfuit, & anima illius præterea sacro è corpore cum suauissima dulcedine, & summa voluptate exempta fuit? Legite, Auditores, quòd de Moyse in Deuteronomio narratur, cùm hora mortis eius apperiisset, cùm inexplicabili dulcedine illum subitò spiritum Deo reddidisse, eò quòd fidelissimus illius seruus semper fuerit. *Mortuus est Moyses seruus Domini iubente Domino*, inquit sacer scriptor ibi c. 34. quod ex Hebræo alii sic reddunt: *Mortuus est Moyses in osculo Dei*, velut inter complexus Dei, absque vllo conflictu, & agone, immò cùm ingenti teneritudine, & suauitate animam egerit, neque senserit dolores, qui alios morientes afflictare solent. Iam si Moyses, quia seruus Dei fuit mori suauiter, & cum inexplicabili dulcedine, multò dignior fuit Virgo mater eo priuilegio, & beneficio, quod Moysi Deus præstitit, adeòque cum summa voluptate deposuit animam suam in manibus creatoris sui, & filii, sic vt cruciatibus mortis nec momento subiacuerit. Hoc est, quod S. Ildephonsus serm. 3. de assumpt. his verbis affirmat: *Ad vocem dilecti sui, veni dilecta mea, gaudens & ridens soluta est illa beata anima Virginis, & perrexit ad Dominum, & quæ dolori non subiacuit in partu, nec labori in transitu.* Et S. Damascenus Orat. 2. de dormit. Virg. hæc adiungit: *O res summæ admirationis plena! Mors, quæ odio & execrationi priùs erat, hic commendatur, & beata censetur, quæ olim luctum, & mærorem, lachrymasque, & tristitiam offerebat, nunc gaudii, & lætæ celebritatis causa.*

Accedat ad omnia dicta, quòd Deus ad maiorem Virginis lætitiam voluit, vt Apostoli, qui toto terrarum

rarum orbe disperfi erant, miraculo confluerent, præsentesque essent, cùm illa beato transitu hinc emigraret. Ita scribunt SS. Damascenus vbi suprà, & Germanus in Orat. de Assumpt. Hi ergò simul congregati submissis in terram poplitibus primùm illam adorarunt tanquam veram incarnati verbi matrem, deinde non sine abundantissimis lachrymis, & crebris, expectoralibusque suspiriis cœperunt dolere vicinam eius mortem, rogâruntque illam, vt sui bonam apud Filium memoriam haberet. Ipsa illos in vicem consolabatur, hortabaturque remittere dolorem, quæ de morte eius illis nascebatur, & voluntati diuinæ se accommodare, gaudereque potiùs de felici ipsius ad cælestem patriam emigratione. Tum Filium precabatur, vt illis, quos tanquam singulares amicos delegerat, in omni ipsorum necessitate succurreret, & suâ gratiâ cumularet viuos, & gloriâ coronaret mortuos. Denique eleuans sanctam manum omnes suâ benedictione impertiuit. Cùmque iam beatissimi abitus illius hora extrema appetiisset, subductis in cœlum oculis, vidit portam paradisi aperiri, vt affirmat S. Damascenus, benedictumque Filium totâ Angelorum aulâ, magnoque agmine Patriarcharum, Prophetarum, Martyrum, Virginum, aliorumque beatorum stipatum descendere ad excipiendam animam eius, intrà cuius vterum animatum corpus assumpserat, absorptaque fulgentissimâ, & elegantissimâ Filii specie inter Angelorum cantum, & Apostolorum planctum benedictam animam suam in manus Christi exhalauit, qui amanter, ac dulciter eam complexans in cœlum deportauit. Hac de re sic ait S. Hieronymus in serm. 1. de Assumpt. *Nulli dubium est, omnem illam cælestem Ierusalem tunc exultasse ineffabili lætitiâ, nec immeritò, creditur enim, quòd Saluator omnium ipse per se totus festiuus occurrit, & cum gaudio eam secum in throno suo collocauit.*

Quænam gloria maior hâc excogitari potest? Quis vnquam pari cum honoris magnificentia ex hac vita emigrauit, ac Regina hæc, quæ in sua morte coràm præsentes habuit & Apostolos, & Prophetas, & Patriarchas, & Angelos, & horum omnium Dominum Dei Filium? *Felix planè Maria*, inquit S. Bernardus serm. 1. Assum. *& multipliciter felix, siue cùm suscepit Saluatorem siue cùm à Saluatore suscipitur. Vtrobiq; mira dignitas Matris, vtrobiq; amplectenda dignatio maiestatis.*

II. Consideremus nunc, Auditores, quid gloriæ Virginem à morte ipsius secuta fuerit. Prima est, quòd mox vt anima cum inexplicabili omnium Angelorum, ac Beatorum lætitia fuit illata cœlo, corpus tantam, tamque suauem exhalauit fragrantiam, vt illi, præsentes erant, viderentur sibi, non dico in Arabia felice, sed in ipsa peradiso versari.

Secunda gloria fuit, quòd Deus ingentem illius sanctitatem multis, & præclaris miraculis quamprimùm demonstrare cæpit. Nam vt Nicephorus lib. 15. histor. c. 4. refert, cùm frequens multitudo infirmorum ad tangendum sacratissimum cadauer concurreret, factum est, vt *præter spē, expectationemque omnem* redirent domum benè oculati. Alij erant surdi, & redibat illis ex attactu auditus. Alij erant claudi, & reuertebantur ad suos expeditis pedibus.

Cùm hæc tam insignitorum miraculorum noua per vrbem Ierosolymitanam dissiminarentur dici non potest, quanto numero ij, quibus ægrè erat, concurrere cœperint. *Omne* autem *genus morbi solo attactu cessit & profugit.* Tertia gloria fuit, quòd cùm deferri ad sepulturam sacrosanctum illud corpus debuit, tam honorificis, & gloriosis exequijs cultum fuit, quàm nulli vnquam vel antehæc parentatum, vel parentari deinceps possit. Nam illud humeris Apostolorum exceptum fuit, qui in vallem Iosaphat cum beato onere contendentes, & per viam *mirifica*, vt Nicephorus loquitur, *carmina concinentes*, hymnisque, & laudibus magnam Dei Parentem celebrantes tumulo venerabile illius corpus reuerentissimè, ac pientissimè intulerunt. Adiungit Sophronius, quòd innumera Angelorum agmina feretrum coronârunt, & aërem harmonici concentus suauitate per omnem viam impleuerint. Ad aliorum sanctorum exequias celebrandas magno numero sæpè descenderunt Angeli, eorumque funera cantu, & laudibus cohonestârunt, animas verò ad thronum gloriæ vsq; comitati sunt. Facit hoc, vt indubitatum, persuassimumque nobis esse debeat, cœlestis militiæ exercitus maiore numero, & effusiore cum lætitia hoc die inde delapsos aduolasse, vt dominæ, & reginæ suæ supremum honorem deferrent; hymnisque & canticis spiritualibus suum gaudium testarentur. *Multò magis credendum est*, inquit Sophronius in ser. de Assumptione, *militiam cælestem hodierno die cum suis agminibus festiuè obuiam venisse Genitrici Dei, & cum omni gratulatione, canticis, & hymnis spiritualibus iubilasse.* Confirmat hæc S. Hieronymus vbi suprà, sic scribens: *Non credo vnquam in cælo solenniorem fuisse processionem, quamuis enim magna fuerit in Christi Ascensione, ista tamen videtur fuisse solennior.*

Cùm venisset Apostoli ad locum constitutum, vbi erat nouum, illudque marmoreum sepulchrum, ibi deposuerunt pretiosum illius corporis thesaurũ, circumstantesque illud toto triduo perseuerârunt in Dei laudibus. Et quoniam à Sanctissima Trinitate decretum erat, vt in Empyreum Cœlum adduceretur, non quidem quadragesimo post mortem die, vt existimabat venerabilis Beda, nec eodem, quo è viuis abijt, vt volunt alij, sed triduo postquam vitâ decesserat, vt sentiunt Nicephorus, SS. Ioannes Damascenus, Athanasius, Andreas, Cretensis, & Sophronius: Hinc est, quòd cùm Christus Filius illius vellet eam cum corpore, & anima cœlo inferre (quæ gratia nulli hominum quantumuis eximiâ sanctitate ornato hactenus collata fuit) hanc suam voluntatem toti cælesti curiæ indicauit, vt omnes hierarchiæ sese præpararent ad illam cum quanto maximo fieri posset, gloriæ, honoris, & magnificentiæ apparatu adducendam. S. Anselmus in lib. de laud. Virg. in hanc rem sic ait: *Crediderim omnes illius patriæ ciues festiuiori solito, & sublimioris nitoris decore ad aduentum Matris Domini sui præparari, ac nouâ quadam, & ineffabili iucunditate pro tantæ rei expectatione consubilare.*

Tertius iam dies agebatur, à quo animam illa egerat, venitque è cœlo Redemptor mundi, ingressusque suâ omnipotentiâ sepulchrum in quo exangue iacebat sacræ Virginis corpus formam præferens dormientis, talibus eam verbis expergefecit: *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, & veni*, Cant. 2. Et ecce amicissimâ hâc inuitatione, verbisque illis dulcissimis tanquam autor vitæ reuocauit animam beatam in corpus, & ineffabili splendore donorum impassibilitatis, subtilitatis, & agilitatis illud ornauit, quorum virtute prodijt illa è sepulchro tota perillustris, & splendida, atque ex templò cinctam se vidit innumerabilibus copijs aulicorum cœlestium, & in ijs diuinum suum Filium, qui cùm illi brachium offerret, dextrâ in illud incumbens aiebat: *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me*, Psalm. 72. cæpitque cœlum versùs ferri, & Angelico pro illius honore, & gloria illa plena admirationis verba modulari: *Quæ est ista, quæ ascendit de desertò, delitijs affluens, innixa super dilectum suum!* Cant. 8. Quibus tale quid, exponente Bernardo, dicere voluerunt: *Quanta est hæc, & vnde ei ascendenti de deserto affluentia tanta delitiarum? Nec enim pares inueniuntur delitiæ vel in nobis, quos in ciuitate Domini lætificat fluminis impetus, qui à vultu gloriæ voluptatis gloria petamur. Quæ est ista, quæ de sub sole (vbi nihil est nisi labor, & dolor, & afflictio spiritus) ascendit delitijs spiritualibus affluens?* Hæc ille serm. 4. de Assump. Tanta verò fuit lætitiæ exultatio, tantus iubilus ciuium cœlestium, quòd cernerent tam magnificè, & amplè glorificatam à Filio Matrem, tanta etiam suauitas hymnorum, quibus illius laudes cantârunt, vt S. Bernardus dicere debuerit. *Quis cogitare sufficit, quàm gloriosa hodie mundi Regina processit, & quanto deuotionis affectu tota in eius occursum cœlestium legionũ prodierit multitudo, quibus ad thronum gloriæ canticis sit deducta?* Et S. Anselmus in lib. de excellent. Virg. c. 7. appositè ad ista dicit: *Contempletur omninò, qui potest, quo gaudio, quâ festiuitate, quibus concentibus iubilabant omnes beatorum spirituum ordines.*

Et quomodo poterat non exultare cœlum, quomodo non festiuissimè iubilare Angelorum chorus, quando videbat præsentem Dei sui Reginam Matrem, audiebatque dulcissima verba, quibus verbo æterno ex se incarnato affectuosas exanimitùs agebat gratias? Legite, Auditores, quid S. Lucas referat. Audiebat Virgo ex ore Angeli ad ipsam à Deo missi, grauidam esse Elizabetam iam vetulam, & celeri passu contendens ad montana Iudææ peruenit denique in domum Zachariæ, & brachijs deuotè, amanterque complexa cognatam suam, etiam reuerenter salutauit. Vt vidit Elizabet admirabilem præsentiam Mariæ in cuius virginali, & purissimo ventre verbum Patris humanâ carne vestitum latebat, audiuitq; verba humilis salutationis eius, exultare in aluo materna Ioannes, & aduentum Saluatoris sui, quia alijs modis celebrare non poterat, saltibus colere cæpit: *Et factum est, vt audiuit salutationem Mariæ Elizabeth, exultauit infans in vtero eius, & repleta est spiritu sancto Elizabeth*, inquit Lucas c. 1. Si ergò tunc, quando Maria sine vllo maiestatis apparatu, quando absque omni ornatu gloriæ, sed cum vulgari vestitu, & humili forma aduenit, continere, quin saltaret infans, idque propter summam lætitiæ voluptatem, quam ex eius præsentia in vtero Matris suæ percipiebat, & Mater ipsa spiritu sancto cumulata fuit, quàm incomparabiliter maius fuisse dicere necesse est illud gaudium, quo totum cœlum perfudit, quando vt Regina totius creaturæ circundata inexplicabilis maiestate gloriæ ingressa est beatam patriam, videruntq; Angeli suprà humanam illius venustatem, & formæ decentissimæ elegantiam, gloriosâque, & beatissimâ

eius frui præsentiâ cæperunt? Hæc est melliflui Bernardi commentatio, qui in serm. 1. de Assump. sic ait: *Quod si paruuli, & nondum nati anima liquefacta est, vt Maria locuta est, quid putamus, quænam illa fuerit cælestium exultatio, cùm & vocem audire, & videre faciem, & beatâ eius frui præsentiâ meruerunt.*

At subleuemus aliquantisper mentem ad contemplandam pompam, quâ cum in superam patriam inuecta Virgo benedicta fuit. Mihi sat erit, fuisse admirabiliter celebrem, & dignissimam visu, sic vt videatur gloriosior Assumptio Mariæ ascensione Christi, cùm hic non habuerit alium comitatum, quàm animarum beatarum, & Angelorum, illa verò non solùm à cæli palatinis, omnibusque sanctorum Angelorum choris conducta, verùm etiam, quòd multò ampliùs hanc magnificat festiuitatem, ab ipso Christo Deo, & homine comiter excepta fuit. In hac cogitatione fuit S. Petrus Damianus, cuius sunt ista: *Attolle oculos ad Assumptionem Virginis, & saluâ maiestate Filij inuenies, occursum huius pompæ non mediocriter digniorem. Soli quippè Angeli Redemptori occurrere potuerunt, Matri verò cælorum palatia penetranti. Filius ipse cum tota curia tam Angelorum, quàm Iustorum solenniter occurrens euexit ad beata consistorium sessionis.* Neque solùm Angelos habuit obuios Virgo solenni cum pompa cœlorum regiam ingrediens, sed etiam tota sanctissima Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus sanctus illi occurrit. Audite S. Bernardinum Senensem qui 3. p. ser. 11. art. 2. sic ait: *Non tantùm Dominus Iesus homo laureatus corpore glorificato, sed & ipse Rex Deus trinus, & vnus dici potest sacratissimæ virgini triumphaliter occurrisse.*

S. Anselmus vbi suprà inquirit causam, ob quam Christus, cùm in cœlos abijt, Sanctissimã Matrem suam inter miserias huius mundi hîc in terra reliquit, cùm illam secum adducere posset ad capessendam hæreditatem gloriæ, quo tempore ipsus eandem adijt, & obstupefactus illo Saluatoris facto, conuersus ad illum ait: *Quomodo potuisti pati, te in regnum gloriæ tuæ remeante, illam quasi orbatam in miserijs mundi relinquere, vt non eam statim tecum regnaturam assumeres?* Facti autem huius rationem perpulchram excogitauit, quæ est huiusmodi: Quòd in cœlos reuertens viæ comitẽ noluisti habere Matrem, id fecisti, *fortassis, Domine, ne tua cælestis curia veniret in dubium, cui potiùs occurreret, tibi videlicet Domino suo tunc regnum suum in assumpta carne petenti, an ipsi dominæ suæ idem regnum iam suum materno iure effectum ascendenti.*

Denique in tantam altitudinem euecta est, vt ex aliquorum Doctorum sententia proximè thronum regium Christi habeat suum locum, supráq; omnes Angelorum hierarchias exaltata fuerit mediatrix Dei, & creaturarum. *Tota Christianitas nouit,* inquit S. Anselmus ibid. c. 4. *quæ illam super omnes cælos exaltatam, & Angelicis choris prælatam certissimè credit.* Et S. Bernardus in ser. 5. super illud, *Signum magnum,* congruenter ad ista dicit: *Hanc super omnes Angelorum choros, super Cherubim quoq;, ac Seraphim exaltatam nefas est dubitare.*

Alij sunt in ea opinione, vt existiment virginem sedere in alio sublimi solio à dextris sui sanctissimi Filij, ad eum modum, quo ille sedet ad dexteram æterni Patris. Videre annon satis perspicuè huic adstipuletur veritati factum illud, quod tertius liber Regum c. 2. narrat. Voluit quondam Bethsabee Mater sapientissimi Regis Salomonis illum intrà conclaue regium conuenire, vbi ille in peropulento throno pompabiliter sedebat. Cum solertissimus ille Rex audiret, Matrem secum loqui velle, non solùm à magnifico solio descendit, neque tantùm ei occurrit, reuerenterque & perurbanè illam excepit, verùm etiam alterum elegantem thronum illi iuxtà suum constituit, in quo Mater sederet, cùmq; Salomon solium suum repetijsset, illa proximum inscendit, qui filio à dextris erat. *Positumq; est thronus Matri Regis quæ sedit ad dexteram eius,* inquit sacer scriptor. Iste pacificus Rex Salomon, inquit S. Ioan. Chrysost. est figura Christi Regis cœli, ac terræ, qui toti mundo attulit veram, & perpetuam pacem. *Salomon interpretatur pacificus,* inquit ille hom. 4. op. imperfecti, *quoniam pacificum habuit regnum, ita vt templum Deo ædificaret, vtens etiam ministerio Gentium, & figura fuit nostri pacifici Christi, qui confugientibus ad se per fidem Gentibus, & bonorum operum spiritualia tributa soluentibus pacificum habuit regnum, ita, vt viuis lapidibus non solùm Iudæis, sed & Gentibus vnum templum Deo ædificauerit viuenti.*

Mysticam Bethsabeam, & Matrem veram cœlestis Salomonis, qui de seipso Matth. 12. aiebat: *Ecce plusquàm Salomon hic,* possumus dicere fuisse virginem benedictam, quæ tunc ex domestico suo cubili in aulam regis æterni interiorem ingressa est, quando relictâ hac terrâ inferiore cœlum gloriosa iniuit. Si ergò Salomon tanquam gratissimus filius, vt suam ergà Matrem obseruantiam ostentaret, congru-

congruoque honore eam ornaret, comitatus aulicis illi obuiam iuit, atque vt decebat, veneratus fuit, Deum immortalem, quanto maiore cum honorificentia putatis dignissimam Matrem suam verus Salomon Christus excepit? Descendit è throno gloriæ, quem supernus Rex pacis occupat, sanctissimamque Parentem cum perhonorifica pompa excipiens & super omnes creaturas exaltans, ad maiorem eius gloriam thronum illi singularem excitari iussit, in quo à dextris illius perpetuum conquiesceret. Ita affirmat S. Bernardinus de Senis serm. 11. art. 2. & 3. dicens: *Contemplare mirificam oblationem, quia surrexit Salomon in occursum matris suæ, mirificam venerationem, quia adorauit eam, altissimam sublimationem, quia positus est thronus matris regis, immediatissimam coniunctionem, quia sedet ad dexteram eius. Surrexit igitur gloriosus Iesus in occursum suæ dilectissimæ Matris, & sicut benedictus Iesus sedet à dextris Patris, id est, in potioribus bonis paternis, sic virgo gloriosa in potioribus bonis filij sui Iesu iuxta illum in throno sublimata consedit.*

Vt finem faciam, Auditores, dico, quòd velut mundus non habet locum excellentiorem eo, quem dedit Maria Deo, quando descendit è cœlo, qui fuit purissimus illius vterus: Sic in cœlo non est solium opulentius illo, quod in Beata Patria obtinuit à Filio suo Maria. *Nec in terris locus dignior vteri virginalis templo, in quo Filium Dei Maria suscepit, nec in cœlis regali solio, in quo Mariam Mariæ Filius sublimauit*, inquit S. Bernardus serm. 1. de Assump. Tam admirabilis, tamque ingens est gloria hæc virginis, vt quemadmodum sol cùm in alterum hemisphærium commigrat, quantumuis innumeræ stellæ cælum adornant, aliud tamen nihil videtur, nisi nox obscura, & tenebræ: Ita si virgò è cœlo tolleretur, tametsi sancti reliqui omnes in eo manerent, velut atra nox locus ille Beatorum videretur; cùm illa sola possit gloriosum reddere locum illum, & clarissimum lumen toti mundo adferre. *Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, vbi dies? Tolle Mariam hanc maris stellam, quid nisi caligo inuoluens* exclamat iterùm Bernardus.

Quid iam nos faciemus, Auditores, cùm videmus tantâ Dominâ, tamque singulari patronâ nos destitutos? An tristem in mærore vitam transmittemus, quia tanto bono non gaudemus? Ita conuenire videtur. Verùm sanctus Bernardus deuotissimus huius virginis cliens nos consolatur, dicens, quanquam cœlum ex diuina ordinatione nobis abstulerit Mariam quæ erat magnum bonum, & tum ornamentum, tum adiumentum nostrum, id tamen verissimum esse, quòd illam obtinuimus patronam nostram, postquam ex nobis in cœlos abijt, vt dicere homo possit, præmisisse illam aduocatam, vt tanquam Mater misericordiæ, & summi Dei, negotia, quæcunq; ad salutem nostram spectant, meliùs, potentiùsque procuret. *Aduocatam præmisit peregrinatio nostra, quæ tāquā iudicis mater, & mater misericordiæ suppliciter, & efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit.* Hæc ille serm. 1. de Assumpt. Ex his conficit Doctor mellifluus, quòd homines potiùs lætari debeant, quàm contristari in hoc sacrosancto assumptæ in cælos virginis.

At quid nos faciemus in hoc felicissimo die, quo ex hac vita mortali abijt Virgo, & cœlestem patriam ingressa est, facta Regina cœli, ac terræ? Omnes terræ affusi dicamus ei. O Virgo benedicta cœli, ac terræ imperatrix lætatur anima mea, quòd te tam vehementer magnificatam videt! O quantùm gaudet cor meum consideratione beatitudinis, & felicitatis tuæ! Quisque nostrum ex penitissimo animo ad te suspirans, benignum à tua benignitate expectat subsidium, & auxilium. Roga Virgo Mater Filium tuum, vt peccata nostra nobis condonet, & miseri corporis vinculis exsolutos in cœlum beatos perducat, vbi tu nunc viuis per omnia sæcula sæculorum, Amen.

De eodem Festo Beatissimæ Virginis Assumptæ.

Autore Interprete.

Maria sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius. Luc. 10.



Vditores. Non me vel naturæ conditio, vel gratiæ dignatio Angelum fecit, Angelorum tamen vocibus compellare Angelos, ac dicere. *quid statis aspicientes in cœlum?* Ob id audeo, quòd illos inter suauia suspiria, ac dulces lachrymas fixis nunc in cœlum, nunc in se mutuò obtutibus talia alios ex alijs percontantes audire videor: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delitijs affluens! quæ est ista! quæ est ista!* quasi in admirationem, ac stuporem eos verterit triumphalis è mundo Reginæ suæ Dominæ nostræ abitus. Sed quid illud scitamini, Angeli attoniti? Fortè an inter mulieres cæ-

teras

teras non eam noſtis, vt hanc ob cauſam, quæ ſit, interrogetis? Splendicat adeò vultus eius, vt radiorum micatu orbem vbiquę impleat terrarum, & inter hos vobis obſcurum eſſe queat, quænam illa aſcendat? Quæ mulier alia talẽ capite coronã, quæ tãlé reliquo corpore veſtitũ, quæ parẽ ſeu formę elegãtiã, ſeu gratiæ magnitudinẽ, ſeu gloriæ maieſtatẽ præſe tulit, qualem hæc, quæ nunc cœlos petit vt vos huius dubios illa faciat? Matrem Dei cœlorum Reginam, orbis Dominam, tantis cœlum dotauit, & ditauit meritorum copijs, vt inferiora ſint hominum, & Angelorum merita, vel ſi in vnum cumulum componas omnia: & quæ ſit iſta, quæ aſcendit, quæritis, quaſi alia eſſe poſſit, quàm quæ ab æterno electa vt Deum mater pareret? Immò immò ea ipſa eſt, quæ inter fœminas nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem, ea eſt, quæ virgineis plantis caput Acherontici ſerpentis contriuit, ea eſt, quæ tametſi creaturarum omnium puriſſimam, ſanctiſſimam, Deoque cariſſimam ſciret, ſibi tamen vileſcebat, interque famulas Dei ſe deputabat, adeò *ſecus pedes illius ſedebat*, vt verbum illius audiret, obedire parata, quidquid iuberet? Ea eſt, quam tanto cum plauſu, obſequio, famulatu omnium cœleſtis regiæ aulicorum procerum inter gloriæ ſplendores ſereniſſimam ſumma cœlorum adire faſtigia cernitis. Agite ergò beati Angeli, & vertite ſtuporem in hilaritatem, in iubilos admirationem, & choros chori omnes ducite, & noua gaudia nouis cantibus concelebrate. Sed cùm hæc Angelos rogo, quid nos faciamus, non ſatis video. Deſtituit nos hæc dies matre, ſed quali matre? Orbitas ea planctum requirere videtur, cùm è contrà plauſum exigat non tolli modò exemplum, ſed & matris in tantam ſublimitatem prouectæ meritum. Rem tamen attentiùs conſideranti, videtur prorſus id faciendum, vt & Virgini, & nobis gratulemur de illius in cœlos Aſſumptione, & tam fœlici, quàm beato, ac ſperato abitu. Tres huius rei cauſas producam, ijſque totam orationem abſoluam, dum vos interim, quod oro, atque obteſtor, attentos habeam.

MARIA ſedens ſecùs pedes Domini, &c.

I. HOdie *MARIA Virgo cœlos aſcendit, gaudete quia cum Chriſto regnat in æternum.* Ita canit Eccleſia, eoque primam cauſam reddit, cur & illis, & nobis gratulari debeamus, quòd DEI Parens hodie primùm cum DEO regnare, & ſyncero ſemel gaudio perfrui cæpit, cuius nulla antehac fuit, mera quia nulla abſque mœrore voluptas. Recurre animo per omnia Virginis feſta, & gaudia, inquit deuotiſſimus Granatenſis ſerm. 3. de hoc die, inueniesque nihil illi tam fauſtum ac felix eueniſſe, quod non aliqua triſtitia interpellârit. Magna fuit lætitia, quando mundi Saluatorem Virgo eſt enixa, quam & Angeli cœleſtibus canticis, & diuinis laudibus cumulârunt: Sed huic lætitiæ negatus toto oppido hoſpitij locus, ſtabuli horror, & indignitas, duritia præſepij, pauperes panni, & infantis, tum lactis inopia, plurimum detraxerunt. Magna fuit Virginis lætitia, cùm octauo à natali die dulciſſimum, ac reuerendiſſimum nomen IESV (*quod eſt ſuper omne nomen*) puero fuit impoſitum, ſed hanc ſubitus dolor excepit, quando tenellum puſionem ſuum ſimul lachrymas, & ſanguinem in Circumciſione verrere vidit.

Magna deinceps lætitia conſecuta eſt, quando Simeon, & Anna, ambo ſeneciones, ambo Dei ſpiritu pleni, tam præclarum Puero, cùm in templo offerretur, teſtimonium dixerunt, vbi *Pater & Mater mirabantur ſuper his, quæ dicebantur de illo*? Sed quàm citus hanc lætitiam abrupit luctus, quando ſenex poſt laudum præconia, etiam agones, & certamina filij, tum matris dolorem, & gladium, qui animam illius penetraturus eſſet, tanto antè ſignificauit, vt huius vnius præſagij felle totam amaricare vitam reliquam poſſet tantorum tam certâ expectatione malorum, vel ſi triſte aliud nihil occurreret. Iam verò Reſurrectionis feſtiuiſſimum gaudium, quanquàm magnâ voluptate totum Virginis animum infudit, recentis ſanguinis tamen, & paſſionis cùm acerbiſſimæ, tùm probroſiſſimæ imaginem ab eius mente non ſtatim penitùs aboleuit. Aſcenſionis porrò Dominicæ gloria, & lætitia quàm magna, & miranda fuit! Quid enim mirabilius, quid Deo homine dignius, quàm quòd in cœlum cœlorum Conditor, ac Dominus per medios aeris globos, vi propriâ penetrauit? At neque hæc lætitia omnis prorſùm doloris expers fuit, quod nullus inficiabitur, niſi qui velit fuiſſe ferrea, & abſq; ſenſu tenerrimæ Virginis viſcera, quæ viderint talem à ſe tam procul abſtrahi filium, ſeq; in hac ærumnarum valle orbem relinqui, nec grauiter mota fuerint. At verò huius diei gaudia nulla interpellauit triſtitia, huius lucis ſerenitatem nulla mœroris obſcurauit nubecula, huius feſti fuit mera, & ſyncera voluptas, nullis admixta doloribus, quo regnare cum Filio Mater in cœlis cæpit, vbi non eſt amplius

pliùs luctus, neque dolor, sed iuge alleluia per omnes vicos ab omnibus certatim cantatur, quià omnium est communis, & certa de perpetuitate lætitia.

Hæc ergò prima causa est, ob quam nos gaudere, & congaudere magnæ Dei,& nostræ Matri oporteat, quoniam hodie sæculo nequam erepta, vbi nulla sine tempestate dies,nulla sine fluctibus quies, & securæ stationis littus ingressa, Filioque suo, & toti Trinitati assidens meras captat ab eius intuitu voluptates, gaudia integra, synceram lætitiam. Et quis non congaudeat illi, quis de illius felicitate nō ex animo lætetur, quæ est causa omnis nostræ lætitiæ & mater felicitatis, illumque peperit, qui nos solus beare, & felicitare æternùm potest?

II. At si Virgini possumus, nobis certè gratulari debemus, quòd in cœlos euecta,Filio Iudici, Mater patrona perpetuò pro nobis supplex assidet, vt nullus tam deiecto sit animo, qui non facilè assurgere queat,dum cogitet,qualem apud Deum aduocatum habeat. Felices fuerunt semper liberi, qui bonis matribus cari, & commendati. Perierat Isaac domestico in præceps nactus exemplo, nisi mater Sara ædibus exegisset Ismaëlem,qui lusus non bonos iam cum illo ludere cæperat. Quòd Iacob benedictionem paternam (quâ illius æui, & populi homines Deo velut initiabantur) fratri suo Esau præripuit, hoc matri suæ Rebeccæ debet, cuius industria, & maior erga illum propensio fecit, vt illi non solùm pater præ germano fratre benè precaretur,sed Rachel quoque, & Lia connubio, & plurima deinceps felicitas fortunâ obueniret. Erat Ioseph patri suo Iacob omnium liberorum amatissimus si fortè puer beneuolentiam tantam ipsus meruit, at mater Rachel multò antè impetrauit. Moysen infantem fluuius hausisset idem, qui tot Hebræorum puellos alios,nisi ingeniosa matris eius pietas fiscellam scirpeam, & reliquam de 2. cap. Exodi tragædiam, quâ illum seruauit, commenta fuisset. Quòd primus à patre Dauide imperium Salomon adijt, hanc ei Bersabee gratiam mater eblandita fuerat. Quòd cum patre in gratiam Absalon redijt, non mater, sed matris tamen optimæ officio functa Thecuites fècit. O miseros Hebræos quo tempore Aman Assueri gratiosus omnibus illius regnis pro summa libidine moderabatur! Vnam ille omnibus fatalem diem dixerat, quo & contrucidasset, nisi Hester obuiam ijsset, quæ non auertit modò, sed in hostile caput conuertit perniciem. Sic & filij Zebedæi optatissimum causæ suæ exitum sperare poterant, si iustæ modò rei patronam matrem subornassent.

Quid non ergò speremus, quantumuis miseri mortales, de Virginis Matris patrocinio, quæ & eò impensiùs audit peccatores,quòd sine illis nunquàm facta fuisset tanto digna filio? Ludat coram nobis, quem volet Iudam Ismaël, non illudet tamen, dum mater nostra Sara saluti nostræ, vt facit aduigilet: Irrugiat, & insaniat Esau, & mortem intentet, non inferet tamen, dum illa mater Rebecca nobis consulat, & prospiciat.

Oderint nos fratres, nec possint nobis pacificè loqui, in cisternas, aut carceres abijciant, ac venundent demùm, gratia Rachelis faciet, vt primùm omnia patienter toleremus, postremò etiam pro compedibus torques induamus, & sceptra vinculis permutemus. Iubeat nos Pharao fluuio mergi, parata habet seruandi remedia mater, quæ vndequaq; affluit misericordiâ. Sit iustis de causis iratus nobis Dauid pater noster, Thecuites tamen nostra verbis suis animum illius expugnabit, vt noxarum gratiam faciat, vel si fratrum sanguine manus cum Absalone impiauerimus. Decernant in nos certam mortis sententiam quotquot circum nos hostiles exercitus, eamque & Regum suorum, & Principis adeò tenebrarum sigillo obsignent, & diem facinori certum paribus votis præscribant, Hester Hester nostra suo illos malo inuoluet, & omne à nobis in suos autores amolietur exitium, dum sit nostrum ad hanc quale Mardochæi ad illam tam enixum, tam plenum fiduciæ perfugium. Nam quæ Deum tam vehementer amat, quam nec ipsa verbis suis satis eloqui posset, ea deamare homines nequit ea non potest, quin nos plurimùm quoque amet, interque omnia discrimina seruet, ac sospitet.

Habet enim hoc eximium ille verus amor, vt quò magis ergà Deum inardescit, eò ergà homines ampliùs flagret. Vultis id peruetusto adumbratum mysterio oculis subijciam? Vigesimus quintus annus inierat, à quò Ezechiel, & populares eius transmigrârant, quando vir quidam æneum habitum præferens, Ezechielem procul inde in fastigiati montis summum cacumen abripuit, vnde inter plurima, quæ attentissimis auribus, & oculis arbitrarî iussus, vidit thalamum, quem vir ille, quà latum, quà longum, pari calamo est mensus: *Mensus est thalamum vno calamo in longum, & vno calamo in latum*, inquit textus sacer Ezech. 40. 7. Quid sibi velit hoc loco thalamus? Charitatis symbolum fuit, inquit Magnus Gregorius, in qua cœlestis Sponsus conquiescit, *Deus enim charitas est, & qui manet in*

in charitate, in Deo manet, & Deus in eo; 1 Ioan. 4. Huius thalami longitudini latitudo æqualis est, quià charitas quantùm se in Deum suprà erigit, tantùm se per fraternæ salutis amorem in latum porrigit, vt quò est in Deum æstuantior, eò fit in homines alios incitatior. Iam si Virginis ergà Deum charitas omni humano arbitratu plurimùm est superior, fit vt nec eâ parte metiri illam quisquam homo possit, quâ homines spectat. Etsi omnem humani ingenij mensuram amor Virginis ergà homines excedit, vt eam exæquare æstimando non possimus, lætari proinde infirmitas nostra suprà modum suum debet, quòd hodie primùm proxima Filio suo Iudici nostro sedere in cœlis cæpit Mater, cuius ergà nos charitatis magnitudinem vt scimus esse omni censurâ nostrâ maiorem, ita & nouimus esse omni miseriâ, & infelicitate nostrâ multò ampliorem, vt nulla nos possit tam profunda ærumnarum abyssus sorbere, nullum tam dissitum, aut ingens malum inuenire, quod illius charitas depellere non valeat, ac velit. Acceptam ferte doctam hanc commentationem sapientissimo Granatensi, ex cuius conc. 2. §. 3. de hoc Festo eam excerpsi.

III. Sed sperare benè de Virginis inexplicabili charitate, etiam sceleratissimus, & obduratissimus quisque potest, ac lætari ferè ille solus, qui morum imitatione filium, ac genuinum alumnum se Virginis probat, tam securus scilicet gratiæ virginalis, quàm certus, *quicquid in nobis est spei, ac virtutis, id totum* ab ea redundasse, vt S. Bernardus loquitur, *quæ ascendit delitijs affluens.*

Non possum, quin hoc loco vos compellem quibus suos aliquando noster deuotissimus Granatensis: *Quid nostra refert fratres*, aiebat ille, *quòd Virginis gloriam prædicamus, si ab eiusdem gloria communione ignauiâ nostrâ secludimur?* Addam hoc de meo: Quid verò, si charitatem illius ergà Deum, ac homines diu admiramur, & multis extollimus, neque similiter vtroque diligere curamus, vt de illa, Deo autem antè omnia in cœlis aliquando coràm gaudeamus? Sed quis nolit esse beatus ex Deo? Quis non ad istam felicitatem votis omnibus aspiret, vt post Deum virginem illius Matrem in gloria sua videat, de qua multa sæpè, quanta satis nunquam audiuit? Hæc languidis votis plerique optant, verùm incitatis, ardentibusque ac iustis desiderijs vix pauci efflagitant.

Audite hanc in rem ex suis confessionibus Augustinum: *Ille cœlestem hæreditatem verè, & ex animo desiderat, qui eam ijs, quæ in terra præstantissima habentur, facilè anteponit.* O Deus, quotusquisque nostrum cœlestem hæreditatem rebus terræ præstantissimus anteponit? Quotus verò est, qui non vilissima, & abiectissima illi præferat? Si enim quoties turpi cogitatu scientes oblectamur, tametsi ab opere abhorreat animus, lethaliter peccamus, & summo illi bono renunciamus, annon leuissima, & indignissima huius mundi antiquiora illo ducimus? Quod cùm facimus, quonam modo nos iusto eius boni desiderio flagrare dicimus?

Quoniam verò hæc peruersitas ab immodico rerum terrenarum amore proficiscitur, huc ante omnia necessum est exuat, cuius animus in cœlum anhelat, quisquis per scalam Iacob ad superos aspirat, cuius cùm multi sint gradus, infimus tamen à terra primus statim eleuatur, ex quo intelligimus terram primùm deserendam ei, qui assurgere in cœlum cupit.

Atque hæc terræ desertio non initium modò est, sed etiam pars iam magna, & portio sanctitatis: *Quemadmodum enim quæ Deo initiata sunt* (vt sacra vasa, altaria, &c.) *à prophanis vsibus secernuntur*, inquit Origenes, *ita qui verà sanctitatis amatores existunt, terrenis curis, ac rebus implicari minimè debent.* Hoc est, quod Petrus Apostolus obnixè à nobis postulat, cùm ait: *Obsecro vos tanquam aduenas, & peregrinos abstinere à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersùs animam*; 1. Petr. 2. Peregrinus omnes per viam delitias tanquàm itineris moras præterit, hospitiumque aliud ex alio mutat, nec alicubi diuturnam sedem figit, sed omnia loca media festinus transit, dum patriam anhelus petit. Tales peregrinos Petrus non omnes cupit rogatq; abstinere à carnalibus desiderijs, ne animas nostras à cœlo illa abstineant. Neque Petrus hæc primus cupit. Iam olim ante illum prædixit Dominus: *Omnes qui reliqui fuerint de vniuersis gentibus* (hoc est, omnes quotquot superstites persecutioni Ecclesiæ Christianæ) *ascendent vt adorent Dominum Regem exercituum, & celebrent festiuitatem tabernaculorum.* Mense anni septimo solenne erat Iudæis celebrare ferias tabernaculorum diebus septem, per quas sub vmbraculis agebant, vt eorum dierum recordarentur, quibus maiores illorum sub tentorijs, ac papilionibus vixerunt, quamdiu per desertum terram promissionis petierunt, vt habes Leuit. 23. Sed quid est hoc, quòd vnum illud tabernaculorum festum etiam à Christiano populo vult obseruari, qui cætera omnia antiquauit per aduentum Christi? Vult spiritualiter à nobis semper agi, quod

Iudæi hodièq; carnaliter obſeruant, vt omnia mundi domicilia, quocunq; illa titulo ad nos ſpectant, pro tabernaculis habeamus, & habitemus velut in tentorijs, & ſponte deſeramus, quæ neceſſariò in morte relinquenda, vt ſicut illi annos quadraginta deſertum tanquàm peregrini obierunt, fixamque patriam inquiſierunt. Ita & nos quamdiu in hoc corpore militamus, peregrinos mundi nos eſſe credentes, ad cœleſte regnum, quod nobis ab origine mundi eſt paratum, indefeſſo conatu pergamus, & ob id ſolum in hanc lucem nos editos intelligamus, vt breuis æui ſpatio pietatem colentes, & autorem tantæ felicitatis Deum debitis obſequijs promerentes, ſempiternæ quietis ſedem occupemus. Hanc verò ſpiritualem peregrinationem tantoperè à nobis Deus exigit, vt ijs, qui ſecùs faciunt, qui feſtum tabernaculorum ad morem Chriſtianum non celebrant, qui terrenis cupiditatibus tanquàm ciues per otium vacant, neque vt peregrini renunciant, minetur, imbrem cœli, hoc eſt, ſuam gratiam defuturam, quæ ſola mentem reficit, ſola eius ſitim extinguit, ſola terram cordis noſtri fœcundat, ſola feracem fructuum æternæ vitæ facit. Quæ verò grauior eſſe, quàm legis illa pœna poſſit? Nam quæ non infunditur cœli imbre terra, ea *ſpinas & tribulos profert, adeò reproba eſt, & maledicto proxima, & conſummatio illius in combuſtionem*, quo vos proximè Apoſtolico fulmine perſtrinxi. Sed quare hunc peregrini hominis affectum, & animum tantoperè nobis commendârit Dominus? Omninò quià intelligebat, omnium malorum noſtrorum cauſam eſſe, quòd in hoc mundo non tanquàm incolæ, ſed tanquàm ciues, & domeſtici conuerſamur. Sic enim ferè viuimus, ſic rebus terrenis affixi ſumus, velut ad hanc ſolùm vitam nati eſſemus, & neque iudicium à morte, neque vllum ſeu proœmium, ſiue ſupplicium expectaremus. Hi ſunt, quos Propheta in terra obliuionis degere ſignificauit, cùm ait: *Nunquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua, aut iuſtitia tua in terra obliuionis?* Pſalm. 87. Quid terram obliuionis appellas? Lethæas fortè aquas, quibuſcum defunctorum animæ omnium, quæ hìc geruntur, obliuionem præ foribus inferorum bibant? Riſu digna fabula. Habet tamen aquas harum ſimiles malus dæmon, quas plurimis affatim propinâſſe, omnemque ſui ipſorum memoriam ademiſſe videtur, vt nunquam finis cuius gratià à Deo conditi, nunquam eorum, quæ ad hunc finem conſequendum neceſſaria ſunt, recordentur. Hanc tu inhabitas terram, cuius animum nunquam ferè ſeriùs per omnem vitam cogitatus Dei, ac ſalutis tuæ ſubit, qui nunquam ad te ingrederis, vt intrà te rationem tui ineas, ac dicas: Quis me condidit? Ad quid condidit? Quis Autor, & quis finis vitæ meæ? Quid hactenus deſignauit? In quæ vitam, & annos expendi? Quis me exitus manet? Quæ ſors poſt hanc vitam? Qui vix vnquã talia, aut certè nunquam ſeriò cogitas, in terra obliuionis tanquam ciuis habitas exul, & peregrinus cœli futurus, niſi meliora poſthæc agas.

Sic enim ait Propheta: *Oblita es legis Dei tui, obliuiſcar & ego filiorum tuorum*. Oſ. 4. & Apoſtolus: *Ignorans ignorabitur*, funeſtamque illam vocem audiet: *Amen dico vobis, neſcio vos*.

Viuamus ergò in hoc ſæculo tanquam hoſpites, & aduenæ, vt viuamus in futuro tanquam ciues, & domeſtici, & in via ſe poſitum, donec in hac vita eſt, ſibi quiſque perſuadeat, vt non magis afficiatur animo præſentibus, quàm prudens, & feſtinus viator arcibus, arboribus, agris, ædibus, quas per viam offendit, ac tranſit.

Sed ais: Hæc ad eos pertinent, qui monaſteriis incluſi, & à moleſtiſſimis huius ſæculi curis feriati tam facilè in Deum ſe recipere poſſunt, quàm ſe omnibus aliis leuiter exonerârunt. Habet ſtatus noſtri religioſi felicitas, fateor, quod non omnis alius ſtatus, ſed Martha ſæpè nimiùm quantùm turbatur, de vno inprimis neceſſario non ſatis ſolicita.

Fortè Magdalena, & Martha tunc communiter viuebant, cùm ad illas Chriſtus victus gratià ingreſſus, adeò ex æquo ad illas res familiaris pertinuerit, ſed illa rem hanc tanquam peregrina curabat, hæc tanquam domeſtica, illa prudenter decernebat, non eſſe iuſtum *relinquere verbum Dei, & miniſtrare menſæ*, hæc ita totum inſtruendæ menſæ animum addixerat, vt & ſororem ab auditu verbi Dei auocare inſtitueret. Denique Mater Dei eadem Materfamilias fuit, *quæ manum ſuam*, hoc eſt, maritum (qui illi pro manibus erat) *miſit ad fortia*, ad opera fabrilia, *& digiti eius apprehenderunt fuſum*, vt & ipſa victum, veſtitumque filio compararet, quando ad hæc pauper ſenectio vix ſufficeret. S. Baſilius cap. 6. conſtit. Monaſ. ait, Parentes Chriſti, vtpotè tenues, & non ſatis copiis inſtructos, ſolitos in aſſiduis corporis laboribus verſari, & ſibi quotidianum victum comparare. D. Ambroſius ait, beatam Virginem fuiſſe domeſtico operoſam ſecreto, & ſcimus Marthæ officio ergà Chriſtum diu, multùmq; functam, & inter hæc tamen ad pedes Chriſti ſedere adeò amabat, vt S. Vincentius ex aliorum etiam

ſancto-

ſanctorum reuelatione dicat, ſæpè filium tenellum paulò adultiorem rogâſſe, vt varia ſibi de cœlo, ac vario animarum ſtatu panderet. Mariæ adiutorio Martha opus habet, nulla vobis proſperè cedent negotia, ſi prorſum negligitis otia ſacra. Optimam partem cum Maria eligite, & Deo pro ſtatus veſtri conditione vacate, qui Deo frui cupidi. Dixi, Amē. Amen.

De Compaſſione, & Doloribus iuxtà Filii ſui Crucem ſtantis Virginis.

Autore ALEXANDRO CALAMATO *Meſſanenſi Clerico Italo.*

Interprete F. Ioanne Freylinck Ord. Præd.

Stabat iuxtà Crucem IESV Maria Mater eius. Ioan. 19. c.

SPectaculum magis tragicum, luctuoſior, & lachrymabilior hiſtoria in ſacris literis nulla reperitur hâc, quam Euangeliſta Ioannes refert de martyrio magnæ Dei Parentis, cùm ait, ſtetiſſe proximè Crucem, tanquā ſpectatricem chari, & amatiſſimi filii ſui Ieſu Chriſti ex ea penduli: *Stabat iuxtà Crucem Ieſu Maria mater eius.* Et reuerà, Auditores, acutus fuit doloris gladius, qui benedictæ Virginis animam pertranſiit, quando in Caluariæ monte Cruci affixum ſuum Filium vidit, & ſanguinem, qui per ſpinarum vulnera ex capite manabat, & per clauorum fiſſuras ex manibus, pedibuſque profluebat, & nudum illū, qui agros floribus veſtit, & ſiticuloſum creatorem aquarum, & redimitum ſpinis, qui gloriâ coronat electos in cœlis.

Vt verbo dicam, omnium acerborum dulciſſimi Filii dolorum mœſtiſſima ſpectatrix Maria fuit. *Stabat iuxtà Crucem Ieſu Maria, &c.* O dolores! O cruciatus Virginis! Benè poteſt illa dicere omnibus vobis, quotquot huc concurriſtis, vt condoleſcatis illi: *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor ſimilis, ſicut dolor meus!* Thren. 5. De iſtis doloribus, de tali martyrio hodie apud vos diſſeram. Attendite.

Stabat iuxtà Crucem Ieſu Maria mater eius. Non credo, Auditores, poſſe acerbiorem in hoc mundo inueniri dolorem, quàm ſit patris, aut matris, qui occiſum ob oculos ſuos mori videant dilectum filium ſuum, omnis enim alius cruciatus nullus, ſi cum hoc comparetur. Hinc intelligetis inſignem mali dæmonis aſtum, quo ille, Deo ita permittente, magnanimum cor patientiſſimi Iobtis deiicere, & validum eius pectus ſubigere voluit. Quibus armis ad hanc rem eum vſum putatis? Audite, amabò, & notate malum peſſimi veteratoris diaboli dolum. Corruit domus fratris natu maioris, oppreſſitque, & extinxit non ſolùm filios, & filias ſancti Iob, ſed etiam totam familiam, & quotquot in eiſdē ædibus ab eorum officiis erant. Qui autem Iobti tam funeſta noua pertulit, his verbis ea recenſuit: *Filiis tuis, & filiabus veſcentibus, & bibentibus vinum in domo fratris ſui primogeniti, repente ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos tuos, & mortui ſunt, & effugi ego ſolus, vt annuntiarem tibi;* Iob 1. Sed dic mihi, ô infauſte nuntie, ſi domus corruens omnes oppreſſit, cur non omnes commemoras, qui ſunt extincti, ſed liberorum ſolam facis mentionem? O crudele inuentum? inquit Olympiodorus antiquiſſimus Eccleſiæ Doctor. Sciebat dæmon hunc eſſe intolerabiliſſimum cruciatum, quem adferre ſancto Iob poterat, propterea ſolam liberorum internecionem illi nuntiat, & tam funeſta noua ad ipſum perfert. *Germanæ prolis præcipuè meminit, vt iuſti naturam exulceraret.* Et poſtea ſubiungit: *Neq; enim dixit, ſuprà omnes, qui intus erant, cecidit, interfectorumq; omnium ſepulchrum vnum domus effecta eſt, ſed magis propria memoriam ei naturæ offerens, ac luculentas ei plagas infligens, dixit, cecidit ſuper filios tuos.*

O Virgo doloroſa, quid ſunt filii Iob cum tuo Filio vnigenito comparati, & quid mors illorum, ſi eam cum morte Ieſu Nazareni conferas? Dolor tuus profectò longè acerbior fuit quàm Iobtis. Propterea beatus Amadeus loquens de cruciatu Virginis, qui illi ex mortuo Filio natus fuit, ſic ait hom. 5. de B. Virg. *Torquebatur magis, quàm ſi torqueretur in ſe, quia ſuprà ſe incomparabiliter diligebat id, vnde dolebat.*

Nihilominùs inter tantas afflictionum tempeſtates, vides moribundum, & expirabundum delitium ſuum, armatâ inuictâ fortitudine validè obſiſtebat doloribus tam vehementibus, & *ſtabat iuxtà Crucem Ieſu* non corpore tantùm erecto, ſed & animo inconcuſſo, atque excelſo.

Tanquam rem stupendam refert sacra Scriptura id, quod accidit matri Machabæorum, mulieri, cuius par erat fortitudo, ac dolor, quando crudelem filiorum suorum internecionem vidit, qui illa coram præsente fuerunt occisi, adeòque *ferebat illa in oculis, quod in carne omnes*, vt aiebat S. Augustinus Serm. 109. de diuersis.

Idem dicere possumus de Virgine Matre spectatrice immanium Filii sui tormentorum: *Ferebat in oculis, quod in carne omnes.* Res est, quam nemo audire possit, qui non condolescens illachrymet, & tantæ fortitudinis consideratione non toto animo obstupescat. Hinc S. Cyprianus in lib. de exhortat. ad martyr. sic dicit de illa martyrum Machabæorum matre? *Tam grande martyrium Deo præbuit virtute oculorum suorum, quàm præbuerunt filii omnes passione membrorum*; velut aliis verbis dixisset! Siquidem sancti Machabæi passi sunt in corpore, mater propter omnes patiebatur in oculis, videns illos tam efferatè torqueri, concerpi, mutilari adustulari. Et apud S. Augustinum loco citato, *illa videndo in omnibus passa est*, & in se vna experta omnes pœnas, quibus filiorum suorum carnes atrocissimè laniari conspiciebat.

Iam si mater Machabæorum ita sensit cruciatus, & tormenta suorum filiorum, quid dicam de sanctissima Virgine, quæ Filium suum incomparabiliter vehementiùs amabat? Dicam, ex Filii doloribus corporalibus tam cruciabiliter exulceratam fuisse animo, vt nulla illud explicare lingua possit. *Non credo planè enarrari, vel cogitari posse dolorem Virginis, nisi tantum fuisse credamus, quantum vnquam dolere potuit de tali filio talis mater*, inquit S. Bernardus in Serm. de lamentat. Virginis.

Et reuerà, Auditores, nonné vobis videtur fuisse ingentem Virginis dolorem, cùm tam inhumanè crudeliterque tractari Filium suum coram videret? Quanto amarore putatis repletam fuisse illius animam? Ah tam acerbi, intolerabilesque erant illius animi cruciatus, vt maximæ voluptatis loco habuisset, si tunc mortua fuisset.

Cùm enim oculis suis arbitraretur pœnas Filii, vox illam defecit, tantoque dolore oppressa fuit anima illius benedicta, vt iucunda tunc mors accidisset, si quæ eam à viuis simul, & sæuissimis cruciatibus exemisset. In horum meditatione positus S. Bernardus ibidem dicebat: *Iuxtà crucem stabat emortua mater, quæ ipsum ex Spiritu sancto concepit. Vox illi non erat quia dolore attrita iacens pallebat, quasi mortua viuens viuebat moriens, nec mori poterat, quia viuens mortua erat.*

Hinc est, quòd nullum in sacratissimo corpore suo Filius passus est probrum, vel tormentum, quo non transuerberaretur cor, & anima luctuosæ Virginis Matris. Quot flagris, verberibus, spinis, clauis lacerabatur corpus Filij, tot spiculis configebatur anima Matris. *Quod in carne Christi agebant claui, hoc est in eius mente compassio naturalis, & affectionis materna angustia operabatur*, inquit Arnoldus Carnotensis. Idem S. Hieronymus his verbis affirmat: *Eius dilectio amplius fortis, quàm mors fuit, quia mortem Christi suam fecit.* Lancea, quæ Christi pectus ferijt, nullum illi, vt qui mortuus erat, dolorem attulit, solum autem matris cor transfixit. Sic affirmat mellifluus Bernardus vbi suprà dicens: *Ipsius planè non attigit animam crudelis illa lancea quæ ipsius aperuit latus, sed tuam Virgo, animam pertransiuit.*

Res est, Auditores, quòd Redemptor noster tempore amarissimæ passionis, & mortis suæ, quem pro peccatis nostris pertulit, cùm in illis doloribus versaretur, quibus mundus nunquàm habuit pares, merebatur omne genus condolescentiæ, idque ex lege charitatis, iustitiæ, & communis naturæ. Condolescere illi Pater æternus, & Spiritus Sanctus non poterant, cùm illi essent ipsa impassibilitas, & beatitudo. Non Angeli sancti, quià status beatitudinis, in quo erant, omne genus tristitiæ, & doloris excludit: Non mundus, quià & idololatriæ, aliorumq; peccatorum tenebris inuolutus totus erat, & hanc atrocem, crudelemq; persecutionem, ac mortem, Christo inferebat. Ad miseram, afflictamq; Matrem ergò hoc compassionis officium pertinebat, quæ animâ suâ Filij tormenta omnia excipiebat. Proptereà S. Damascenus lib. 2. de fide orthod. c. 15. dicebat: *Quos in partu dolores effugerat, passionis tempore sustinuit.* Nec mirum est, quòd Virgo tantos sentiret dolores, quo tempore Christus patiebatur, quià vt nemo ardentiùs illâ Redemptorem dilexit, ita acerbiora ex illius pœnis cruciamenta nemo pertulit: In hanc rem Richardus de S. Victore in c. 6 Cant. sic habet: *Sicut non fuit amor, sicut amor eius, ita non fuit dolor similis dolori eius.*

Atque vt verum dicam, Auditores, si ipsæ adeò creaturæ sensibus omnibus destitutæ aliquem ex morte Christi sensum doloris ostenderunt, dum saxa dissilierunt, terra contremuit, velum templi ruptum est, & sol obscuratus, Deus bone, quàm ineffabilem fuisse credere debemus illum dolorem, qui

animam Virginis transfixit, quæ sic amabat Filium suum, vt nulla in comparationem eius venire creatura posset! *Tunc terra tremuit, petræ scissæ sunt, & luminaria obscurata. Cogitare nunc licet, quantus dolor tunc infuit Matri, cùm sic dolebant, quæ insensibilia erant*, inquit S. Bernardus vbi suprà.

Dicam magnum aliquid, sed à vobis, si deuoti cultores MARIÆ estis, planctum in vicem magnum expecto. Tam ingens fuit cruciatus Virginis ex morte IESV vnici Filij sui, vt Sanctus Bernardinus de Senis affirmet, omnes derepentè interituras fuisse creaturas, si per illas dispertitus fuisset dolor, quem ipsa sola pertulit. Sic enim habet tom. 1. serm. 61. art. 3. c. 2. *Tantus fuit dolor Virginis, quòd si in omnes creaturas, quæ dolorem pati possent, diuideretur, omnes subitò interirent.* Et quòd illa inter istam inexplicabilium cruciamentorum inundationem constans, & inuicta propè Filij morientis crucem perstitit, quod ex Ioanne identidem iam dixi, id factum, quià omnipotentia Dei, vt S. Anselmus ait, in viuis illam conseruauit. Verba eius sic habent: *Crediderim te nullo pacto potuisse stimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, sustinere, nisi spiritus dulcissimi Filij tui te intùs doceret.*

Addit S. Bernardinus de Senis, dolorem, quem Virgo iuxtà crucem sustinuit, fuisse talem, vt neque totum, neque partem eius aliquam vel homo, vel Angelus etiam dicendo exprimere potuerit. *Virginis dolor fuit maior, & plùs, quàm omnes creaturæ portare possent, quantò enim plùs amabat Christum, tantò plùs dolebat, & amor suus, quàm ipsa portabat Christo, fuit infinitus*, inquit ille serm. 45. Quapropter S. Ioannes hoc solùm insinuauit, dicens: *Stabat autem iuxtà crucem Iesu Maria mater eius.*

Innumerabiles fuerunt cruciatus, quotquot omnes simul Martyres pro Christo tolerârunt, sed non possunt comparari cum illis, quos Virgo pro eodem exantlauit. *Ipsa fuit martyr in anima*, inquit Richardus de S. Laurentio lib. 3. de laudib. Virginis, *& gladius doloris, qui pertransijt animam eius in vnigeniti passione, pro amarissimo omnium martyrio computabatur.*

Sed quid ego aio, quòd tormenta MARIÆ Martyrum omnium cruciatus exæquârint? Dico plus, quòd longè illos superârint, sic vt nulli videantur illorum dolores (vt sic loquar) si cum ijs conferantur, quos MARIA iuxtà crucem degustauit. De hac re sic ait S. Anselmus: *Quidquid crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leue fuit, aut potiùs nihil comparatione tuæ passionis.*

Quis vidit vnquàm duo specula ex aduerso opposita, quæ & splendores, quos aliundè excipiunt, & figuras, quas referunt, inuicem sibi transmittunt? Talia specula mihi considera Christum in cruce pendentem, & Matrem iuxtà stantem. Christus patiebatur, Mater compatiebatur. Christus edebat animam, animo Mater deficiebat, & dulcissimâ quâdam vicissitudine teneri affectus mutuo doloris sensu, & consensu sibi respondebant. Sancti Laurentij Iustiniani lib. de triumph. Christi agone c. 10. fuit iste cogitatus, quando sic ait: *Clarissimum passionis Christi speculum erat cor Virginis, necnon & perfecta matris imago. In illo cernebantur, & agnoscebantur sputa, conuitia, verbera, & redemptionis vulnera.* Itaque spina, quæ caput Christi pungebat, erat radius, siue aculeus, qui cor Matris fodicabat, & clauus, qui manum Filij penetrabat, erat gladius, qui animam Virginis pertransibat. Id Richardus de S. Laurentio vbi suprà expendens inquiebat: *Quid est, quod Dominus dicit per Isaiam, Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum? Verum est, Domine, quòd non est vir tecum, sed vna mulier aderat, quæ te crucifixo omnia vulnera, quæ tu suscepisti in corpore, suscepit in corde.*

Dixerunt aliqui cum S. Augustino? Mariam omnes Christi sensisse dolores. Si duarum cithararum iuxtà se positarum nerui æqualiter adducantur, ambæ pariter resonabunt, vt ait S. Gregorius, tametsi vnam solam tangendi peritus pulset. Christus cithara erat, de quo Psalmista ait Psal. 65. *Exurge psalterium, & cithara.* Huius nerui distenti in cruce fuerunt, vt acutum redderet dolorum sonum, qui de se ad Patrem ait psal. 39. *Corpus autem aptasti mihi.* Virgo Mater altera cithara erat, eaque tam consona citharæ superiori, quàm erat illius mens, & anima tota conformis voluntati Christi. Quando ergò cithara superior (quæ Christus erat) percutiebatur, etiam inferior (Mater illius iuxtà crucem posita) pares doloris sonos edebat. *Crux & claui Filij fuerunt & Matris*, inquit S. Augustinus in ser. de Passione. *Erant enim duæ mysticæ citharæ, quarum vnâ sonante resonat & altera, nullo etiam pulsante. Iesu dolente dolet & Maria, Christo crucifixo crucifigitur & Maria.* Immensi, infiniti fuerunt dolores, quos Christus pro nostra salute sustinuit in cruce. Ita dicere possumus, quòd Christus, & Maria quodammodo fuerunt pares in pœnis, & Christus quidem corpore crucifixus fuit, Maria animo, & quot dolores Christus in corpore pertulit, totidem Mater in anima excepit. Audite S. Hieronymum,

nymum, quàm præclarè hoc dicat: *Quot læsiones in corpore Filij, tot vulnera in corde Matris. Claui, quibus corpus Christi pendebat in cruce, & cor Virginis crucifixum habebant.* Quis ergò non appellabit inexplicabiles, & immensos dolores Virginis iuxtà crucem stantis, quæ inde *mortua fuisset,* vt S. Bernardinus de Senis loquitur, *si Spiritus sanctus eam non confortasset.*

Vltra progredior, Auditores, & aio, Martyrium Virginis propter mortem Filij prolixius fuisse illo, quod omnes simul sancti Martyres sunt passi. Illius enim cruciatus durauit triginta tribus annis continuis, quibus charus illius Filius in hoc mundo vixit. Sic affirmat Rupertus Abbas, & comprobat ex cap. Cant. 4. vbi Spiritus Sanctus volens commendare pulchritudinem Mariæ, laudandi initium facit à capillis, dicens: *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.* Istis capillis, inquit Rupertus, significantur cogitationes Virginis, & gregibus caprarum sancti Martyres. Quod ergò Spiritus Sanctus dicere voluit, tale est: Sicut Martyres illi fuerunt à tyrannis varijs modis cruciati, ita tu, Virgo per totum vitæ tuæ curriculum plurimis pœnalibus cogitationibus torta, & afflictata. Tu omnibus illis tuæ vitæ annis tecum reputâsti passionem, quam Filius tuus aliquando subiturus erat, atque ij cogitatus tanquam immanes carnifices animam tuam crudeliter lacerârunt. Audite Rupertum. *Hæc similitudo in capillis, quia tu, ô Maria, longum in cogitationibus tuis, præscia passionis Filij tui, pertulisti martyrium, sicut illi diu egentes, angustiati, afflicti.*

Iam intelligo difficillimum illum ex 7. Cant. c. locum, vbi Sponsus volens laudare capillamentum Sponsæ, confert illud cum purpura, dicens: *Coma capitis tui sicut purpura regis vincta canalibus.* Hæc verba percommodè in rem præsentem exponit S. Ambrosius, inquiens: *Capilli tui sicut purpura sanguinis Christi vincta, vel iuncta canalibus crucis, stabat enim Maria iuxtà canalia crucis, capillis in purpuram sanguine Christi conuersis.* Hæc verba apud Ambrosium non reperi, Volebat ergò dicere, quisquis illorum autor, quòd cùm Virgo staret proximè crucem Christi,& ex plagis carnis illius riui sanguinis manarent,ex éo defluxerit in caput benedictæ Virginis, ex quo capilli eius tanquam purpura quædam regia rubescere cæperint. Cùm capilli, vt diximus, sint Symbolum cogitationum, Richardus de S. Laurentio sic ea verba exponit, tanquam dictum fuisset: *Coma tua, id est, cogitationes tuæ tinctæ sunt in memoria Dominicæ Passionis, & sic effectæ sunt cogitationes tuæ, quasi recentem viderent sanguinem, de vulneribus Filij tui distillantem*, Et Dionysius Carthusianus idem dicit his luculentis verbis. *Coma capitis tui, id est, congeries, multitudo, & abundantia cogitationum tuarum sicut purpura regis iuncta canalibus, Dominicæ Passionis recordationibus rubricata.*

Hinc profecta est, Auditores, illa venerabilis de Euangelio Simeonis sententia, quam Sanctus Senex auribus Virginis intimauit, dicens: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*; Lucæ 2. Rupertus Abbas ait, hāc fuisse prophetiam à Spiritu Sancto dictatam, per quam nobis significaretur, multò tempore antè fuisse Virginis cor transfixum, per meditationem secuturæ Passionis Dominicæ, quàm Christus Filius eius crucifixus esset, *Nolite,* inquit Sanctus Abbas ex nomine Virginis, *nolite solùm attendere diem, vel horam illam, in qua vidi dilectum meum ab impijs comprehensum. Nam tunc quidem gladius animam meam pertransiuit, sed antequam sic pertransiret, longum per me transitum fecit.*

Nec mirum videatur, quòd Virgo pœnaliter senserit in anima tormenta sui Filij futura, quia legebat diuinas Scripturas, inquit S. Ambrosius in c. 2. Lucæ, & in ijs videbat expressos cruciatus, quos à Verbo incarnato exantlandos Prophetæ prædixerant. *Istum gladium in cor, & animam Virginis profundè immersum habuit, quia Dei mysteria profundiùs penetrauit, & verba Dei de Christi Passione semper in corde medullitùs portauit.* O Deus, quàm acutus hic gladius fuit, qui cor Virginis tam viuè transfixit, etiam cùm solùm legeret, & recogitaret, quantùm amabilis Iesus passurus esset!

Hoc ipsa indicare Virgo voluit, quando de Christo loquens ait: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Cant. 4. Hoc Ruperto tale fuit, quale si dixisset: Vix Mater Verbi effecta fui, quando legens sacras Scripturas, & Propheticæ sapientiæ spiritu impleta intellexi sæua illius tormenta, & sic cùm illum tenerum infantulum inter brachia mea habui, & pectori meo, vberibusque appressi, recogitaui dolores, & cruciatus, quos toleraturus esset, ac proptereà cordi meo amarissimæ cuiusdam myrrhæ instar erat. *Prophetissa eram,* inquit Rupertus ex Virgine *& ex quo Mater eius facta sum, sciui eum ista passurum. Cùm igitur talem Filium sinu meo fouerem, vlnis gestarem, qualē, quantam, quamq́; prolixam me putatis Materni doloris pertulisse passionem? Hinc est, quod dico, Fasciculus*

lus myrrha dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.

Confirmat hæc omnia S. Brigitta lib. 4. Reuel. c. 23. dicens, quòd cùm puerum Iesum vlnis exceptum gestabat Virgo Mater, vt erat vates ità videbat illum cruci affligendum, qui Deus simul, & homo esset. Præbebat illi virgineum lac,& plangebat, sciens quòd Sanctissimum illius os felle amaricandum esset, & aceto. Extendebat brachia infans Deus in complexum colli virginalis, & illachrymabat Mater, quia sciebat eadem brachia duro ligno affligenda. Amore Materno illum dissuauiabatur, & mœrebat, quia cognoscebat illi proditorium à perfidioso Iuda osculum figendum. Fascijs tenera illa membra stringebat, & suspirabat, quia cogitabat, quòd illa duris funibus vincienda erât. Ad manum illum ducebat, & animitùs dolebat, quia non ignorabat, ab vno tribunali ad aliud illum ductitandum, & raptandum. Si videbat dormientem, somno mortis in cruce defunctum videre putabat. Vita ergò Virginis continuum Martyrium fuit. Audite verba S. Brigittæ, quæ sunt affectuosa. *Meliùs quàm Propheta Maria præsciuit Filij sui Passionem, ideò eum lactans cogitabat, quòd felle, & aceto esset potandus in cruce. Quando fascijs inuoluebatur, funes cogitabat, quibus ligandus ab impijs carnificibus. Quando eum manibus gestabat, videbatur illi, quòd crucis brachijs esset confixus. Quãdo osculabatur, Iudæ osculum cogitabat. Quando manu ducebat de vno loco ad alium, ad tribunalia ducendum cogitabat. Quando amplectabatur, cruci affligendum cogitabat. Quando deniquè dormiebat, in cruce mortuum contemplabatur.* O mœsta Mater! O luctuosa Maria, tui etiam pij cogitatus fuerunt acuti gladij, qui animã tuam transverberârant! *Et tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.*

Nihil iam miror, Auditores, quòd cœlestis Sponsus Virginem componat cum lilijs, quæ in medio spinarum versentur, dicens: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter Filias;* Cant. 2. Nam vt Rupertus dicit: *Maria fuit lilium inter spinas, quia quæcunq; spina Filium, eadem Matrem confixerunt, & lacerauerunt vulneribus condolentiæ, & compassionis.* Id Guilielmus Parisiensis apud Del-rio confirmat, inquiens: *Quot vulnera Filius accipiebat in carne, tot pia Mater accipiebat in corde.*

Tam acerbi (dicam enim iterùm) fuerunt dolores magnæ Matris Dei iuxtà crucem Filij, vt Simeon, cùm eos spiritu præuideret, optârit potiùs mori, quàm viuus coram adstare passioni illius. Propterea cùm Virgo Mater (vt est apud Lucam c. 2.) in vlnis suis deportaret carum Filium suum, vt in templo secundùm consuetudinem Hebræorum præsentaret, Simeonq; illum manibus exciperet, oculos in vultum eius diuinum figens, aiebat: *Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace.*

Hæc verba expendens S. Timotheus Ierosolymitanus in orat. de præsentat. apud Metaphrasten 2. Februarij sic dicebat: O bone senecio, nonné tu ille, qui tam vehementer suspirabas liberationem Israëlis? De te quippè sic ait Spiritus Sanctus: *Simeon iustus, & timoratus expectabat redemptionem Israël.* Quid ergò est, quòd iam optas mori, antequàm expletum videas tuum tam ardens, quàm iustum desiderium?

Respondet Timotheus, dubium non esse, quòd iustus Simeon flagranter desiderabat redemptionem Israëlis, sed quià spiritu prophetico præuidit inenarrabiles cruciatus, quos Maria ex passione, & morte Filij sui perceptura erat, cui nimirùm iam vaticinatus fuerat: *Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit*, ea propter mortis gratiam petijsse, priusquàm tantæ compassionis spectator fieret. *Dimitte nunc obsecro, Domine* (ita ex Simeone Timotheus loquitur) *ne videam Iudæorum in te facinus, ne videam simul & Matrem tecum clauis cruci affixam.*

Demum tam ingens fuit dolor Virginis ex morte Filij, inquit S. Bernardus, vt nemo eam arbitrari posset, quin eisdem oculis, quibus videbat, simul fleret. *Dolor eius cunctos intuentes ad dolorem compellebat, vixq; à lachrymis continere valebant, qui eam plorantem conspicerent.* Addit mellifluus Bernardus, tam tenerum, & amarum fuisse mœstæ Virginis planctum, vt multi illius fletu ad condolescendum excitarentur, & collachrymari, quanquàm repugnantes cogerentur, vt si quis illi fortè per viam occurreret, eius exemplo ad complorandum permoueretur. *Tam piè plorabat,* inquit ille, *tam amarè dolebat, vt sui ploratus pietate multos etiam inuitos ad lachrymas prouocaret. Fiebat planctus, quocunq; Maria transibat, omnesq; plorabant, qui obuiabant ei.*

Finem imponam sermoni meo, Auditores, si hoc solùm dixero, quòd cùm essent ineffabiles dolores, quos tolerauit Virgo Sanctissima ex morte amabilissimi IESV, non fuit tamen, ô crudelitatem! qui condolesceret illi, aut verbo suauiore cruciatus illius mitigare studeret: *Non est, qui consoletur eam ex omnibus charis eius,* dicebat Ierem. Thren. 1. O lu-

ctuosa mater! ô mœsta Virgo! non habes, qui tibi compatiatur, sitq; solatio. Vos ergò, animæ peccatrices, plangite, quæ vestris flagitijs crucifixistis Filium Virginis, plorate, & perpetratorum scelerum veniam deposcite.

O Virgo Beatissima, populus hic, qui me de tuis cruciatibus dicentem audiuit, promittit, nolle deinceps, vnquàm offendere dilectum Filium tuum, promittit, & velle melioris studia vitæ constanter posthæc sectari. Ecce omnes malè vixisse pœnitet, & indulgentiam noxarum supplices obsecrant, vt exobsecrent, tu Mater misericordiæ apud crucifixum tuum IESVM facere nullo negotio potes. Age ergò genitrix gratiæ, & in gratiam nos tui Filij reduc, vt per illum obtineamus gloriam, Amen.

De eodem Compassionis, & Dolorum Virginis Matris Festo.

Autore Ad. R. P. M. CHRISTOPHORO *de* AVENDANNO *Carmelitâ.*

Interprete F. Ioanne Freylinck Ord. Prædicatorum.

THEMA.

Stabat iuxtà Crucem IESV Mater eius. Ioan. 19.

Lachrymabile spectaculum est, Auditores, videre Dei Filium propter nostra peccata è cruce pendulum, & mœstam illius Matrem iuxtà adstantem, & intolerabili dolore perculsam, quod illi ne minimum quidem adferre leuamen, aut refrigerium posset.

Tria spectaculorum genera reperio in sacris literis. Primum in 2. Reg. c. 23. vbi sic dicit Scriptura: *Banamas interfecit virum Ægyptium dignum spectaculo.* Quidam nobilis ex aula Dauidis regis nobilem alium Ægyptium, eumque iuuenem, formosum, diuitem, prudentem mactauit, & huius mors digna spectaculo dicitur. Maiore iure dicere nos possumus, mortem Christi fuisse dignam spectaculo, nunquam enim alius tam nobilis, tam opulentus, ac sapiens occubuit, quàm ille in ipso ætatis suæ flore. Spectaculum est videre rem admirandam, stupendam, & quæ magnam condolescentiam mereatur. Attendamus ergò ad mortem Saluatoris mundi, quæ omnibus, istis circumstantijs est ornata.

Secundum spectaculorum genus inuenio in Epistolis Pauli, qui in sua priore ad Corinthios c. 4. sic ait: *Spectaculum facti sumus Deo, Angelis, & hominibus.* S. Thomas in eum locum dicit, eum ibi loqui de morte Apostolorum, & Martyrum, qui spectaculum facti fuerint oculis Dei, & Angelorum, quando viderunt eos tam patienter mori, & fundere preces pro eis, à quibus illorum sanguis fundebatur, hoc est, pro tyrannis, & persecutoribus, qui vitam eis adimebant. Sed mirius spectaculum est videre mori Filium Dei. Nemo alius tanta cum patientia vnquam mortuus est, neq; tam affectuosè pro hostibus suis precatus, quàm ille.

Tertium spectaculi genus est apud S. Lucam c. 23. vbi sic dicitur: *Omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur.* Loquitur hîc de morte Christi, aitque confluxisse multos, vt viderent mori Filium Dei, arbitratique sunt eam prodigiosam, & dignam stupore, & compassione, crucifigebant enim Iudæi Christum tanquam malefactorem, qui tanta bona, eaque admiranda operatus fuerat. Non possumus agere de hoc spectaculo, quod Deo, Angelis, & hominibus admirabile fuit, absque opitulatricis gratiæ auxilio. Petamus illam à suo autore, sed patronam adhibeamus Matrem Dei obligemusque illam salutatione Angelicâ, Aue Maria.

§. I.

Christus voluit charissimam Matrem suam iuxtà Crucem adesse, vt illi tanquam primogenitæ Sanctæ Ecclesiæ suorum thesaurorum claues traderet.

Non absque magno mysterio voluit diuina prouidentia, vt Virgo Domina nostra præsens adesset tam luctuosæ tragœdiæ, quàm erat mors Filij ipsius. Huius rei adduco quasdam rationes ex parte Saluatoris mundi, alias verò ex parte afflictissimæ Matris eius.

Ex parte Christi Domini nostri singulari Dei prouidentiâ factum est, quòd Mater eius præsens adfuit tempore mortis ipsius, stans iuxtà crucem, vt illi ceu primogenitæ Ecclesiæ claues suorum thesaurorum traderet. Ius Ciuile l. *cùm Pater*, §. *Pater pluribus*, *ff. de leg.* 2. statuit, vt si quis paterfamilias diues, & opulentus moriatur absque primo-

genito,

genito, sub proximam mortem vocare debeat filiam maiorem natu, eique tradere claues suorum thesaurorum, & sigillum, quo obsignare scripta, actaq; sua omnia solitus fuerit. Sic declarant eam legem Bartolus, & Baldus. Ad eundem modum Christus Magnus Paterfamilias, cùm in cruce animam ageret, nec haberet primogenitum, voluit in primogenita suæ familiæ filia, quæ fuit Maria, adesset sibi morienti, vt reciperet opulentissimorum thesaurorum claues, non dico aperiendi cœlum per modum absolutionis, has enim S. Petro reliquit, sed alias claues thesaurorum, quibus locupletantur animæ, Matri dare voluit.

S. Bernardus in ser. de Nat. D. Virg. ait: *Nihil Deus nos habere voluit, quod per manus Mariæ non transierit.* Quidquid beneficiorum Deus hominibus conferre decreuit, per Mariæ charissimæ suæ Matris manus vult dispensari. Et S. Bernardinus Senensis serm. 61. ait: *Non timeo dicere, quòd omnium gratiarum effluxus quandam iurisdictionem habuerit hæc Virgo de cuius vtero quasi quodam diuinitatis oceano riui, & flumina emanabant omnium gratiarum.*

Et non contentus Christus thesaurorum claues illi reliquisse, mortis etiam, & inferni claues quas in angulo cordis repositas habebat, reliquit, de quibus Apoc. 1. dicit: *Habeo claues mortis, & inferni.* Has matri suæ tradidit, vt intelligamus, nos feliciter mori non posse, nisi simus pij Mariæ cultores, illa nimirùm habet claues, quibus fores optatæ, & beatæ mortis nobis aperiat. Hoc de illa cantat sancta Ecclesia in hymno dicens: *Tu regis alti ianua, & porta lucis fulgida, intrent vt astra flebiles, cœli fenestra facta es.* Per hanc regis alti ianuam, & portam lucis fulgidam tanquam pulchræ, & splendentes stellæ ingrediuntur illi, qui sciunt illam colere, & suas culpas deplorare, vt sit rationi consentaneum, vt tam suauem pro remuneratione habeant mortem, quàm est eorum, qui magnæ illius reginæ patrocinio in gloriam admittuntur.

Habet similiter claues inferni, quæ illi iuxtà crucem adstanti Filius reliquit, vt illud damnatorum ergastulum, cui voluerit, claudat. Notauit Galatinus lib. 3. c. 13. quòd accepit à Rabbi Raban, & Rabbi Iosem, die Lunæ creatum à Deo ignē inferni. *Deus sanctus, & benedictus in secunda Sabbati creauit ignem, qui non extinguetur in sempiternum.* Si ergò eorum inhæreamus sententiæ, qui volunt beatissimam hanc Virginem fuisse conceptam in die Lunæ, possumus dicere, quòd Deus, cùm ignem inferni in die Lunæ condidit, habebat ob oculos illum diem Lunæ, in quo creare vellet potentem dominam, cui tradendæ essent claues istius ignis, vt quib. vellet, fores illius obseraret, ac dicere posset: *Habeo claues mortis & inferni.* Has claues ex sua cruce illi Christus dedit, vt bonæ mortis portam aperiat, & eam, quæ ad istum ignem ducit, obstruat iis, à quibus colitur. Omnia in potestate sunt magnæ huius dominæ.

Quid præterea lex illa imperabat? Vt paterfamilias relinqueret suæ primogenitæ non solas thesaurorum suorum claues, sed etiam annulum, siue sigillum, quo robur, autoritatemque scriptis & actis suis addebat, vt illa pro suo arbitratu, & lubidine omnia negotia conficere posset! Propterea S. Ambr. & Theophyl. in Ps. 38. notant, qui in consecratione Episcoporum datur illis tanquam magnæ familiæ patribus annulus aureus velut quoddam sigillum, quo firmitudinem adiiciant omnibus iis quæ determinauerint. Idem quoque obseruauit S. Isidorus Archiepiscopus Hispalensis lib. 1. de officiis Eccl. c. 5 & refert verba, quibus ea perficitur cæremonia, & hic habet: *Accipe annulum discretionis, & honoris, fidei signum, vt quæ signanda sunt, signes; & quæ aperienda sunt, pandas.* Ad eundem modum Dei filius non contentus, quòd è cruce pendens Matri suæ claues ditissimorum suorum thesaurorum tradiderit, annulum etiam cum sigillo addere voluit, vt robur, autoritatemq; adderet suis postulatis, & suorum cultorum virtutibus, vt responderent gloriæ.

Clemens Alexand. lib. 3. pædag. c. 12. affirmat fuisse quosdam inter potentes mundi, qui instructas ad bellum habuerint naues, earumque anchoris notas impresserint suorum illorum annulorum quibus alia grauia negotia ad maius robur obsignare soliti fuerint, vt si nauis à via fortè aberraret, aut rectores, vectoresque illius fame interirent, aut ipsa per qualemuis aliam aduersam fortunam in portum extraneum abriperetur ex anchorarum notis recognosci posset. Non secus ac magni Principes solent argentea signa appendere suis falconibus, quæ ipsorum nomina referant, vt si perdi contingat, agnoscantur, & restituantur eis, ad quos pertinent.

S. Paulus ad Hebræos 6. vult anchoras esse symbolum spei, dicens: *Qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram tutissimam habemus.* Istæ ergò spei anchoræ notantur sigillo

Mariæ,

Mariæ, vt si quæ aliquando pereant, de sigillo agnoscantur, & restituantur Mariæ, quæ ab Ecclesia vocatur *spes nostra*, atque vt Deus spei nostræ deferat, videns eam matris suæ annulo notatam, eiusque autoritate fiat, vt pacifica nobis possessio gloriæ respondeat, & obueniat. Atque vt palàm fiat, quòd hæc Domina multos sæpè à peccatorum captiuitate liberat, quòdque nulla sit tam exsucca spes, quæ non reuirescere possit apud eos, qui illius Virginis cultui, & officiis se tradunt, propterea ab Idiota in lib. de laudib. Virg. vocatur *spes desperatorum*. Congruit cùm his illud Ephesinæ Synodi, quæ Tom. 6. c. 7. cum hac Virgine loquens ait: *O venter in quo communis libertatis syngrapha confecta est!* Syngrapha literas libertatis significat annulo Mariæ obsignatas, & roboratas, vt Deus in suis seruis numeret, quotquot fuerint famuli illius, vt per ipsius intercessionem donet libertate peccatores, quicunque flagitiorum vinculis sunt constricti.

Hinc manifestum euadet illud perdifficile Seraphici Patris S. Bonauenturæ dictum, qui Virginem vocat *primicertam*. Consonat huic, quòd Gregorius Venetus eam *redemptionis Christi primicertam*, at S. Berna. *virginitatis primicertam* appellant. Primicerii vocabulum varia olim apud veteres habuit significata. Miles, qui pro suæ strenuitatis, & egregiorum facinorum merito præclariorem habebat existimationem, & maius stipendium in ceratis quibusdam tabulis describebatur, & tanquam præcipuus dicebatur primicerius. Ad hunc modum quòd Gregorius Venetus Virginem nominat *redemptionis Christi primiceriam*, tale est, quale si diceret: Illa Domina primitias habet sanguinis Christi. Et quòd S. Bernar. illam vocat *primicertam virginitatis*, tantundem est, quantùm si illam reginam virginitatis, & virginum omnium appellâsset.

S. Bonauenturæ dicitur *primicerta*, vtpotè quæ in omni re sit prima. Nempè prima est, quæ in tabulis ceratis scripserit libertatem peccatoris, suo sigillo eam roborando. Prima est formæ elegantiâ, & meritorum magnitudine. Prima Adæ sine culpa originali filia. Prima, quacum deliberatur de omni beneficio, quodcunque exhibendum est Ecclesiæ. Hoc est, quòd Maria vocatur primiceria, ideòque voluit filius, vt tanquam suæ Ecclesiæ primogenita præsens adesset iuxtà crucem, vt reciperet claues thesaurorum eius, & annulum, quo regia domus Dei mandata roborantur.

§. II.

Voluit Filius Dei Matrem suam iuxtà crucem adesse præsentem, quia duas in Caluariæ monte cruces pati constitutum habebat, atque vt illa ingratorum defectum suppleret.

SApientissimus Cardinalis Caietanus cùm secum reputaret silentium, quod Saluator mundi corā Herode obseruauit, dicebat: *Elegit silentium ad cumulum passionis*, & quòd Herodis variis & vanis interrogationibus nihil responsi dedit, hoc fecit, vt coronidem tormentis suis supremam imponeret. Ego cum tanti Doctoris bona venia dicerem: *Elegit vt mater eius esset iuxtà crucem ad cumulum passionis*, atque vt cruciatus sui ex præsente matre incrementa facerent augescerentque.

Sancto Epiphanio in serm. de laudib. Virg. dicitur regina cœli *cruciformis*. Multas dedi alibi huius dicti expositiones, tanta nihilominùs sunt illius pondera, vt semper sit reliquum, quod dicam. Dum cruciformem eam vocat Epiphanius alludit ad eas virgas Iacobtis, de quibus Gen. 30. v. 38. sic habes: *Posuit eas* (virgas) *in canalibus, vbi effundebatur aqua, vt cùm venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aspectu earum conciperent, & factum est, vt in ipso calore coitus oues intuerentur virgas, & parerent maculosa, & varia, & diuerso colore respersa.* S. Ioannes Damascenus ait, quòd gratia dedit sua Mariæ promordia, neque enim natura tantùm opus inchoare ausa fuit. Quando ergò gratia principium dedit Mariæ, respiciebat crucem, & passionem Christi, in cuius virtute ab omnibus peccatis liberata fuit. Et hinc accidit, quòd Virgo tam similis euasit crucis, quàm illi agni virgarum excorticatarum. *Cruciformis* es, ô Virgo, & similis cruci, tibi æquè ac Christo amaræ.

Cùm ergò Dei Filius pro filiis hominum tanta pati vellet, non satis arbitratus vnam crucem tolerare, voluit in morte sua esse præsentem matrem, vt duplicem ferret, vt suum cruciatum haberet tum ab ea, in qua hærebat, tùm ab illa, quam mater patiebatur, quæ illum æquè ac sua crux afflictabat.

Magnas demonstrationes fecit Deus sui erga homines amoris, sed nulla, vt mea quidem fert opinio, ad hanc accedit.

Ingens fuit illius amoris inditium, quòd assumendæ carnis, & oppetendæ mortis desiderium totâ æternitate tolerauit, secundùm illud Isaiæ 30. *Expectat Dominus, vt misereatur vestri.*

Grauissi-

Grauissimum eiusdem amoris argumentum est agnus occisus ab origine mundi, Apoc. 13. 8. quia in omnibus illis veteribus victimis Christus mactatus fuit, vt mortis suæ periculum faceret, accuratiùsque se ad illam præpararet, desiderio illam subiens, quam opere nondum explere posset.

Luculenta eiusdem amoris contestatio fuit, quòd in lacte matris pati voluit. Nam vt ea hoc illi præberet alteratum, decreuit fugere non mortem, sed Herodem, de quo S. Petrus Chrysologus serm. 150. sic habet: *Christus fugit, vt cedat tempori non Herodi, neq; enim mortem fugit, qui venerat de morte reportare victoriam.* Hanc ergò persecutionem inuenit, vt simul sugere lac matris, & ærumnas tolerare inciperet.

Insignita eiusdem amoris demonstratio fuit, quòd se pretiosissimis dotibus suis nudauit, vt eis hominem vestiret, *vt tantùm homini tribueret, quãtùm Deo detrahebat*, inquit ferè Tertull. lib. cont. Marcian. c. 2. sibi honorem, sibi gloriam, sibi quietem, sibi sanguinem, sibi vitam ademit vt hominem locupletaret. Quo consilio Deus tam effusè liberalis fuit? Id Tertullianus statim subiunxit, dicens: *Ex æquo agebat Deus cùm homine, vt homo ex æquo agere cum Deo posset*, Voluit Deus sibi auferre, quæ conferret homini vt pares redderet bilances, & illum sibi æqualem, vt possent tanquam chori amici familiariter inuicem communicare, & habere bona communia, & tam intimum mutuæ consuetudinis commertium ac si germani fratres essent: *Ex æquo agebat Deus cum homine, vt homo ex æquo agere cum Deo posset.*

Res est, quòd iustitia Dei, hominem in paradiso nudauit gratiâ, & rectitudine originali post perpetratum peccatum, ex quo obtenebratus fuit intellectus obdurata voluntas, & viciatum quidquid reliquum. Aduenit misericordia in incarnatione, in institutione Eucharistiæ, in morte Christi, & omnia restituens fecit, vt indutus hominem Deus conuersaretur cum homine, & opulentissimis thesauris suis illum ditaret, & hoc est, quod ait Tertul: *Ex æquo agebat Deus cum homine, vt homo ex æquo agere cum Deo posset.* Grandis isthæc demonstratio amoris fuit.

Grandis comprobatio amoris & illud fuit, quod in horto accidit. Nam cùm sanguis curreret, vt afflictissimo cordi succurreret, seipsum illo naturæ subsidio destituit, vt pateretur quantum pati posset, qui fuit ingentis affectus effectus.

Cedant verò, & concedant omnes illæ amoris assertiones vni huic, quòd duas voluit tolerare cruces, vnam cui affixus erat, & suæ exulceratissimæ matris alteram, quæ nihilominùs illum, quàm prior affli ctabat.

Hoc est, quod S. Epiphanius indicare voluit, cùm ait, quòd Virgo cruciformis fuit, hoc est, admodum similis cruci tantum nempè cruciatum filio adferens, quantum crux lignea, cui inhærebat, consciscebat.

Satis faciamus autem huius discursus titulo, qui hoc habet, quòd filius Dei voluit matrem suam iuxtà crucem adstare, vt ingratorum defectum suppleret.

S. Paulus 1. Cor. 11. ait: *Vir non debet velare caput suum, quia imago, & gloria Dei est.* Verba æquè grauia, ac difficilia, & similitudinem refert. Sapientissimus Caietanus exponit hunc locum in sensu mystico, capitisque nomine Christum intelligit, de quo idem Paulus dicit: *Omnis viri caput Christus est.* Verba Caietani sic habent: *Velum in capite viri signum est velationis sui mystici capitis, huiusmodi velatio contrariatur gloriæ Dei.*

Scire ergò debemus, quod Paulus dicere & consulere voluit, metaphorico isto loquendi modo vt vir non obtegat caput, quod est Christus. Qui n. hoc fecerit, illam primùm pœnam dabit, quòd in se obliterabit imaginem, & similitudinem Dei. Tale ergò est, quod Paulus dicit: Aduertant animæ, quòd sunt sponsæ Christi, ne adulterium perpetrent, si fortè illum inter pericula negent quando confitendi illum occasio sese offert. Non mœchentur negando ipsum propter cuiuscunque personæ amorem, nam phrasi scripturæ velare faciem, & tegere caput semper fuit inditium infidelitatis, & adulterii, & perditæ gratiæ, quod multis locis comprobari potest.

Et velut vnius adamantis pulueribus adamas alter acuitur, & elaboratur, sic vnus scripturæ locus grauis per alium elucidatur. Ex Canticis ergò, quod dixi, ostendo. *Indica mihi, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium meorum*, inquiebat illa Cant. 1. Quod vulgata dicit *ne vagari incipiam*, id Lxx. habet, *ne efficiar sicut operta*, hoc est, ne scorti, aut adulteræ similis reddat. Mulier ergò meritoria, & mœcha, & operta siue tecta sunt rei vnius plura synonima, adeò illa, vt tectè diceret, ne fiam sicut meretrix metaphorâ rem occultauit, dicens, *ne efficiar sicut aperta.*

Quando ministri iustitiæ ad tribunal abripuerunt Susannam, vt mortis sententia in eam pronuntia-

nuntiaretur, vt testatum darent verum esse, quòd iudices contrà eam dixerant, adduxerunt eam velatam capite. Et senes præceperunt deperiri eam, nimirum, *Vt satiarentur decore eius*, quod sacer textus Dan. 13. habet. Hoc est singulariter proprium hominum flagitiosorum, vt cùm exsaturari substantiâ nequeunt, pascantur accidentibus, tot interim ictibus miseram animam fauciantes, quot illicitis cogitationibus sese oblectant.

In libro Hester c. 5. inueniemus, quòd cùm Aman excidit gratiâ Assueri, quàm primùm rex illum in crucem rapi iussit, statim accurrerunt aulici, faciemque eius, & caput velârunt.

Ad huius confirmationem facit, quòd Synagoga, quando diuortium à sponso suo Christo facere voluit, coronâ spineâ caput eius texit, atque vt ad hanc diremptionem matrimonii solenni vteretur cæremonia, velo faciem eius operuit. Ex his iam intelligetur ille Pauli locus: *Vir non debet velare caput suum quia imago, & gloria Dei est*, & expositio Caietani: *Velum in capite viri signum est velationis sui capitis mystici, huiusmodi velatio contrariatur gloriæ Dei*. Obnubere itaque caput Christo, est adulterari ab illo, & negare ipsum propter creaturam, & incurrere illius indignationem.

Quando omnes ingrati Christum negabant & crucifigebant, tunc Virgo pro omnibus illum confitebatur, & stabat iuxtà crucem eius, supplens defectionem eorum, qui illum destituerant, simulque negauerant. *Stabat autem iuxtà crucem Iesu Mater eius*, optans non damnari eos, qui à Filio desciuerant, illumque inficiati fuerant. In huius rei consideratione fuit sanctus Anselmus, cùm ait: *Nescit Mater aliud agere, quàm incessanter misereri peccatorũ, & pro nobis omnibus adstare Saluatori*.

Verùm perappositè in rem præsentem dicebat Hugo Victorinus: *O Virgo Christi quanta tua pietas est efficacia, & virtutis, quæ non solùm mouentem, sed & remouentem in viam prouehis, dirigisq; salutis!* Premite in his illud: *Quæ non solùm mouentem, sed & remouentem in viam prouehis*. Benè nimirum facit etiam repugnantibus, nec intermittit pro eis obsecrare, quousque in semitam saluationis adduxerit. O quot hostes aderant, quo tempore Filius eius viuere desiit! O quàm multi tunc illum destituebant! Et Maria interea perstabat iuxtà crucẽ, proque omnibus orabat, & officium eorum explebat. O magna mulier, & digna, cui omnes creaturæ seruiant!

§. III.

Stabat Virgo iuxtà crucem, vt nos doceret condolescere Filii sui cruciatibus, & de dolore, quem Virgo sensit.

Non potest esse alia tanta ingratitudo, quanta eorum, qui non sentiunt, non deplorant passionem sui Saluatoris, quia amor pientissimum illum Dominum impulit, vt pro nobis moreretur, & facilè obliuisci beneficium redemptionis, est brutarũ pecudum. Propterea mater pietatis iuxtà crucem stans procurabat supplere defectus nostros, & pro nobis dolebat, quos tam pigros cernebat. Isaias c. 51. dicebat: *Oblitus es Domini creatoris tui*. Quanta obliuio, & quàm magna iniuria! Quod noster textus habet: *Oblitus es Domini creatoris tui*, id LXX. transtulerunt: *Vulnerâsti Dominum creatorem tuũ*, quod ex animo amisisti beneficium creationis. At si ex memoria depositum beneficium creationis est vulnus Deo inflictum, quid erit non recordari gratiam redemptionis? Multas plagas Deo inferet, quisquis hanc gratiam obliuione delet.

Psalmus vigesimus primus, qui de Christi passione agit, talem habet titulum: *Pro cerua matutina*; quod alii verterunt: *Ad respondendum*, velut aliis verbis diceretur: Hic Psalmus, qui complectitur passionẽ Saluatoris mundi, cõpositus est *ad respõdẽdũ*, siue vt omnes illius vocibꝰ respõdeant. Quid tibi dicunt, homo Christiane, illa sex millia, & his plura vulnera? Quid tibi dicit ille crudelis Christo impactus colaphus? Quid tibi aculeatissima è spinis corona? Quid illa mors crucis? Quid respondes? Si vis aliquid respondere, & non potes mortificatione, saltem responde contemplatione, & meditare cum pia condolescentia plurimùm illud, quod pro te Dominus tolerauit.

S. Lucas ait, quòd Saluatori, quando in horto in agone positus erat, *apparuit Angelus confortans eum*, Luc. 22. Quâ re potuit creatura confortare creatorem? Quid est confortare? Est quidam ex hyacintho potus, qui propinatur ijs, quorum hora vitæ extrema appetijt. Quid fecit ille Angelus? Qui non fuit Dominum consolatus verbis, quomodo confortauit? Aut quid egit, quo mœstum Dominum corroborare potuit? Modernus quidam dicit, quòd Angelus induit corpus, & in eo Domini agonem, & sudorem sanguineum imitatus fuit. *Eâ potissimùm ratione consolabatur, non quidem verbis vllis, sed quadam assistentiâ, & societate, tum etiam conside-*

consideratione, atq; ponderatione eorum, quibus Christi anima maroribus angebatur, atq; etiam habitu, gestuq; simili assumpto, vt Christo assertore flectente genua ille etiam flecteret, & cum humi prostrato se quoq; prosterneret, inquit Pineda in Iob Tom. 1. c. 2. v. 12. & 13. in fine. Itaque Angelus studebat imitatione per omnia exprimere illius passionem, agonem, anxietatem, & hæc fuit confortatio, quam Christo attulit. Sic creatura assimulatione tolerantiæ passionis, & amaritudinis corroborat Creatorem.

Quare ergò tam sumus hac in re ignaui, & segnes, & tam parùm deuoti? Regina cœlorum pia Mater nostra *stabat iuxtà crucem Iesu*, hoc tolerans, quod nos pati debebamus, vt ne passio Christi fraudaretur compassione, quæ illi est debita. Quis vnquam effari poterit, quantùm passa fuerit hæc mœstissima Domina cruci proxima, videns mori Filium, quem tam efflictim amabat?

Expendamus, amabò, dolores Mariæ. Quando Deus voluit experimentum capere animi Abrahæ, dixit ei, *Tolle Filium tuum, quem diligis Isaac*, Gen. 22. LXX. Interpretes habent: *Quem dilexisti*. Itaque cùm immolaturus esset hostiam, voluit vt antè se nudaret affectu, quo ergà illam vt pater ferebatur, videbatur enim Deo, defuturum illi animum, quo Filij necem exequi posset, nisi paternum amorem priùs exuisset.

Reginæ cœlorum non hoc concedebatur, nec fieri potuit, vt piæ Matris affectum ergà filium propter mortem illius abijceret. Neque solùm non se nudauit amore, quo ergà illum flagrabat, verùm etiam sensit dolorem, quem Pater æternus sentire debuisset ob illius mortem, si potuisset. Et cùm Filium suum amore diligeret infinito, etiam infinitus debuisset esse dolor. At quid fieret, ne mors filij fraudaretur compassione, quâ moueri debuisset æternus Pater? Remedium huic rei inde allatum fuit, quod Mater Virgo tolerauit quod Pater æternus fere debuit, ac propterea fuit ingens illius dolor.

Arnoldus ait, Mariam sic stetisse iuxtà crucem vt animam ageret, & exigere omninò tamen non posset: *Moriebatur, & non poterat mori*, inquit ille in Tract. de septem verbis Domini in cruce. Accidit tunc virgini cum morte, quod Angelo illi cum Iacob Gen. 32. c. quando cum hoc ille totâ nocte colluctabatur. Quomodo fieri potuit, quòd tam longâ integræ noctis concertatione superare, & subigere hominem Angelus nequijt? Accedit quod multi affirmant, fuisse Dei Filium in forma Angelica, qui cum Iacob pugnârit. Quomodo ergò factum, quòd neque ille eum expugnarit, atque in terram deiecerit? Res est, quòd quando Iacob in causam inclinabat, ipse Angelus illi vires addebat, labascentemq; ne prorsum corrueret, sustentabat. Ad hunc modum in Maria dolor de filio pœnalissimè, in cruce afflicto natus cum morte confligebat. Quando tanta erat vis doloris, vt eam iamiam exanimalem facturus videretur, succurrebat autor gratiæ Deus, & qui illi lethalium cruciatuum causa erat, idem cùm iam proxima ex cruciatibus mors immineret, ferebat auxilium, corroborabatque moribundam, vt prorsùm expirare non posset, ac propterea, vt benè dixit Arnoldus, *moriebatur, & mori non poterat*, è viuis abituriebat, nec omninò tamen abibat.

Eusebius Gallicanus in quodam ser. ait: *O quantâ pietate polles, Virgo Christi! Quos enim Deus saluare non potest per iustitiam, tu per tuam saluas misericordiam infinitam.* Magna sunt horum verborum pondera. Vocent ea ad trutinam suam alij, qui meliùs ea, quàm ego perspiciunt. Sensus illorum is est, tantam esse Virginis Matris indulgentiæ facilitatem, & magnitudinem, vt per eam saluet, quos saluare Dei iustitia vindicatiua nequeat, cùm ea hoc requirat, vt malefacta dignis mulctentur supplicijs, nec aliquod impunitum prætermittatur peccatum. Quando autem iustitia flagitijs debita decreuit supplicia, intercedit patrona Virgo Mater, & ab irato Deo ad misericordiam appellans, veniam exobsecrat à pio Deo illi, quem damnatum iustus volebat.

Sed quo sensu infinitam Mariæ misericordiam vocat Arnoldus, neque ille tantùm, sed & Orosius in Cantica, & Anselmus? Exponam id paucis, quod possem multis. Quando Chananæa Christum tam perseueranter prosecuta fuit, & pro ægrotantis, atque arreptitiæ filiæ salute tam pertinaciter obsecrauit, velut victus fidei constantiâ, & orandi peruicaciâ supplicis mulieris Dominus dixit ad eam, *O Mulier, magna est fides tua! fiat tibi sicut vis*, Matth. 15.

S. Ioannes hom. 53. in Matth. ait, hoc *fiat* fuisse germanum illi alteri *fiat*, quo totus è nihilo productus mundus fuit. *Hæc vox*, fiat tibi *illi affinis est, quâ dictum est*, fiat cœlum, *& factum est cœlum.* Hæc ille. Itaq; Chananææ in remunerationem suæ fidei dedit Christus illud, *fiat*, quod fuit virtutis infinitæ. Nam si ea illo ad salutem totiùs mundi vti voluisset, omnes, quotquot alicubi tunc ægrotabant, persanasset illius verbi efficacitate. Illa verò perpar-

perparcè illo vsa solùm ad reddendam filiæ suæ incolumitatem conuertit.

At si Chananææ pro vnius virtutis, hoc est, fidei remuneratione concessum est illud virtutis infinitæ *fiat*, quantò magis Reginæ Angelorum, ex cuius purissimis visceribus vestem suæ humanitatis accepit, pro compensatione virtutum suarum, quæ & numero, & magnitudine incomparabiliter superârunt virtutes Chananææ, debuit concedi, vt suâ misericordiâ ergà peccatores, quantùm vellet, vti posset, tametsi infiniti essent, qui eam requirerent? In hoc ergò sensu aiunt Doctores, quos dixi, misericordiam Mariæ esse infinitam. Eodem modo affirmare possumus, omnes illius virtutes fuisse infinitas, & amorem infinitum, qui responderit amori velut infinito.

Stabat iuxtà crucem Iesu Mater eius. Possumus adhæc dicere, stetisse Virginem iuxtà crucem Filij vt thesauros suos, quos illi offerebat dispertiret.

Sponsa in Canticis de hoc Domino loquês aiebat: *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios.* Cant. 2. Obseruastisné, quòd omnes aliæ syluestres arbores sunt auaræ? Prunus vestem eius, qui fructum decerpere velit, inuadit, & velut prædatrix prætereuntes, si propiùs accedant, aculeis velut manibus iniectis attinet. Quercus fructus suos sub asperis folijs absconsos habet, neque vllos concedit, quos non vel fustibus deieceris, vel stipitibus per vim decusseris. Castaneæ fructus hirsuto folliculo inclusæ nisi benè armatam non admittunt manum. Denique syluestres arbores omnes parcæ sunt, ac tenaculæ, sola malus perliberalis est, & fructus suos non solùm libenter permittit, sed etiam offert.

Christum ergò mali similem Sponsa facit, dicens: *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios.* Exposita enim in cruce hæc malus extendit sua brachia, & offert sui sanguinis fructum. Verùm vt intelligamus, totum hoc bonum per Mariam ad nos descendere debere, voluit vt hac occasione iuxtà crucem vitæ arborem adstaret illa, per cuius intercessionem distribuendi ij fructus essent.

Propterea Richardus de S. Victore ait: *Nihil à throno Dei diuini muneris defluit, aut descendit, quod per Mariæ manus non transierit.* Neque gratiam aliquam concedit, quam per illam non exhibeat.

Et S. Ignatius in Epist. de B. Virgine dicit: *Impossibile est aliquem saluari peccatorem, nisi per tuum, ô Virgo, auxilium, & fauorem.*

S. Bernardus in lib. de dulcedine Mariæ omnium dulcissimè, & grauissimè loquitur, inquiens: *Nescirem quonam refugerem, quidnam sperarem, quomodo me saluarem, si non me totum Mariæ gratiæ commendarem.* Ergò quoniam Christus in cruce pendulus cæpit suos dispertiri thesauros, voluit præsentem in Caluariæ monte adesse Mariam, vt omnia per illius dispensarentur manus.

§. IV.

In quo traduntur variæ expositiones illorum verborum, Stabat iuxtà crucem Iesu Mater eius.

MVltam obseruationem meretur illud, *stabat*, quo significatur, perseueranter affixam fuisse illi loco, eâque reuerentiâ, quæ Deum tam magnum decebat, filium suum constanter coluisse, & adorasse. O quàm præclarè mœstissima illa Domina docuit, integram Deo reuerentiam, adorationem veram, cultumque & amorem perpetem illi exhibere! Plurima regna, & Prouinciæ non paucæ, & homines sine numero in præceps abierunt, & interierunt, quòd obseruantiam quam Deo supremo debuerunt, parcè exhibuerunt, & non satis reuerenter illum coluerunt.

Principes Ierosolymitani *miserunt Sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem*; Ioan. 1. Et Summates eiusdem Reipublicæ delegârunt alios ad Christum, Matth. 22. vt sciscitarentur ex illo, liceretné censum dare Cæsari an non. Legati horum erant Herodiani, siue serui Herodis, arbitrati maiorem reuerentiam debitam Ioanni, quàm Christo. Scitis quid inde factum, quòd de sua existimatione & honore Christo detraxerunt? Contemptum illum austera istâ sententiâ excepit: *Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini.*

Qui factum, quòd Henricus VIII. Rex Angliæ, vir tam catholicus, tam deuotus sanctissimi Altaris cultor, vt pro illo asserendo librum conscripserit, eò tandem dilapsus fuit, vt & fidem, & animam, & regnum perderet, atque ex Catholico fieret hæreticus? Scitis quomodo? Remisit de reuerentia, quam priùs exhibuerat Vicario Christi, & parcior in illo honorando fuit, intepuitq; apud illum cultus, quem Ecclesiæ, & veræ Religioni debuit.

Diximus alibi, quòd Elias cùm regni Israëlitici mores à falsis propheticis Baaliticis profanatos vellet reformare, cœpit ab altari. Sic enim habes lib. 3. Reg. c. 18. *Curauit altare Domini, quod de-*

structum

structum fuerat. In quibus aduertite, quòd cùm dicere deberet, refecit, instaurauit, reædificauit, aut erexit altare, vtitur verbo curandi,& inquit: *Curauit altare Domini,* quod est vocabulum medicinæ. Propterea sapientissimus Caietanus hæc verba declarans ait: *Curauit altare Domini instar sapientissimi medici.* Vt enim expertus medicus ex pulsu venarum arbitratur statum corporis humani: Ita regni valetudo de altari æstimari potest, & à cultu Dei, & ab honore, atque reuerentia, quæ sacris locis, officijs, ministris defertur, hi enim sunt velut quidam pulsus regni. Si Deo cumulatè, aut parcè, ardenter, aut frigidè suus honor penditur, boni,aut infelicis, ac miseri status regnorum sunt inditia. Intercapedines pulsus corporalis sunt longè periculosissimæ: Intercapedines,& remissiones in cultu diuino inditia Reip. lethaliter laborantis.

Apud Sanctum Lucam c. 17. ait Christus: *Regnum Dei intrà vos est.* Qui scire cupit, qualis sit huius regni valetudo, bonané, an ægra, pulsum exploret. Pulsus regni animæ tuæ est seruire Deo. Si hic pulsus subinde remittit,& quiescit, si tu cultum Dei nonnunquàm intermittis, & iam illum quæris, iam ab amore creaturarum abstractus obliuisceris, ominosus pulsus est, quem crebra quies interpellat.

Sanctus Hilarius can. 33. in Matth. ait, quòd Christus in horto non timuit mortem, sed *tempus mortis,* quià sciebat, quòd in illo à suis destituendus esset, præuidebatque Discipulorum à bono secuturam defectionem, & hoc plùs dolebat, quàm mortem ipsam. *Curauit altare Domini.* Ab altari cæpit Elias reformationem regni. Quot homines ex his, qui me audiunt, scelerati, & desperati prodegerunt tempus opum facultates, prouentus, corporis sanitatem, gratiam Dei, corrumpuntq; vel prauis exemplis, vel pernitiabili conniuentiâ, & dissimulatione filios suos, & filias? Vis, homo,resarcire, aut reficere omnia? Ab altari, nouelle Elia, fac initium: *Curauit altare Domini,* ordire à spiritualibus, fac bonam, integramq; confessionem, perseuera in bono, & perdita omnia recuperabis. *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* Non debemus Deo parcâ manu pendere suum cultum, & reuerentiam, idque maximè in templo, vbi debiti religionis actus illi sunt reddendi. Est Deus in omni loco per essentiam, præsentiam, & potentiam, sed non operatur vbiuis eodem modo. In cœlo manifestat suam gloriam, in inferno suam iustitiam, in mundo suam prouidentiam, in templo suam misericordiam, vt ait Dauid. Et circumstantia benè orandi est precari in Ecclesia, audire Missam in Ecclesia,adire mensam Dominicam in Ecclesia, vt recipiamus illam misericordiam. Qui domi lararium habet,& sacellum in ædibus suis, & ibi auscultat Sacrum, facitque exomologesin, restrictâ manu offert Deo actus religionis, vult enim sibi in templo persolui, idque perseueranter.

Hanc perseuerantiam nos docuit Virgo stans iuxtà crucem, tanquàm illi eisdem clauis, quibus Filius, affixus fuisset. Et quod S. Ioannes ait: *Stabat iuxtà crucem Iesu mater eius*, illis verbis indicat, quòd illa nos instituere voluit, quomodo Filio suo cultum,honoremque debitum exsoluere debeamus.

Stabat iuxtà crucem Iesu Mater eius, docens nos, vt si volumus esse fertiles spiritu, studeamus esse vicini cruci, à quo sua spiritui fœcunditas tota venit. Non absque mysterio factum, quòd Christus matrem suam cruci adstantem vocauit mulierem, cùm ait ad eam: *Mulier ecce filius tuus.* Dedimus alibi horum verborum expositionem admodùm subtilem ex Philippi Abbatis Bonæ-vallis lib. de sept. Verb. Domini, nempè quòd Christus pro singulari ergà Virginem obseruantia, & studio curandi, tutandiq; illius honorem vocauit eam mulierem, non matrem. Facti ratio talis est, nam multi eorum, qui Christo in cruce morienti præsentes aderant latronem, & trium qui ibi pendebant,pessimum arbitrabantur. Cùm illi talem haberent de Christo existimationem, si matrem vocasset eam, quæ erat, insignis latronis mater habita, & de honore illius detractum fuisset, & propterea non alio, quàm mulieris nomine eam donare voluit.

Sed aliud mysterium habet, quòd eam mulierem nominauit. Fœminarum tria sunt genera, aliæ enim sunt virgines, aliæ puerpuræ, mulieres aliæ, siue matres. Mater Dei hæc omnia fuit. Primùm fuit purissima Virgo, adhæc puella grauida,atque vt Ecclesia canit, *enixa puerpera regem,* & fuit mulier, quod significat matronam, hoc est, matrem innumerabilium liberorum. Mulier ergò à Christo dicta fuit, quando proxima crucem stabat, vt indicaret, à cruce illi venisse suam fœcunditatem.

Notat Euangelista Matthæus c. 27. quòd milites *angariauerunt Simonem quendam Cyrenæum patrem Rufi & Alexandri,* vt Christo in ferenda cruce subsidio esset. Quid necessum fuit dicere, quòd Simon Cyrenæus pater esset Rufi,& Alexandri virorum sanctissimorum? Id factum tantùm,vt insinuaretur, quòd crux,quam simul cum Christo portauit, fecit

fecit eum fœcundum filiorum sanctorum. Quisquis sibi vult comparare spiritum,& sanctitatem, iungatur cruci Christi. Hoc voluit Maria, quando *stabat iuxtà crucem.*

Præterea *stabat iuxtà crucem Iesu Mater eius*, summâ attentione percipiens illa mysteria, nosque erudiens, quòd non debeamus auelli animo, neque euagari cogitatione ab eis. Propterea Deus apparuit Moysi, Exod. 2. in rudi rubo, & non in pomo, seu pyro fructibus pulchris onusta, ne illorum specie aliò auocaretur mens eius, sed intenta esset spectaculo, quod ei exhibebatur, & his, quæ illi Deus significare volebat.

Spiritus Sancti est hoc consilium Cant. 7. vbi sic habes: *Coma capitis tui sicut purpura regis vincta canalibus*, quod perinde est, ac si dictum fuisset: Omnes cogitatus tui, ô anima, debent coniuncti esse in consideratione passionis Sponsi tui. Diligenter promenda sunt illa, *vincta canalibus*, quæ hoc significant, tam attentos ad hanc rem debere esse hominis cogitatus, vt sint quasi vincti, & constricti illis sanguinum riuis, qui per crucem defluxerunt, tanquam alijs verbis dictum fuisset: Caue, anima, ne quidquam te abstrahat ab illorum mysteriorum meditatione, fige cogitatum in tuum crucifixum Deum, & Matrem illius, quæ *stabat iuxtà crucem*, disce animi præsentiam, qua cum illa contemplabatur eiusmodi mysteria.

§. V.

Solitudo, & desolatio Mariæ est id, de quo potissimùm hac occasione *disserere debemus.*

PRopositum est mihi huius diei desiderio, intentioni, & institutioni satisfacere, quo celebratur commemoratio solitudinis Mariæ. Et quoniam hæc tractatio, fortè quòd non sit tam facilis, à plerisque prætermissa fuit, prætereo ego communem passionis Filij Dei,& angustiarum Matris illius considerationem, deque sola agam solitudine, & afflictione, quam ex mortuo, & sepulto illo hæc habuit.

Nomini solitudinis opponitur vocabulum societatis, quæ omnibus tam expetita est, quàm grata, & vtilis. Creauit Deus hominem, & dixit: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi*; Gen. 2. Sociabāt Adamum quot animalia creauerat Deus, erantque cum illo omnes plantæ, flores, arbores paradisi, ac nihilominùs solus erat, quòd non haberet similem sui socium. Dicitur enim aliquis solus esse in horto, quamuis ibi sint multæ plantæ, & animalia. Diuertit Princeps quidam pro animi relaxatione in hortum suum, vbi sint arbores, quæ pascant oculos, flores, qui oblectent olfactum, aues, quæ suo cantu demulceant aures, si quis de illo quærat, vbinam agat, dicetur in horto morari. At si præterea sciscitèris, qui sit cum illo, respondebitur, solum esse, quia similem sui neminem habet. Hæc doctrina tam est vera, vt Sanctus Thomas 1. p. q. 31. art. 3. dicat, quòd Deus omninò solus esset, si vna tantùm in eo persona esset, quantuis eum tum Angeli, tum homines stiparent.

Propterea Deus videns non esse bonum, quòd Adam solus esset, sociam illi similem sui dedit Euam. Socialem autē ducere vitam tam naturale est homini, vt Aristoteles affirmet, eum, qui hominum conuictum fugit, vel Deum censeri debere, aut bestiam. Verba illius ex 1. de Rep. c. 2. sic habent: *Si quis est, qui congressus, & societates hominum ferre non possit, aut nullo egeat, quod seipso contentus sit, hic profectò in parte ciuitatis non est habendus, ita vel bellua, vel Deus putandus est.*

Sapientiæ 25. sic dicitur: *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coràm Deo, & hominibus.* Quænam illa tria Deo hominibusque pariter grata? *Concordia fratrum, amor proximorum, & vir, & mulier sibi benè consentientes.* Perplacet ergò Deo societas fratrum consentientium, inter quos nulla simultas, & inuidentia, qualis inter Cainum fuit, & Abelem. Et quid adhæc? Coniuges, quorum non caro solùm, sed & anima vna. Nec minùs acceptus Deo est conuictus Matris, & boni filij, quibus mutuò, bene conuenit. Itaque mater infelicis Ducis Sisaræ (quod expendit Tostatus) verita malum, quodcunque illi euenire posset crebrò ad fenestram recurrebat, perspiciens, & succlamans, plurimùmque torquebatur, quòd tam procul abesset, cùm nihil sit, quod acerbiùs excruciet Matrem, quàm absentia liberorum.

Rachelis tanta erat liberorum cupiditas, vt putaret absque ijs viuere non posse, adeò, suo Iacob diceret: *Da mihi liberos, alioquin morior*; Gen. 30.

Consequenter ad ista notandum, quòd Christus morti proximus, cùm vellet ostendere, quanta debeat esse obseruantia liberorum ergà parentes, Ioannem Matri suæ auxiliarem nominauit, & constituit, neque tamen illum vel vt amicum, vel vt fratrem, sed vt filium adiunxit, inquiens: *Mulier ecce*

filius

filius tuus; Ioan. 19. tanquam dicere voluisset: Nulla consolatio æqualis est societati boni Filij, nec aliqua pœnalior solitudo, quàm bono destitui Filio.

Audite ipsum Deum per os Zachariæ dicentem: *Effundam super domum Dauid, &c. & plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum, sicut doleri solet in morte primogeniti*; Zach. 12. Attollent oculos suos, conspicientque Deum suum crucifixum, qui salutis eorum ergò primùm in mundum editus, deinde & in crucem actus fuerit. Et qualis erit illorum dolor, qualis compassio, cùm in eo statu viderint? Scitis qualis? Non alia, quàm quæ de morte Filij, & Filij primogeniti nascitur, quæ acerbissima compassionum omnium esse solet.

Ad confirmationem huius faciet modus, quem Deus obseruauit, quando Ægyptios ad obediendum diuinæ suæ voluntati adducere voluit.

Non abstulit vxoribus maritos, non maritis vxores, *sed percussit omne primogenitum in terra Ægypti*; Exod. 12. 29. tanquam atrociorem pœnam eis adferre non potuisset, quàm cum filios maximè primogenitos sustulit.

Quæ cùm ita sint, qualis solitudo, quantaque afflictio fuerit illa Mariæ! Ieremias primo suorum threnorum c. dicit aliquid de sua ciuitate, quod aptiùs in Mariam cadit. *Posuit me desolatam*, inquit, *totâ die mœrore confectam*. O quàm fuisti desolata Virgo Sanctissima, quamque afflicta, quando tali orbatam Filio vidisti! Dicere tunc poteras: *Egressa sum plena*, omnibus affluebam, quamdiu Filij mei contubernio gaudebam, nunc autem *vacuam reduxit me Dominus*, Ruth. 1. 21. simul enim & talis Filij, & omnis boni iacturam feci. O qualis erat illa societas, & qualis hæc solitudo; Vidi Filium meum in cruce mortuum, scire vos volo, quod charum in illo Sponsum perdidi: *Dilectus meus mihi, & ego illi*; perdidi in illo & verum amicum, sed perdidi etiam, quod intolerabilissimum est, optimum Filium, sine quo vel si in cœlo essem, tristissimam, & luctuosissimam solitudinem arbitrarer.

Absque tali Filio viuere pœnalior solitudo est omni aliâ, quàm quis vnquam expertus fuerit. Id eleganter probatur alterius Filij absentiâ quam Deus cuidam minatus fuit. Narrat sacer scriptor quædam Abrahæ facta, posthæc c. 22. Gen. sic orditur: *Quæ postquam gesta sunt tentauit Deus Abraham*. S. Augustinus q. 57. in Gen. addit, *& probauit*. Videat ergò mundus, quid Deus faciat in Abraham, Deus enim optimè nouerat quid ageret, quâ proptereà alia litera ait, *glorificauit*, hoc est, acquirendæ gloriæ occasionem illi præbuit, tentationes enim, quibus iusti probantur, eò tendunt, vt inde honorificentur. Et reuerà grauis fuit tentatio, cùm ait: *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis*, Isaac, qui est tua voluptas, tuum oblectamentum, & omne delitium. S. Ambrosius lib. de Isaac c. 1. ait: *Isaac risum significat, risus autem signum lætitiæ est*. Grauis probatio, quia ingentem dolorem illi adferet mors talis Filij. *Tolle*. O qualem filium illi ex oculis sustulerunt! Filium primogenitum, Filium vnigenitum, ergà quos est vehementior amor, inprimis Matrum.

Dauid, iste tam sapiens, cùm vellet significare, quanto amore prosecutus esset Ionathan, comparat illum cum amore matris ergà filium charum, & vnicum, dicens 2. Reg. 2. *Doleo super te, frater mi Ionatha, decore nimis, & amabilis super amorem mulierum, sicut Mater vnicum amat filium, ita ego te diligebam*. Filium vnicum occulitùs mater amat.

Quantus ergò amor fuerit beatissimæ Virginis Matris ergà Filium primogenitum, & vnicum! Iure meritissimo illum diligebat, idque triplici amore. Primùm enim complectabatur illum eo amore, quos prosequi naturaliter quælibet mater filium vnicum solet, qui est naturalium amorum maximus. Diligebat adhæc illum amore gratiæ, qui tantus fuit, quantus nullius puræ creaturæ alterius. Vnde S. Bonauentura dicebat: *Quid mirum si præ omnibus dilexit, quæ præ omnibus dilecta est?* Est aliud quoddam genus amoris, quod vocant iustitiæ. Is amor debetur ei, quem amamus, propter sua merita, propter virtutes, propter excellentiam. Et hic amor in Virgine fuit ingentissimus. Ille namq; quē diligebat, non solùm erat filius ipsius, sed etiam Dei, isq; infinitè perfectus, cuius bonitas operabatur miracula pro beneficio omnium, ad pernitiem nullius. Cùmque Virgo Mater has in illo cognosceret perfectiones, complectabatur illum amore iustitiæ, & non solùm naturæ, ac gratiæ, qui erat Isaac, hoc est, risus, siue gaudium totius mundi.

S. Ambrosius vbi suprà dicit: *Quis autem ignorat, quòd is vniuersorum lætitia sit, qui formidolosæ mentis vel pauore compresso, vel mœrore sublato factus omnibus est remissio peccatorum?* Cùm ergò hic Filius Matri ereptus esset, quanta illius solitudo, & afflictio fuerit!

Habebat Dauid filios alios, & tamen cùm audisset mortuum esse Absalonem, tam intolerabiliter

affli-

afflictus fuit, vt diceret, mori malle, quàm illius filij iacturam, & absentiam pati, inquiens: *Fili mi, Absalom, Absalom fili mi, quis mihi tribuat, vt moriar pro te?* 2.Reg. 18. Et qualis filius, quàm longè diuersus ab illo ademptus fuit hodie Mariæ! Absalon, vt exponit S.Hieronymus, idem est, quod pater pacis. Talem patrem solo nomine ille præferebat, factis autem incentor belli erat. Christus verò fuit princeps pacis, adeòq; non potuit non vehementissimus esse dolor Reginæ cœlorum illius conuictu, & quotidiano vsu destitutæ.

Iacob multos habebat filios reliquos, nihilominùs cùm Beniamin in Ægyptum ad breue tempus abducendus esset, & Simeon teneretur in vinculis, aiebat cæteris filijs: *Absq; liberis me esse fecistis*; Gen. 42. O quantum abest Simeon à Filio Mariæ! Quantum ab illo Beniamin, siue *filius dexteræ* distat? Quandoquidem hoc orbata es Filio, ô Virgo, qui vnus omnibus alijs præstat, vtere verbis mœstissimæ illius Matris, quæ ob similem causam similiter lugebat, dicens: *Heu heu me, fili mi, vt quid te misimus peregrinari lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ! Omnia simul in te habentes, te non debuimus dimittere ire à nobis*; Tob.10. 4. 5. Dic Maria ad eundem sensum: Eheu me, fili mi, lux clara oculorum meorum, solatium, & roboratio deficientis vitæ meæ, quantum doloris sentit anima mea, quòd tuo aspectu frui non liceat! O quàm meritò dicere possum cum Isaia, postquàm me tuâ consuetudine destitutam video: *Anima mea desiderauit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordijs meis de mane vigilabat ad te*; Isa. 26. O quænam anxietas per noctem absentiæ tuæ obsedit animam meam magis tunc solitariam, & afflictam, quàm cùm terra orbata est sole, qui illi dat vitam! *Anima mea.* Sine Christo esse Mariæ anima non poterat. Nec miror, quoniam etiam Isaias, qui Christum minùs quàm Maria cognoscebat, absq; illo esse non posse putabat.

Petrum recordamini, quòd nocte passionis semper Magistrum suum sequebatur: *Petrus autem sequebatur eum à longè*; Matth. 26. At quò tendis, Petre? Vide sis, quòd si ita pergis eum prosequi, negandi periculum incurres. Nihil refert, respondet amans Petrus, malo enim præsentiâ illius cum quantouis negandi discrimine gaudere, quàm confiteri, & conspectu illius destitui. Theodoreti hæc est tam subtilis commentatio, qui in orat. 2. de charitate sic habet: *Satiùs duxit sequens negare, quàm fugiens confiteri.* Tam cara illi erat sui Christi præsentia.

Audite aliud quidpiam non minùs acutum. Abibat Christus in cœlum, cùmque Discipuli viderent se illius conuictu priuari, ita suspensi, & contristati fuerunt, vt opus haberent consolatione. Quare de cœlo venerunt Angeli, qui mœrorem illorum abstergere volentes, dixerunt: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum?* Quænam est illa tanta vestri animi afflictio? Scire vos volo, beneficio vestro factum, quòd Magister vester vos destituit. Dixit enim vobis: *Si non abiero, paraclitus non veniet ad vos*; Ioan. 16. Si vos contristat absentia Christi, exhilaret præsentia matris illius Mariæ. Poterat, fateor, societas Mariæ nonnihil præstare leuaminis, & mitigare dolorem, sed omnem auferre mœrorem, & integram, plenamque adferre consolationem, Christo absente, non poterat, donec illi dicerent, quòd illius præsentiâ posthæc iterùm gauisuri essent, inquientes: *Hic Iesus, qui assumptus est à vobis, sic veniet.* In hæc verba S. Chrysostomus ita disserit: *Ne consternarent illorum animos, subiecerunt,* sic veniet, *& sic respirârunt aliquantulùm, cùm audissent eum denuò rediturum.*

Quid mirum ergò, quòd Maria quæ Filium suum tam benè nouerat, cùm se illo orbatam vidit, vehementer afflicta ingemuerit, & has lachrymabiles voces dederit: *Anima mea desiderauit te in nocte,* &c. velut dixisset: Ah fili mi, vide me, quàm sim solitaria, postquàm tuo conuictu destituta. Excruciat me recordatio voluptatis, quæ animæ meæ nascebatur, de intuitu diuinæ pulchritudinis tuæ, quando recogito robur, quod addebatur cordi meo, quoties tu, ô mi dulcis Iesv, redibas domum fatigatus prædicationibus, delassatus itinerando, exagitatus æmulorum tuorum calumnijs, & persecutionibus, quorum tanta erat improbitas, & tam extrema malitia, vt faterentur, decedere de vita velle, dum te mortis communis haberent socium!

Absoluamus hunc ita discursum, vt ad animarum commodum sermo noster cedat. Si priuatio corporalis præsentiæ Christi tantam parit solitudinem, & tristitiam, quantùm mœrere debet, quamque solitaria est anima illa, quæ per peccatum mortale destituta est Deo, his maximè sacris diebus.

Id gentilis quidam idololatra declarauit Genesis 31. c. persequebatur Iacobtem Laban subiratus, certus multis asperis verbis illum exagitare, nisi à Deo prohibitus fuisset. Denique illum assecutus sic appellabat: *Ad tuos ire cupiebas, & desiderio erat tibi domus patris tui, cur furatus es deos meos?* Vide Laban, quod tibi solùm imperatum, ne quid

illi

illi iniuriæ irroges, aut incommodi inferas, dolorem tuum, mœstitudinemq; explicare benè potes. Tamné exiguus est tuus ergà filias amor, vt non lugeas, quòd illas absque tua licentia, & benedictione abduxerunt? Tamné parùm diligis nepotes tuos, illos tam venustos, & elegantes? Tam vili æstimas numerosos animalium greges, cæterasq; opum facultates, quas secum Iacob effert? Scio quòd hæc omnia doleant, cur ergò de ijs non expostulas? Cur non repetis? Respondebit verbis superioribus: *Cur furatus es deos meos?* acsi dicat: Tantùm redde mihi deos meos, quos adoro, horum enim iacturam sentio, hos recuperare procuro, cætera omnia per me licet, dispereant. Si deos meos recuperauero, nihil mihi deerit, absque ijs verò nepotes, liberos, diuitias nauci facio.

Cùm tanti æstimati fuerint dij falsi, & ficti, quo in pretio habere debemus Deum verum, cui modis tam & multis, & magnis obligati sumus? Quid mirum, quòd tam vehementer doleat Virgo Mater?

Dole ergò absentiam Dei tui, ô anima, sine illo enim valde ærumnosa, & misera eris. Si illum peccando perdidisti, nec rogare audes, vt redeat socius animæ tuæ, confuge ad illius Matrem, Mariam adi. Sic enim ait Bernardus: *Ad Deum non audes accedere, vade ad Mariam, & ostende ei tua facinora.* Et quid illa tunc faciet? *Ipsa ostendet pro te Filio pectus, & vbera, & Filius ostendet Patri latus, & vulnera,* sicque impetrabis optata, hoc est, scelerum tuorum veniam obtinebis. *Pater enim non negabit Filio postulanti, & Filius non negabit Matri interpellanti, & Mater non negabit peccatori ploranti.* Ita consequenter Bernardus. Vade plorabundus ad pedes Mariæ, peccator, & obsecra eam, aut si id per lachrymas lingua non potest, sine ego ex omnibus ei loquar: Dolemus, Regina cœlorum solitudinem tuam, dolemus quòd peccata nostra tanti tibi doloris causâ fuerunt. At si hac nocte tam multum passa es, expecta diem sequentem, qui tibi gaudiosissimus illucescet. Cesset, cesset luctus tuus, & eiulatus, & dolor, mortui enim Filij tui sacrificio placatus est Deus. Citò aderit matutinum proximum, in quo videbis arcum tricolorem pacis prognosticum, & columbam oliuâ redimitam. Citò videbis nouo virore indutum florem illum, qui heri emarcuerat, hoc est, Filium tuum gloriâ coronatum.

Volo ad finem aduertatis mysterium quorundam ex Ecclesiæ cantico, *Salue Regina,* verborũ, quibus sic Virginẽ appellamus? *Illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte.* Quæro. Cùm Mariam ibi tanquàm præsentẽ alloquamur, quare de oculis tanquàm absentibus loquimur, dicentes, *illos tuos oculos?* Cur non absolutè dicimus, *oculos tuos ad nos conuerte?* Quamobrem additur, *illos tuos oculos ad nos conuerte?* Qui sunt illi oculi? ii sunt, quos in Caluariæ monte in Filium fixit, quamuis iis nihil opis afferre illi posset. Illos ergò ad nos conuerte oculos, pientissima Virgo, & mater, idque cum illa teneritudine affectus, quâ Filium tuum intuebaris. Illos ad nos oculos conuerte, qui tametsi Filio tuo nihil leuaminis, vel roboris adferre potuerunt, nobis tamen ingens beneficium conferent, & necessitatibus nostris quidem procurabunt remedium, sibi ipsis verò celebrem bonitatis existimationem, si nobis impetrent lucem, ardorem, perseuerantiam, & gratiam, *quam mihi, & vobis, &c.*

De S. Ioachim Patre Mariæ Virginis, & Auo Filij Dei.

Autore Ad. R. P. CHRISTOPHORO *de* AVENDANNO *Carmelitâ.*

Interprete F. Ioanne Freylinck Ord. Præd.

THEMA.

Liber generationis Iesu Christi filii Dauid, filii Abraham. Matth. I.



Celebramus hoc die Festum gloriosissimi Patriarchæ Ioachim, cuius tanta fuit sanctitas, vt agnominari meruerit magnitudo Dei. Obseruastisné, quod in libro Sophoniæ dicitur: *Verbum Domini, quod factum est ad Sophoniam filium Chusi, filii Godoliæ?* Remigio Altisiodorensi exponenti illa verba Chusi idem est quod humilitas, & Godolias significat magnitudinem Dei. *Chusi, qui interpretatur humilitas, habebat auum Godoliam, qui dicitur magnitudo Dei.* Velut Sophonias, quòd esset filius humilitatis, auum habuit magnitudinem Dei: Ita Christus matrem elegit hominum, quotquot creauerat, humillimam, vt auus suus appellari posset magnitudo Dei. Fieri non potest, vt de homine tam sublimi sanctitate prædito absque auxilio gratiæ rectè differamus. Confugiamus itaque ad illius autorem, Virginemque, cuius res hîc plurimùm

rimùm agitur, obteſtemur, vt eam nobis impetret, quod faciet, ſi deuotè illam ſalutauerimus, dicentes: *Aue Maria, &c.*

§ I.

Captus amore paupertatis ſancti Ioachim Chriſtus ſuâ prouidentiâ illum ſibi deſignauit auum.

Liber generationis Ieſu Chriſti filii David, filii Abraham.

AB interrogatione expoſitionem huius Euangelii ordiri volo. Quid cauſæ eſt, quòd cùm eandem haberent proſapiam, & commune genus Abraham, & Lot, eſſetque alter auunculus, conſobrinus alter, vterque autem cumulatus virtutibus, & amicus Dei, Matthæus genealogiam Chriſti ab Abrahamo inceperit, illumque generationis Chriſti quâ hominis caput conſtituerit, & non fuerit recordatus Lot, qui ſicut ab Abrahamo cæpit, ita & ab eius conſobrino facere initium potuit?

Reſponſio accipitur ex c. 15. Geneſis, vbi nobis dicit Scriptura, quòd cùm terra, in qua Abraham, & Lot aliquamdiu communiter habitauerant, diuideretur, *elegit ſibi Lot regionem circa Iordanem.* In his diligenter notandum, quòd Lot *ſibi* elegiſſe fertur ſuam partem terræ. Illud *ſibi* omnes verſiones habent, Lxx. Interpretum, Santis Pagnini, Chaldaica, nec altera ab altera, quod ad hanc rem attinet, vel minimùm diſcrepat, ſic vt omnes concorditer vnâ illâ voculâ exprimere voluerint affectum, quo Lot ferebatur erga bona temporalia, qui ea *ſibi* ſuæque voluptati, non Deo, illiuſque cultui delegiſſe fertur.

Confirmatur hæc veritas ex eo, quòd cùm vnus Moſes educendis tot familiis ex Ægypto, ſatis eſſet, duo Angeli vix ſuffecerunt abſtrahendo è Sodomis vni Lot, neceſſariumque fuit, vt illi vim adferret: Cauſam hanc reddit Rupertus, quia *remorabatur eum amor rerum temporalium.*

Pergamus nunc ad ipſius auunculum Abrahamum, & videamus cui elegerit bona temporalia. Res manifeſta eſt, quòd illa Deo, eiuſque pauperibus elegit. Propterea à S. Chryſoſtomo vocatur *Venator pauperum, quia prætereuntes venabatur pro ſua quiete ducens miniſtrare viatoribus.* Idcircò & dixerit Deus: Abrahamum tanquam pauperem eligo auum, & caput meæ genealogiæ, & refuto Lot, tanquam hominem nimis cupidum opum terrenarum.

Glorioſus Patriarcha ſanctus Ioachim fuit nepos Abrahæ, rectâ lineâ ab illo deſcendens, & hæres ſanctæ paupertatis illius, ea propter verbum Diuinum illum dilexit, delegitque ſuæ matri patrem, ſibi verò auum. Tam perfectè autem pauper ſpiritu fuit, vt S. Hieronymus in quodam de ortu Virginis tractatu affirmet, in tres partes diſtribuiſſe ſuas opum facultates, & primam in ornamentum templi, ſecundam in neceſſitates pauperum peregrinorum vertiſſe, *tertiam autem ſuæ familiæ vſibus, & ſibi reſeruâſſe.*

Sanctus Epiphanius Matrem Dei vocauit *cœlum animatum.* Hinc difficultas naſcitur eiuſmodi. Cùm ſancti Ioachim, & Anna decrepiti, tantùmque exigua quædam pars veteranæ terræ eſſent, quomodo cœlum terra generare poterat? Cùm Virginem ſacri Scriptores paſſim nunc ſtellam appellitent, nunc lunam, quam Epiphanius cœlum viuum, quomodo ſanctus Ioachim cœlũ hoc conficere potuit?

Aliunde ex Scriptura accipiemus, quo hanc diluamus dubitationem. Prima Geneſios verba ſic habent: *In principio creauit Deus cœlum, & terrã:* Sanctus Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 9. ait, magno beneficio noſtro id factum à Deo, ne homines in hac vita interirent. Sciebat ærumnas, quas paſſuri in hac vita, infirmitateſque, & calamitates, quas toleraturi, & miſerias, quibus affligendi eramus. Vt ergò leuiora fierent aduerſitatum pondera, iungatur terræ cœlum, inquiebat Deus. Quale cœlum? Empyreum (de hoc enim fit hic ſermo) vt ſpes videndi me, & fruendi me in illo leuet hominibus pœnas, quas ferunt in terris, quantumuis eæ grandes ſint, ac graues. Subtiliter hæc, nec enim negari poteſt, ſanctus ille Doctor excogitauit, & his verbis expreſſit: *Secundùm maximam ſuam benignitatem Deus velum propria Deitatis cœlum extendit, ne periremus.*

Poſtquàm Pater locutus eſt, dicat nunc Filius. Quòd Deus cœlum terræ adiunxit, ſiue conſociauit, hoc fecit ob eam rationem, quam ſacer textus reddit, dicens: *Terra autem erat inanis, & vacua.* Nondum auri, & argenti metalla Deus in terra creauerat, nondum illam gloriâ mundi exornabat, cùmque tam nuda, & inops eſſet, cœlum illi adiunctum fuit. Sic reſpondimus propoſitæ difficultati, nimirum quòd Maria, quæ cœlum animatum erat, fuit filia ſanctorum Ioachim, & Annæ tam vetulorum, vt terra eſſent, ſed terra inanis, & vacua, & perte-nuis & omni ſplendore mundano nuda, & ſic optimè coniungi cum cœlo potuit.

In

In huius rei confirmationem, expendens Rupertus, quòd Iacob, cùm peropulentorum parentum esset filius, admodum pauper fuit, cùm in Mesopotamiam perrexit, ad accipiendam vxorem, ex qua de semine suo salus mundi, & omnium gentium benedictio Christus nasceretur, exclamat in hunc modum: *O profugium cælestis asyli protectione dignum, qui solâ fide absq; lectione scripturarum edoctus erat, quòd ad possidendam benedictionis hæreditatem non pompaticè, sed humiliter, & conscientiâ supplici esset ingrediendum!* Paupertatem spiritus Euangelicam Iacob ante Euangelium amplexus fuit. Et quid eâ re commeruit? Dicam. Cùm esset Iacob terra inanis, & vacua, coniunctum cum illo cælum fuit, itaque cùm se ad dormiendum componeret, vidit cælum apertum, & scalam, per quam Angeli ascendebant, & descendebant, vt eum visitarent.

Respondeamus nunc titulo paragraphi. Verbum diuinum plùs est, quàm cælum, quia est autor gloriæ. Propterea videns paupertatem spiritus, quæ erat in sanctis Ioachimo, & Anna, & Chara amborum filia, & quòd omnes illorum affectus essent cælestes, captus amore opulentiæ illorum spiritualis voluit cum eis contrahere necessitudinem consanguinitatis.

Habemus locum sacræ Scripturæ, qui hoc dicit ad Philip. 2. vbi ista: *Semetipsum exinaniuit formâ serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Aduertite in his cum S. Bernardo, quod cùm deberet dicere, *in similitudinem hominis*, inquit *in similitudinem hominum*. Qui sunt isti homines, quorum Dominus voluit assimulare paupertatem, & quæ erant reliqua? Respondetur, fuisse sanctos Ioachim, Annam, & vtriusque filiam. Legite sanctum Bernardum in serm. De Passione Dom. feriâ 4. hebdomadæ pœnosæ. O magnitudo Ioachim, & Annæ, quibus ipse Deus carnem indutus assimilari in aliquibus virtutibus voluit, vt hinc magna illorum sanctitas innotesceret.

§. II.

Per castitatem coniugalem, in qua viuebant sancti Ioachim & Anna, desierunt esse homines, & transmutati sunt in Angelos, & quòd pars ornamentorum, quibus splendicabat Maria, descendit à cælesti puritate suorum parentum.

AVdiamus de hac re sanctam Brigittam, cuius hæc sunt ex lib. 1. reuelat. c. 9. *Ioachimus, & Anna ex charitate diuina, & ex verbo Angeli conuenerunt carne, non ex concupiscentia aliqua voluptatis, sed contrà suam voluntatem ex diuina dilectione, & sic ex semine eorum per diuinam charitatē caro mea compaginata est.* Itaque vt operi matrimoniali vacarent, necessum fuit, vt è cœlo submissus Angelus id eis præciperet, qui simul aperiret, quantùm vtilitatis remedio mundi allaturus esset fructus qui ex illorum visceribus nasciturus.

Atque vt respondeamus ei, quòd potissimum in titulo huius discursus proposuimus, nimirum quòd sanctus Ioachim propter suam insignem castitatem desiit esse homo in oculis Dei, & puritate Angelos transcendit, attenti accipite commentationem, quā dicam, quæ aptissimè huc cadit.

Pono ante omnia, nemini sic congruere quoddā Lucæ dictum ex c. 12. vt huic Patriarchæ. Quale illud? *Sint lumbi vestri præcincti*, vbi videmus, quòd illud Euangelium, vt nobis persuadeat studere castitati, iubet lumbos habere præcinctos, & constrictos. Videamus nunc etiam Angelos, eosque cinctos. Tobias iunior cùm meditaretur profectionē, *inuenit iuuenem splendidum, stantem, præcinctum*; Tob. 5. 5. Sanct. Raphaël is erat. Sanctus Ioannes vidit alterum Angelum *præcinctum ad mamillas Zonâ aureâ*, Apo. 1. Fortean laborant passionibus Angeli, quas incingere necessum habeant? Non. Quamobrem ergò se constringunt, vt studiosi castitatis solent? Id faciunt, vt significent, esse Angelos, quicunque castitate norunt validè suos constringere affectus, & timore Dei coërcere, quòdque ii desinant esse homines, & transmutentur in Angelos. Vultisnè videre scripturâ nixum, quod dixi? Attendite. Dixit Dominus ad Abraham: *Ambula coram me, & esto perfectus*; Gen. 17. velut aliis verbis dixisset: Volo, Abraham, simus tam coniuncti amici, vt sit amborum nonnisi vna voluntas, domusque, & mensa communis, sed hac tamen conditione, vt connitaris esse præmodum perfectus.

Quæro. Quanam in re hanc positam esse perfectionem volebat, qui ab eo exigebat? Quis fuit nodus tam arctæ necessitudinis, & strictæ familiaritatis? Scriptura hoc declarat, dicens: *Circumcidetur ex vobis omne masculinum.* Obtemperauit Abraham, statimque circumcisus fuit, & omnis familiæ, domusque eius masculus eodem die. Quod fuit consilium Domini præcipientis Abrahæ, vt circumcideretur? Respondet Glossa: *Vt castitatem sibi seruandam cognosceret.*

Accedamus nunc ad conceptum singularem, qui singularem requirit attentionem. Cum magno my-

ſterio ſubmonet Scriptura, quòd Abraham *nonaginta nouem annorum erat, quando circumcidit carnem præputii ſui.* Commentatio in hanc rem Gloſſæ interlinearis acutiſſima eſt, quæ hanc vult eſſe cauſam, cur Abraham tunc, cùm nonaginta nouem eſſet annorum, iuſſus fuit circumcidi, quòd per illum numerum ſignificentur nouem chori Angelorum, vt conſtat ex parabola ouis perditæ, quam vt requireret bonus paſtor, reliquit in deſerto nonaginta nouem oues, quarum nomine ſententia Patrum communis intelligit nouem, quos dixi, Angelorum choros, quos reliquerit paſtor Filius Dei verbum Patris, vt vnam naturæ humanæ perditæ ouiculam in viam à ſuis erroribus reuocaret, & reportaret in caulam. Quòd ergo Deus imperauit Abrahæ, vt circumcideretur, quando annum agebat nonageſimum nonum, fuit tale, quale ſi dixiſſet, quòd per caſtitatem, quam in circumciſione profeſſus fuerat, ex hominibus in Angelorum ordinem tranſiiſſet, iamque numero, & choris beatorum illorum ſpirituum inſeri poſſet. *Innouatus hoc numero nonaginta nouem inſinuatur pertingere ad ſocietatem ciuium ſupernorum*, inquit Gloſſa.

In huius rei confirmationem dicit Magnus P. Auguſtinus in lib. de bono coniugali c. 21. non fuiſſe inferius meritũ Abrahæ in ſtatu coniugali, quàm ſancti Ioannis Baptiſtæ in virginali. Verba illius ita habent: *Non eſt impar meritum continentiæ in Ioanne, qui nullas expertus eſt nuptias, & in Abraham, qui filios generauit.* Addit dicti ſui rationem Doctor ſanctus dicens: *Continentiam Ioannes in opere, Abraham in ſolo habitu habebat.* Quamuis enim coniugatus eſſet, tam expeditus tamen ad omnia opera pietatis, quàm iniunx quilibet erat, tantùmq; faciebat, quantùm ſi abſque vxore fuiſſet.

Iam ſi volumus comparare continentiam, & caſtitatem ſancti Ioachim cum Abrahæ caſtitate, certum, exploratumque eſt, quòd illa huic longè præiuit. Et ſi Abraham pro ſuæ continentiæ merito in Angelis numeratus fuit, noſter Patriarcha recenſeri in Seraphinis debet.

Tranſeamus ad alteram partem in titulo propoſitam, hanc nimirũ, quòd pars ſplendoris, quo adornata Dei mater emicuit, à coniugali caſtitate parentum ipſius accepta fuit. Videtur autem abſurdum, quòd à caſtitate ſplendor exire dicitur, nihil tamen à veritate alienum habet, videmus enim quòd Euangelium lumbos præcinctos cùm ſplendentibus facibus coniungit, dicens: *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.*

Atque vt videatis, quòd ab integerrimè ſeruata caſtitate naſcantur pulcherrimi ſplendores ex ſcriptura hoc demonſtrabo, quæ libri Iudicum c. 5. refert, quòd Debbora principes, qui cum illa prælium, & periculum commune adierant, ſic appellauit: *Benedicite Domino, qui aſcenditis ſuper nitentes aſinos.* Niſi ex Spiritu ſancto hæc ſacer ſcriptor narrâſſet, ridicula laus illorum principum videri poſſet, quòd ſuper nitentes aſinos aſcendiſſe feruntur. Origenes homil. 6. in illum Iud. librum ea verba ſic legit: *Qui aſcenditis ſuper aſinas refulgentes*, aitque per has aſinas typicè ſignificari noſtram carnem, cui cùm anima inſidet, cinguloque lumbos ſtringit, tunc ea radios euibrat tam luculentos, vt totam perſonam reddere perſpicuam, & illuſtrem poſſit. Verba Origenis reddo: *Cùm iumentum hoc, id eſt, corpus meum ſub iugo venerit verbi Dei, tunc vehiculum corporis mei reſplendere incipiet, & aſina hæc, id eſt caro mea tunc refulgere dicetur, cùm caſtitatis, & pudicitiæ fuerit ſplendore decorata.*

Et vt palàm fiat, quòd ſplendorum fulgentiſſimi, quibus iuſti nitent, à caſtitate proueniant, obſeruetur id, quod Apoſtolorum Acta c. 5. de B. Stephano his verbis referunt: *Omnes, qui ſedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.* Quanquam infenſiſſimi hoſtes eſſent Stephani, quotquot in illo concilio præſentes, de vultu nihilominùs Angelum illis referre eſt viſus. Scitis vnde illi profecti ſint ſplendores? Dicat hoc magnus P. Auguſtinus, cuius ſunt iſta ex Serm. 5. de S. Stephano: *Prapoſitus fœminis teſtimonium meruit ſinceriſſimæ caſtitatis.* Elegerant Stephanum Apoſtoli, vt eleemoſynas erogaret in fœminas. Ille autem inter medias mulieres obambulans tam valido caſtitatis cingulo ſuos conſtrinxit lumbos, vt inde prodierint ſplendores illi Angeli, qui vultui eius tantum adferebant ornamenti.

Confirmemus dicta ex illo S. Pauli 1. Corin. 15. *Alia claritas ſolis, alia claritas Lunæ, alia claritas ſtellarum.* Vnde tanti naſcuntur ſplendores? Reſpondet ſanctus Iſidorus Peluſiota ex cœlo diligenter cuſtoditæ caſtitatis oriri. Verba illius ex lib. 3. Epiſt. 351. talia ſunt: *Soli eos, qui virginitatem amplexi ſunt, Lunæ autem eos, qui continentiam, ſtellis eos, qui honorabile coniugium amplexi ſunt, atq; conſeruârunt, comparat Paulus.*

Nihil ergò mirum illud, quod titulus huius diſcurſus habet, quòd à Sanctorum Ioachim, & Annæ caſtiſſtate matrimoniali, quam exactè, inuiolatèque

seruare nouerunt, deriuati sunt splendores, quibus exculta eorum filia fuit. Quòd Maria *maris stella* dicitur, id etiam à cœlo puritatis horum Sanctorum coniugum nomen traxit.

Fortean hoc est, quod in lib. sapientiæ c. 4. dicitur: *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate!* Notate illud, *Casta generatio cum claritate*, ex quo arbitrari licet, quàm coniunctæ sint castitas, & claritas, vt benè dixerim, ex castitate Sancti Ioachim natos splendores, quibus exornata effulserit Maria.

In confirmationem omnium dictorum vnum addam, quo & obsignabo hunc discursum, nempe quòd qui nouit carnis, & sanguinis prauos subigere affectus, idem omnia in cœlestem splendorem conuertit. In Genesi inueniemus quòd Deus imperauit Abrahæ immolare Filium & mactare victimam. Obtemperauit ille cum summa promptitudine, exemitq; gladium, & suspensâ ad ictum manu voluit iam iam demetere filio caput, & diuinam exequi voluntatem quando illum Dominus abstinere iussit, & dixit: *Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti vnigeto filio tuo propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli*, Gen. 22.

S. Hieronymus, cùm ea verba expendit, ait: Abrahamum, quòd certum, deliberatumque habuerit obtruncare pro Dei iussione suum filium, & affectum amoris quemcunq; repugnantem subigere, fuisse ab illo exaltatum, vt esset parens stellarum: *Humani contemptor seminis pater vocatur astrorum.* O certam pectoris sententiam deliberatum habentis proprium Filium mactare Deo victimam! O facinus, quod desinit esse humanum, & fit diuinum! Quando homo, vt gratificetur Deo, renuntiat amori temporalium, & castitate constringit suas passiones, extollit eum Deus tanquam alterum quendam Abrahamum, & ex patre carnali facit cœlestem, & in vicem filiorum & nepotum, qui ex carne & sanguine futuri erant, concedit, vt stellarum sit parens.

Et si indagare volumus, quænam in sensu mystico sint stellæ, quorum pater factus Abraham, manifestum est, quòd eiusmodi stellæ fuerunt multi veteris legis sancti, & omnes illi viri magni, quos in Christi genealogia descripsit Matthæus, & Apostolorum pars maior, ipsaque adeò Dei Mater. Hæ, inquam, sunt stellæ, quorum parens factus est Abraham.

Totum hoc veriùs atribui potest Sancto Ioachim, quia maiore castitate nituit, quàm Abraham, & sic ratifico, quod dixi, nempè ab illius puritate coniugali exortam magnam partem splendorum, quibus Dei Mater eluxit, quo nihil magnificentius in eius laudem dici potest.

§. III.

Exponit varijs modis quoddam Sancti Ioachim elogium, quo illum D. Epiphanius celebrat, vocans præparationem Domini.

NOn absque magno mysterio Euangelistæ silentio præterierunt excellentias S. Ioachim, cùm habuerint promptam occasionem narrandi sublimes virtutes, & singulares prærogatiuas huius Patriarchæ, cui tanquam Patri Mariæ, & auo Christi omnia congruerent, & nihil esset superfluum. Illud verò maiorem mihi adfert admirationem, quòd Matthæus contexens genealogiam Christi, cùm debuisset dicere, *Ioachim autem genuit Mariam*, abrupit filum, & dissimulauit tantam tanti Patriarchæ laudem. Sed non caret mysterio silentium. Resenim ingentes, & nimis insignes, quibus deprædicandis nullæ laudes sufficiunt, meliùs commendantur taciturnitate, & admiratione. Ea propter Aristoteles dicebat quòd *magnorum non est laus, sed admiratio.* Et Aulus Gellius lib. 4. ait: *Admiratio, quæ maxima est, non parit verbum, sed silentium.* Esse autem patrem Mariæ, & auum Christi res tanta est, vt eius non sit laus sed admiratio.

Idcircò cùm illius prædicare laudes hodie ex instituto debeam, volo earum exordium facere à quodam S. Epiphanij dicto, cui Ioachim idem est, quod *præparatio Domini.* Negotium nobis facesset talis dicti expositio.

Prima expositio. *Ioachim idem est quod Domini præparatio*, quia in hoc sancto cæpit Deus remedium præparare generis humani, dum animam eius fecit diuinam, & viscera purificauit, vt esset pater illius, quæ futura erat Mater Domini. Et cùm fieret homo, qui erat Deus, voluit S. Ioachimus, qui futurus erat, ipsius auus, ex speciali gratiæ fauore fieret auus diuinus. Huc facit illud S. Petri Chrysologi ex serm. 102. *Deus quod humanum est, cùm vult facit esse diuinum, & quod nostra carnis est, cùm dignatur, suum commutat in spiritum.* Si ergò Deus, cùm vult, facit esse diuinum, post Mariam Matrem suam nulli alteri digniùs, decentiùsque suam potuit commodare deitatem & spiritum suum, quàm suo auo Ioachimo, in illo quippè incepit remedium humani generis disponere.

Et velut cùm Rex quispiam, aut Princeps alius initurus est nuptias, & sponsam cum solenni pompa adducturus in aulam, multis diebus antè nihil aliud

videtur, nisi præparatio ad hunc introitum cohonestandum, nihil nisi aptari vestes, adornari arcus, & currus triunphales, basilicam non aulæis modò, & peristromatis vestiri, sed etiam structuris nouis amplificari, & varium apparatum fieri, omnia deniq́ue spirare iubilos, & edere signa lætitiæ, & Palatinos aliud nihil agere, neq; curare, nisi vt curẽt & excolãt, & perpoliãt aulam, disponantq́; omnia ad ingressum sui Regis. Sic quòd S. Ioachim nihil aliud est, quàm *Domini præparatio*, vt ait S. Epiphanius, eo nomine significatum fuit, quòd in illius visceribus cæpit Deus capere mensuram, & meditari vestem, quâ induendum esset verbum Patris. Hìc ergò adornabantur omnia ad ingressum summi Dei in hunc mundum cum tam ingentibus impendijs gratiarum sanctissimæ Trinitatis, vt obstupescerent palatini cœlorum.

S. Petrus Chrysologus serm. 91. loquens de sterilitate beatæ Elizabeth ait, quòd per illam *mundabatur longo tempore sacrificij Dominus sanctitatis hospitium*. Et serm. 89. *quòd in illis parabatur, vnde tota sanctitas nasceretur*. Si ergò Deus tantò antè præparabat vterum Elizabethæ, vt conciperet Baptistam, quid mirum quòd præparauit Ioachimum, qui illi auus futurus erat? Hoc ergò sibi vult illud Sancti Epiphanij: *Ioachim idem est, quod præparatio Domini.*

In confirmationem dictorum facit illud S. Vincentij Ferrerij ex ser. illius 2. de Natiuit. Virginis: *Lux dicitur benedicta generatio Virginis Mariæ, quia sine tenebra culpæ facta fuit, & coniunctio Ioachim & Annæ luminosa fuit.* Notate illa verba, *coniunctio Ioachim & Annæ luminosa fuit.* Velut enim in natiuitate cuiuscunq; Principis, aut propter optata nuntia quæpiam accenduntur plurima in regijs lumina, excitantur varij ignes picatorum vasorum, & missibiles, & exploduntur machinæ fulminares, vt tota conflagrare aula videatur, & oculis, quocunq́; eos vertas, nil nisi flammantes tedæ, facesq́ue occurrunt: Ita quando Sancta Anna ex Ioachimo concepit Reginam cœlorum, accenderunt Angeli in aula supera sine numero lumina, inq́; illa conceptione quàm solennissimè fieri potuit, celebrârunt præparationem remedij, quo curandum erat genus humanum. Hoc voluit dicere S. Vincentius, cùm ait: *Coniunctio Ioachim, & Annæ luminosa fuit,* & S. Epiphanius, cùm dicit, Ioachim idem esse, quod præparationem Domini.

Optimè confirmatur totum hoc ex serm. Angelico S. Brigittæ de Virgine c. 10. vbi sic habes: *Deus nullum simile Ioachim, & Annæ coniugio in omni diuina charitate, & honestate prauidit, idcircò ei placuit de hoc sancto coniugio honestissima suæ matris corpus generari.*

Nisi velimus dicere, quòd *Ioachim idem est, quod Domini præparatio*, quià eo nomine præparamur ad recipiendum magna beneficia è manu Domini nostri, & charæ Matris illius: Et quòd velut Nomina IESV & MARIÆ habent ingentem virtutem subueniendi illis, qui ea implorant, sic & IOACHIMI nomini voluit Deus indere singularẽ efficacitatẽ, quâ disponerentur ad recipiendum à Deo eximias gratias, quicunq́; Ioachimum patronum siue in aduersis, siue in prosperis appellarent. Mihi indubitatum, quod gratissima Christo eiusq́ue Sanctissimæ Matri assentatio foret, si quis inter suas ærumnas huius parentem, illius auum inclamaret ac diceret: *Sancte Ioachim adiuua me.* Mirum si quis non exobsecret apud Christum, & Mariam, quod per alterius venerabilem Auum, per alterius dulcissimum Parentem obsecrat, cùm *Ioachim idem sit, quod præparatio Domini*, tanquàm paratum illum inueniat, quisquis per Ioachimum quærit.

§. IV.

In quo euidenter demonstratur, Ioachimum sanctorum omnium, quos Dei Ecclesia habet, maximum esse, nititurq́; probatio quodam scripturæ loco.

VOlo euincere luculentè, hunc Sanctum omnium, quotquot habet Ecclesia, eminentissimum esse, idq́ue faciam collatione illius cum præcipuis quibusq́ue, quiq́ue verticem altiùs extulerunt.

Suppono hîc quoddam legis decretum, quo statuitur, vt cùm domus patre destituitur, locum eius occupet, sitq́ue ex asse hæres auus, & post illum nepotes. Christus Dominus noster non habuit in terra patrem. Debuit ergò patris vicem Sanctus Ioachim auus necessariò subire. Cùm ergò esset auus naturalis Filij Dei, quodam modo est eiusdem velut pater naturalis, quià illius locum tenet. Hoc ita constituto manifestè ostendam, Ioachimum esse Sanctorum, quos habet Ecclesia sanctissimum.

Pauli verba ad hanc veritatem contestandam accersam, quibus Hebræos (qui Moysis sanctitatem maiorem esse, quàm Christi arbitrabantur) docere voluit, quid discriminis sit inter vtrumq́ue, & sic ait: *Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius tanquàm famulus, Christus verò tanquàm filius in domo*; Heb. 4. Magnus fuit Moyses apud Deum, *sed tanquàm famulus*, non maior seruo, Christus autem fuit hæres

æterni-

æternitatis paternæ *tanquam filius in domo* sua. Et hæc est magna Moysis à Christo differentia.

Ad eundem modum possumus disserere in rem præsentem. Quot Sanctos habet Ecclesia Dei, tametsi Petri sint,& Pauli, & Baptistæ, & Euangelistæ, nihil ampliùs sunt quàm famuli. Propterea Sanctus Paulus dicebat: *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi*; 1.Corinth. 4. Cùm ergò alij omnes sint serui, & ministri in domo Dei, Ioachimus autem auus legitimus, tanquàm pater quidam efficitur Christi, qui nullum habuit naturalem. Ergò Ioachim in domo Dei carnem induti, & sanctissimæ illius Matris velut supremus dominus est, cùm alij, quos dixi tantùm sint humiles serui. Cogita nunc, quid sit discriminis inter hos, & illum.

Descendamus ad particularia. Ostendo euidenter, Ioachimum sanctitate excellere Sancto Ioanni Baptistæ. Quanquàm verum sit illud Senecæ ex epist. 43. quòd omnis comparatio est odiosa, *magnitudinemque aut tollit, aut deprimit*, dabit tamen veniam Sanctus Ioannes, quià veritas suum hac vice debet habere locum. Vt probem autem, quòd Ioannem sanctitate Ioachimus anteuertat, conficio argumentum ex quadam Sancti Thomæ doctrina. Doctor hic Angelicus loquens de Maria 3. p. q. 27. art.5. in O sic ait: *Propinquissima Christo fuit secundùm humanitatem, quià ex ipsa accepit humanam naturam, ideò præ cæteris maiorem debuit à Christo gratiæ plenitudinem obtinere.* Propter consanguinitatem vult sanctus Doctor rationi consentaneum fuisse, quòd Maria magis cumuletur gratiâ, quàm alij quiuis sancti, Matrisque coniunctissimam necessitudinem prætendit, ob quam debuerit meritò tanta esse illius sanctitas, vt per eam omnibus excelleret.

Sancti Iacobus, & Ioannes in fastigium dignitatis Apostolatus exaltati, fuerunt Christi consanguinei, & maioribus honoribus aucti, quàm alij, quando in montem Thabor, & in hortum Gethsemani adducti. Quod ad Ioannem Baptistam attinet, quamprimùm Spiritus S. operâ Filius Dei conceptus fuit, abijt sanctissima illius Mater ad domum Zachariæ *cum festinatione*, vt inquit S. Lucas. Sanctus Irenæus ait, à Filio suo incitatam Matrem, vt properaret ad Ioannem: *Festinabat Christus sanctificare Ioannem, & liberare eum à peccato originali, in quo conceperat eum mater sua* Elizabeth. Hæc ille. Sanguinis affinitas mouebat Christum, & purissimam illius Matrem, vt ad eum sanctificandum pergerent, & tam insignitum beneficium ei præstarent.

Si consanguinitas, quâ Christus Dominus noster Ioanni coniunctus erat, iusta causa fuit, ob quam tam abundante gratiâ ornatus fuit, cùm nullus arctiore cognationis vinculo adstrictus Christo & cœlorum Reginæ fuerit, quàm Ioachim, dici debet, quòd nullus quoque in tam sublimem sanctitatis gradum euectus fuerit, quàm ille.

Sanctior est Ioachimus Iosepho. Probo ita. Sanctitas Sponsi Mariæ vel tota, vel pars illius maior inde profecta est, quòd Deus illum delegit, & fecit maritum Virginis Mariæ, & patrem putatiuum sui Filij. Totum hoc reperitur in Ioachimo, & multò plura, atque ampliora. Hic enim fuit electus Pater Mariæ,& Auus naturalis Christi. Quantò nunc fuit sublimior, & felicior hæc electio, tantò copiosior gratia, quæ illi propter talem dignitatem collata. Quid ergò illud est, quo Iosephum Ioachim anteuertit? Excessus in propatulo est, & manifestus. Per gratiam,& electionem habuit Ioseph, quidquid habuit. Sanctus Patriarcha Ioachim idem habuit, & aliquid ampliùs, & magnitudo eius habet sua primordia ex gratia, & electione, & consanguinitate, & hac re superat Iosephum adeòque maior illo est. Non est rationi consentaneum, quòd quis dubitet de hac veritate, non enim erit temerarius, qui eam fateatur, immò pijssimus, deinde & rationi acquiescet, & deuotioni, quæ Christo, & illius Matri Virgini est debita.

Et res explorata est, quòd in domo, in qua omnes sunt nobiles, maior obseruantia, defertur socero, quàm genero? Sanctus Ioseph autem fuit gener Patriarchæ Ioachimi, eapropter tenebatur eum dominum vocare, quoties id occasio exposceret. Hac ex parte fuit Joachim magis coniunctus Deo & Matri illius, quàm omnes alij Sancti, consequenter etiam sublimior in oculis Domini, & in statu perfectionis maioris.

Ad hoc comprobandum facit illud Doctoris Angelici 22. q. 26. art. 8. *Coniunctio naturalis originis est prior, & immobilior, quià est secundùm id, quod pertinet ad substantiam, aliæ autem coniunctiones sunt superuenientes, & remoueri possunt.* Et alibi dicit idem Doctor: *Inter omnes debemus benefacere coniunctis nobis.* Nemo autem coniunctior fuit Christo, quàm eius Mater & Auus, ergò necessum est, vt qualia gratiæ beneficia præstitit Matri, talia exhibuerit Auo suo naturali.

Ecclesiasticus c. 7. v. 30. dicit: *Honora Patrem tuum, & gemitus Matris tuæ ne obliuiscaris, memento quoniam nisi per illos natus non fuisses, & retribue illis,*

illis, quomodo & illi tibi. Possumus nunc & Christum eisdem verbis compellare: *Honora Patrem tuum.* Temporalem, Domine nullum habuisti Patrem, verùm S. Ioachimus, qui tibi fuit auus naturalis, per legem intrauit in locum Patris. *Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses*, meméto quòd homo per Mariam Matrem tuam, & Ioachimum auum factus es, *& retribue illis, quomodo & illi tibi*, responde ijs, prout officia, quibus te obligatum habent, requirunt. Maria dedit tibi esse humanum, quia est vera mater tua, Ioachim autem tuus auus naturalis, remunera illos statu gratiæ tam sublimi, vt nullum habeat domus tua, qui eis antecedat.

Angelicus Doctor ait, quòd dignitas maternitatis Dei est quasi infinita, cui tanta correspodeat gratia, vt gratiam innumerabilium sanctorum superet, eò quòd sit gratia matris Dei. Auus naturalis Dei vno gradu magis distat à Deo quàm Mater. Ergo si Matris Dei dignitas, & gratia innumerabilium Angelorum, & Sanctorum gratiæ præstat, ob rationem dictam, nihil mirum quòd gratia Ioachimi, qui auus est Saluatoris mundi, Sanctorum, quemcunque Ecclesia habet, maximo antecellat, tametsi Apostolus quidam sit, aut Ioannes Baptista, aut Ioseph. Et hoc citra illorum iniuriam affirmatur.

Præterea aut intelligamus, quòd S. Patriarcha Ioachim supremum dignitatis locum inter omnes Ecclesiæ sanctos teneat, illud faciet si aduertamus, quòd Maria plùs amauit suum Patrem, quàm Ioseph Sponsum. Quod hîc dixi, id euincam quadam sancti Thomæ doctrinâ ex 22. q. 26. art. 12. vbi quærit, debeatné homo plùs diligere parentes, quàm coniugem, definitque ex lege amoris plùs debere diligere eos, qui fuerint autores vitæ. Verba illius sic habent: *Secundùm rationem boni, quod est obiectum dilectionis, magis sunt diligendi parentes, quàm Vxores, quia parentes diliguntur sub ratione Principij, & eminentioris cuiusdam boni.* Itaque secundùm amoris leges (ad quarum tenorem vitam suam moderabatur Mater vitæ) plùs dilexit sanctum Ioachimum parentem, quàm Iosephum sponsum.

Subiungit D. Angelicus, quòd secundùm leges, & coniunctionem matrimonij plùs amare maritum vxor, quàm Patrem debeat. Causam huius eam reddit, quòd sunt duo in carne vna. Verba illius adfero: *Secundùm autem rationem coniunctionis magis diligenda est Vxor, quia Vxor coniungitur Viro, Vt Vna caro existens, secundùm illud* Matth. 19. *Itaq; iam non sunt duo, sed Vna caro.* Hæc ratio vim non habet in Maria, quamuis enim verum fuit illius cum Ioseph coniugium, non tamen fuerunt vna caro, siue duo in vna carne, ac propterea semper tenebatur plùs amare S. Ioachimum patrem, quàm Iosephum suum Sponsum. Qui autem magis dilectus fuit Virgini idem fuit maiore gratiâ à Deo cumulatus, vt illa rectè suum collocaret amorem.

Confirmantur dicta, & probatur, quòd plùs amauit Ioachimum etiam quàm Matrem suam Annam. S. Hieronymus in c. 44. Ezechielis ait, post Deum maximè diligendum patrem. Itaque si Virgo post Deum maximè dilexit patrem suum Ioachimum, certum est amasse propter suam sanctitatem. Angelicus Doctor 22. q. 26. art. 10. in hanc rem sic ait: *Amantur pater, & mater Vt principia naturalis originis, pater autem habet excellentiorem rationem principij, quàm mater.* Quare si enixiùs debet amari pater, quàm mater, indubitatum est Reginam cœlorum id fecisse. Concedat nobis benignissimus Deus meritis gloriosissimi huius Patriarchæ suam gratiam, quæ est pignus gloriæ *quam mihi & Vobis, &c.*

In Solennitate Sanctæ Annæ, Matris Mariæ Virginis, & Auiæ Christi.

Autore Ad. R. P. M. CRISTOPHORO *de* AVENDANNO *Carmelitâ.*

Interprete F. Ioanne Freylinck Ordinis Prædicatorum.

THEMA.

Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro, Matth. 13.

EX nomine S. Annæ loquens Spiritus Sanctus, vt qui perspectissimam habebat admirabilem eius virtutem, dicit apud Ecclesiasticum 24. 19. *Quasi platanus exaltata sum iuxtà aquas in plateis.* Comparatur Sanctissima hæc Matrona cum platano, eaque plantata iuxtà præterfluentem aquam, quæ tametsi in seipsa sit benè grandis, & procera, atque opaca, extra illam, si tamen in aqua velut in speculo respicias, incomparabiliter maior videbitur.

Scriptura sacra Filium Dei confert cum aqua, qui apud Dauidem Psal. 21. aiebat: *Sicut aqua effusus*

fusus sum. Virgo Mater illius etiam significata est per aquas, quæ Salomoni Cant. 4. 15. dicitur *puteus aquarum viuentium.* Sancta Anna est elegantissima platanus, & omnis eius pulchritudo inde nascitur, quòd tam vicina sit his aquis. Et nunquam extrà eas sit prodigiosa sancta. Si tamen in istis aquis eam aspicias, tanquam in speculo apparet multò maior. Si quis eam consideret in Christo tanquam nepote auiam, in Maria tanquam filia Matrem, quomodo non potest non admirari talis platani venustatem, & magnitudinem sanctitatis?

Quomodo ergò hauriemus aquam gratiæ? Sancto Gregorio Nazianzeno in orat. *Obsecro te Domine* dicitur *Maria aqua ductus gratiæ*, per quam deriuantur omnes gratiæ, quibus fœcundantur omnes festiuitates. Hodiernam absque gratia celebrare non possumus. At cùm sit Festum S. Annæ, est etiam Festum Mariæ, vt de huius intercessione omnia nobis cùm aliàs semper, tum hodie maximè promittere possimus. Vt ergo, quæ dicturus sum, redundent primùm in gloriam Dei, deinde & in laudem huius admirabilis, & cœlestis Matronæ, rogemus Mariam, vt rectè dicendi gratiam mihi obtineat, quod faciet, si religiosè, reuerenterque illam salutauerimus, dicentes, *Aue Maria, &c.*

§. I.

Magnus apud Deum thesaurus castitas, quæ vincit affectum carnis, & quòd non fuit minor continentia S. Annæ, quàm Ioachimi ex quibus duabus conchis prodijt pretiosissima Margarita Maria.

Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, Matth. 13.

HVgo Cardinalis per illum thesaurum intelligit virginitatem, seu castitatem, & per agrum non rus quòd fert herbas, & gramina, & seminatur ad edenda frumenta, sed carnem, cuius quanta est concupiscentiarum malarum copia, tantum est agmē efferatorum hostium, qui virginitatis, seu castitatis thesaurum in carne absconditum insectantur, vt depeculentur, diripiant, aut vitient, si non possunt aliud. Verba eminentissimi Cardinalis repono: *Thesaurus absconditus est virginitas, vel castitas abscondita per humilitatem in agro carnis.*

Nolumus cedere puritati Ioachimi, quinimmò dicimus, quòd castitas Annæ fuit pulchra, quemadmodum illius munda. Duos hos parentes considerare debemus tanquam duas conchas æqualiter pulchras, quæ mutuâ operâ concurrerunt ad producendam pretiosissimam margaritam.

Annæ castitatem puto conferri posse cum virginitate Agnetum, Catharinarum, Agatharum, aliarumque talium, idque inde accipio, quòd venter illius fuit quædam aurifodina, ex qua accepta fuerūt pretiosa viscera Mariæ, quæ cùm esset caro, excelluit omni spiritui.

Facit huc illud S. Bernardi: *Continuata castitas æmulatrix virginitatis est.* Pertinax continendi, & abstinendi ab omni turpis libidinis vsu studium sic Deo probatur, vt virginitas ipsa. Vidit S. Ioannes suæ Apoc. 14. magno numero virgines quæ sequebantur agnum, & audiuit vocem dicentem: *Hi sunt, qui cum mulierib. non sunt coinquinati.* S. Hieron. ea exponens ait. *Etiam Paula* in his est, illa nobilissima Romana matrona, quæ vitæ Seraphicæ leges, & officia obseruauit. Magni ergò huius Doctoris sententia est, quòd tantam habet Paula vidua venerationem in domo Dei, quantam si virgo fuisset.

Quod diximus, magis persuasum nobis fiet, si consideremus quantùm perdat, qui castitatis iacturam facit, & se passionib. suis submittere solet. Audiamus illud Apostoli Iudæ dicentis: *Qui carnem maculant dominationem spernunt*, hoc est, iusto Dei iudicio eò prolabuntur, vt magistratus Ecclesiastici æquè, ac ciuilis imperium contemnant, qui cùm prauis carnis suæ cupiditatibus, & concupiscentiis imperare noluerunt, facti sunt earum turpes, ac miseri serui.

Vultis aliundè videre, quàm vile mancipium fiat, qui se carnis passionib. tradit? Quando Lenobia vxor Putipharis ad flagitium solicitabat castum Iosephten, hac verborum comitate preces salaculæ mulieris ille repulit: *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat quid habeat in domo sua, nec quidquam est, quod non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es.* &c. Gen. 39. 8. 9. In his notate, quòd Putipharem vocat dominum suum (*dominus meus traditis mihi omnibus*) Lenobiam verò non dominam suam, quod tamen erat, sed vxorem eius vocat, *præter te*, inquiens, *quæ vxor eius es.* Cur non æquè hanc dominam nominat, vt illum dominum? Cur non dixit: *Dominus meus tradidit mihi omnia, præter te, quæ domina mea es?* Desierat esse domina, facta carnis suæ vilis, & propudiosa ancillula. Audite S. Ambrosium, cuius hæc sunt ex libro de Ioseph: *Rectè non ipsa domina dicitur, quæ non potuit extorquere, quod voluit imperare, nam quomodo domina, quæ dominandi non habebat affectum?* Magno igitur

igitur cum mysterio dicit S. Apostolus Iudas: *Qui carnem maculant, dominationem spernunt*, eam etiã, quâ imperare passionibus suis, & tanquam reges corpus suum moderari, eòque velut dedititio seruo, & mancipio ad omnia honesta studia, diuinaque officia vti possent, fiuntque sordidi famuli eius, cuius debebant, & poterant esse honorifici domini. O quot illos mundus habet, qui gaudent titulo superioris dignitatis, & propter suam turpem, atque infandam libidinem neque in honestis seruis recenseri merentur!

Dicamus exaggerationem quandam omnium maximam. S. Augustinus aliquid obseruauit, quod natum à subtili ingenio illius, partusque eius dici potest. Est autem illud, quòd Propheta Daniel, cùm Susannam ab iniusta calumnia, & imposito adulterii crimine liberam pronuntiauit, dixit: *Mundus ego sum à sanguine huius*, Dan. 13. Tantundem dixit Pilatus, quando Christum innocentem, nihilque supplicii meritum arbitratus voluit absoluere, inquiens: *Innocens ego sum à sanguine iusti huius*, Matth. 27. Dicit nunc sanctus Augustinus: *Hac voce circa Susannam vtitur Daniel, quâ circa Christum vsus est Pilatus, eadem autem sententiâ absoluitur pudicitia, quâ est absoluta & iustitia.* Et quæ Daniel dixit, & quæ Pilatum dixisse refert Matthæus, vtraque à Spiritu sancto dictata fuêre. Cùm ergò vtrobique iisdem verbis absoluatur & castitas Susannæ coniugatæ, & sanctitas Christi iniugis, ac virginis, videtur æquari quodammodo castitas illa huic sanctitati. Iure merito ergò dixit Euangelista, quòd castitas est thesaurus: *Simile est regnum cælorum thesauro.*

Atque vt planè respondeamus titulo discursus, qui hoc habet, quòd castitas in oculis Dei sit thesaurus, notandum quòd vt castitas, iudicio Dei sit talis, est necessarium, vt homo mortificet, & infrenet insolentias carnis suæ firmo continendi proposito, sacramentorumque opem, & precum auxilium ad eas coërcendas adhibeat, sic enim spiritus excitatur, & erigitur, vt magno cum affectu ad Deum contendat, quia non reputo castitatem eam, quæ nunc inquinata est, nunc munda, sed cuius est constans, & iugis puritas, quæque timorem Dei habet perpetuum custodem.

Notate mihi conceptum, quem subiiciam, percommodum causæ, in qua versamur. Duo inuenio in sacris literis flagitiosorum, & perditorum, & durâ fame laborantium peccatorum genera, quorum alii suo studio salutem inuenerint, alii suâ diligentiâ supremam incurrerint pernitiem. In prioribus est filius prodigus, qui tantùm non enectus fame requisiuit suum patrem, & suæ apud illum necessitati remedium, de quo Lucæ 15. habes dixisse: *Surgam, & ibo ad patrem meum.* Quando esurie se confici vidit, tantáque inopiâ premi, vt neque siliquas ad depellendam mortem habere posset, inquiebat: *Surgam, & ibo ad patrem meum.* Prudenter fecit, quòd ad patrem, & non ad matrem, confugit, nam si ad hanc primò recurrisset, fortè non fuisset subuentum illi, nec habuisset remedium quod sperabat.

De aliis peccatoribus, quos sua diligentia perdit, mentionem facit Ieremias in suis threnis c. 2. qui cùm dirâ fame, & magnâ egestate vexarentur, mundumque vagi nonnihil obirent, occubuerunt, quòd prô esuriei suæ remedio non ad patres suos, sed ad matres se receperunt, de quibus Ieremias ita: *Matribus suis dixerunt, Vbi est triticum, & vinum, cùm deficerent quasi vulnerati in plateis ciuitatis, cùm exhalarent animas suas in sinu matrum suarum.*

Obseruauit ingeniosè in his sanctus Paschasius, quòd filius prodigus, qui ad patrem recurrit, significat peccatorem vitio turpis libidinis captum, qui ad patrem pergere dicitur, quia virili proposito, & masculâ constantiâ se obfirmauit ad cauendam omnem Dei offensam, veniensque cum fame castitatis excipitur & reficitur à patre, hoc est bono illo suo proposito, ab eoque pascitur, & confirmatur, vt roboratus perseueret, perseuerans autem tam purus effectus est, vt meritis virgines exæquaret.

Alii fame castitatis laborantes confugerunt ad molles, & malè blandas matres, & ab illis tam nihil habuerunt remedii, aut leuaminis, vt in earum sinus infelices expuerent animas: *Cùm exhalarent animas in sinu matrum suarum.* Sanctus Paschasius ait, has matres esse quædam proposita eorum, qui desiderant esse effœminati, molles, inuoluti suis delitiis, & ad illa proposita tanquam pias quasdam, ac suaues matres suas recurrunt, ab illis pasci & refici cupientes, sed in ipsis eiusmodi matrum complexibus moriuntur, quia dum nauant operam voluptati, vsu isto non extinguitur, sed accenditur magis fames turpis libidinis, quousque ab ipsius flãma prorsum consumantur.

Verba sancti Paschasii lib. 2. in Threnos elegantissima sunt, & sic habent: *Eruditior ille filius, qui ad patrem suspexit egens, quàm isti, qui à voluptatibus carnis, quasi à matribus, ea bona exquirunt. Si cum patre essent, aut ad domum patris redirent,*

animas

animas fame non exhalarent. Sed quia caro eos decepit, errant, etsi non in eo, quòd panem requirunt, saltem quia in carne torpentes, ab ea ista petunt. Nesciunt miseri, quòd qui in carne sunt, Deo placere non possunt; idcircò in sinu carnis intereunt. Quoniam hi filii patris sunt, qui non ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

Absoluam hunc discursum istis sponsæ ex Canticorum 5. verbis: *Surrexi vt aperirem dilecto meo, & manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni sunt myrrhâ probatissimâ.* Commentatio Sancti Gregorii Nysseni in eá verba sic habet: *Quia manus sponsæ myrrham stillauerunt, ideò surrexit,* hoc est, quia sponsa nihil aliud egit quàm vt opprimeret, & attenuaret, & mortificaret concupiscentias suas prauas, sciuitque subactos tenere affectus sanguinis, & appetentias carnis in officio continere, idcircò surrexit inque perpetua puritate, & castitate vixit. Diuitem enim illum thesaurum non acquirunt, nisi qui sunt præmodùm continentes, & velut mortui rebus huius mundi. Cùm ergò talis fuerit gloriosissima Christi auia sancta Anna, in illa etiam verus castitatis thesaurus repertus fuit.

§. II.

Magna sanctitas, & prudentia beatæ Annæ non obligauit solùm, verùm & coegit quodammodo Christum, vt illius ex filia nepos fieret, ~~filius~~ aliud facere non potuisse videatur.

Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro.

TAnto honori ducit Deus noster esse liberalis ergà homines, & tanto impetu fertur ad benefaciendum, vt velut inhonorificum sibi, ac probrosum existimet, nisi hominum qualiacunq; officia beneficijs longè maioribus compenset, & remuneret prolixiore mercede, quàm promerebantur obsequia.

Atque vt omnes sciant, nihil illi offerre posse, quod non infinito cum incremento reddere, & soluere queat, thesaurorum suorum, & opulentiæ, atque omnipotentiæ suæ ostentationem facit, inquiens: *Simile est regnum cælorum thesauro;* acsi, verbis pluribus dixisset: In meo cœlo ingentem habeo opum copiam, & bona plurima ad remunerandum merita eorum, qui mihi obseruiunt. Non ergò putet homo, quòd me diu habebit debitorem rei cuiuspiam, circumfluo enim bonis, quibus me exsoluam & ipsi satisfaciam. Non erit, qui officijs me præuertat, quin ego omnes mutuis beneficijs superabo, de honore namque meo agitur, & suppuderem ego (loquamur ita) si contra fieret, nam potentiæ meæ existimationi, si secùs accideret, decederet, ac derogaretur.

Vt hæc res palàm fiat, disseramus de officijs, quæ homines Deo præstiterunt, & videbimus vtrùm aliquod illi exhibuerint, quod non duplá compensatione remuneratum fuerit.

Imperabat Deus Abrahæ, vt immolaret filium suum, in quo amorem suum totum collocatum, spesque repositas habebat. Obtemperauit sanctus Patriarcha, exijt in montem præparauit sacrificium, extulit brachium, vt in filij iugulum cum acinace demitteret, eumq; obtruncaret, deniq; vt holocausto eum offerret, quem tam efflictim amabat. Stabat ad hæc omnia attentus Pater æternus, obligatumque se tam insignito officio arbitratus, magnitudinem doni considerauit, & dixit: Multùm mihi offert Abraham, grande illius munus est, sed ne existimet me parcum in remunerando futurum, offeram illi Filium meum, & si ille mihi suum consecrat, ego meum illi inuicem reddam. Atque vt videat, oppidò ampliorem esse ipsius officijs meam compensationem, & quòd ego sum magis liberalis, quàm ille obsequiosus, si ille mihi offert filium hominem, ego ei reddam Filium Deum, filium meæ ipsius diuinitatis consortem.

Hæc doctus Lippomanus in aurea sua catena talibus verbis reddidit: *Quià filio tuo, Abraham, non pepercisti propter me, vicissim tibi tradam filium meum vnigenitum propter te, & quià melior ego sum, hoc amoris signum maius tibi præstabo.* Quod hic dicit, perinde est ac si alijs verbis ex Patre diceret: Non putet Abraham, quòd me sit liberalitate superaturus, aut parciorem me in remunerando reperturus; nam siquidem ille suum mihi filium dedicat, ego me illi è contrà trado, & sic incomparabiliter erit maior merces officio, quod mihi præstitit.

In hac cogitatione erat S. Clemens Alexandrinus, quando secum reputabat voces, quas sanguis Abel cœlo dabat. Quocum ille sanguis loquebatur? Quem inclamabat? *Deum alloquitur, qui est verbum,* ait ille. Dei Filium ergò, id est secundam Sanctissimæ Trinitatis personam appellabat. Quid illum rogabat? Scitis quid? Vt suum sanguinem pro hominibus funderet, velut dixisset: Ego pro debito ergà Deum honore, & officio sanguinem meum

meum fudi, tu ergò tuum viciſſim funde, niſi enim ita faxis, parcus in compenſandis obſequijs videbere.

Dicebat ergò Deus. Si Abel hoc mihi officij præſtitit, nemo me debitorem fore perpetuum exiſtimet, quod ne facere poſſit, meum ſanguinem inuicem fundam. Neque hoc ſolùm, ſed ſi illius ſanguis fuit innocens, & meus innocens erit, nolo enim homini manere obnoxius ex eo, quod mei cauſâ fecit.

Amplificat hoc, quod diximus, illud Sancti Ioannis c. 1. dicentis: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri his, qui non ex ſanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt, & Verbum Caro factum eſt*; tanquàm Deus diceret: Gratiſſimum, fateor, accidit officium, quod mihi præſtiterunt homines, cùm miniſtrârunt materiam, ex qua poſſem accipere carnem. Addo, cumulatiſſimè mihi ſatisfactum tali dono, eſſeq; illud ingens, & permagnum. Verùm ſciant etiam, quòd ego vices reddidi, eaſque tali officio, ac dono longè ſuperiores: Nam ſi *Verbum Caro factum eſt*, ego illis, qui carnem præbuerunt, è contrà *dedi poteſtatem filios Dei fieri*, & pro carne Diuinitatem rependi. Et nullum mihi cultum exhibuerunt, quem ego non abundè compenſauerim, idque non ſolùm poſt acceptum ab eis officium, ſed etiam ante omne illorum meritum, proptereaque S. Ioannes priùs dicit: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, quàm quòd *Verbum Caro factum eſt*, donumq; conceſſæ diuinitatis anterius fuit officio miniſtratæ carnis.

Vetus controuerſia eſt ſacrorum Interpretum, quid ſibi velit illud ex Lucæ 2. c. *Et ipſe Ieſus erat incipiens annorum triginta, vt putabatur filius Ioſeph.* Concertatio iſta eſt. Si ex Matre Virgine erat naſciturus Chriſtus, quo conſilio illa coniugata fuit Ioſephti? Si per totum mundum diſſeminandum, & hominibus omnibus indicandum, & ab ijs tanquàm fidei articulus credendum erat, quòd integerrima Virgo permanſura eſſet, quæ Mater Domini futura, quid neceſſum fuit eam nubere, & tradi marito? Nonnè ſatiùs erat illam ſolitariam in receſſu agere vitam, vt hoc etiam modo magis innoteſceret tum illius integritas, tum magnitudo tanti myſterij? Fieri non poteſt, quin rei tam momentoſæ aliquid ſubſit, & plurimùm è re Dei fuerit, quòd illius Virgo Mater collocata in matrimonium fuit.

Omninò referebat Chriſti, vt Mater illius, quanquam illibata ſemper Virgo manſura, marito copularetur, inquit S. Anſelmus, dicens: *Adoptionis originem ipſe accepit, quia per adoptionem efficimur Filij Dei.* Tam vehementer deſiderat Deus ſuam ergà homines exerere, & demonſtrare liberalitatem, & plura reddere, quàm ab eis acceperit, vt voluerit eſſe Filius adoptiuus Ioſephtis, & officium adoptionis ab illo accipere, vt haberet occaſionem, quâ homines viciſſim facere adoptiuos filios ſuos, & Dei poſſet. Nã quoties de ipſius exiſtimatione, quam potentiæ, & liberalitatis oſtentatione ſibi conflat, agitur, indagat modos, & occaſiones, quibus eam manifeſtare poſſit, ſic vt non videatur reſtrictus ergà homines, ſed tam largus, vt duplo compenſet quidquid ei exhibetur.

Hîc eſt Dei modus dandi, *qui dat omnibus affluenter*. Iacobi 1. 5. Dat ſine vllo intuitu remunerationis, compenſatque officia beneficijs multò præſtantioribus.

Probationem huius rei ſufficientem habemus in hiſtoria Iobtis. Ademit illi Deus diuitias & liberos & pecora, & omnes opum facultates. Quo conſilio iſtud fecit? Vt reſtitueret duplo auctiora. *Et addidit Dominus omnia quæcunq; fuerant Iob, duplicia*; Iob 42. 10. Sed cur ei abſtuliſti, Domine, quæ reddere certum habebas? Cur? Vt palàm faciam, quòd bis tantùm regono, quantùm accipio, & quòd pro re vna, quæ mihi offertur, duas, imò centenas reſtituo: *Centuplum accipiet*, quiſquis pro me vel domum, vel fratres, vel aliud tale quidpiam reliquerit, Matth. 19. 29.

Volo hanc amplificare, & viribus augere commentationem. Quid fecit Iob, quando tantam rerum ſuarum ſtragem vidit? Obtulit ſeipſum, bonaque ſua omnia Deo. Et quid poſthæc? Obtulit illa cum patientia, & propterea per patientiam officium ſingulare præſtitiſſe Deo videtur, ac diuerſum ab eo, quod exhibuit cùm liberos, & opum facultates obtulit. Deus verò his omnibus ſatisfecit, qui illi dedit & diuitias, & patientiam, & dupla omnia reſtituit, vt omnia eſſent prolixè remunerata, quando & bona reddidit copiâ maiore, quàm abſtulerat, & patientiâ illum cumulauit, quâ fortiter tolerare ærumnas ſuas poſſet.

Hæc fuit cogitatio Sancti Baſilij Magni, cuius ſunt iſta: *Duplicata diuitia in eius domum vndiq; confluxêre, vt alteram partem, velut qui nihil amiſiſſet, haberet, altera verò patientia merces iuſto eſſet.* Sic ille in hom. *Quòd non inhærendum rebus terrenis*, velut alijs verbis dixiſſet: Non putet homo, ſe aliquid perditurum ob hoc, quòd det illud Deo,

nam

nam si ei dat suas diuitias, ille reddit duplicatas, nec contentus soluisse quod sibi datum, etiam modum, quo datum, remunerat. Cùm enim Iob suas facultates ei cum patientia obtulerit, ille ei omnia duplicia reddidit, ipsamque patientiam dedit, qua cum obtulit, & sic cumulatissimè illum remunerauit. O bonitatem Dei! Felices, qui tibi seruiunt, quia tam diuitem officiorum suorum remunerationem accipiunt.

Atat, mi Domine Deus, quanquam hæc tibi res ex voto hactenus successerit, atque eo nomine tibi gaudeas, veniet tamen tempus, in quo mirum tibi videbitur, omnes tuas erogasse, & consumpsisse facultates, Sancta Anna tibi occasionem exhibebit, quâ cogaris quærere modum, quo illi satisfacias. Offeret tibi dono Mariam purissimum sui ventris fructum. Si nunc pro nobilis ingenij tui liberali conditione, de qua diximus, remunerare eam duplò velis, nescio, Domine, vbi reperire possis duas tales Marias, qualis est vna illa Sanctæ Annæ Filia.

S. Petrus Chrysologus ser. 25. ait, tibi id solenne esse, vt pro vno centum reponas, cùm auari mundi sordidus mos habeat, vt vix vnum pro centum reddat. *Vsura mundi centum ad vnum, Deus vnum accepit ad centum*, inquit ille ibi. Cùm ergò sancta, & benedicta Anna cum ardentissimo amore filiolam suam trimulam in Templo tibi oblatam dedicârit, obligaberis, Domine, pro vna eiusmodi filiola centum alias tales, tam bonas, & sanctas reddere,

Hîc verò hîc velut perplexa fuit maiestas Dei hîc velut incerta consilij, & modi, quo sanctæ Annæ bis tantum pro vna filia Maria restitueret. Itaque vt tantùm debitum lueret, decreuit seipsum facere nepotem Sanctæ Annæ, & pro centum Marijs vnicam suam Regiam, & diuinam personam reponere, quod fecit, quando ipsius nepos, & Filiæ Filius factus.

O Sancta, & gloriosa Mater Anna, lætentur, & exultent tecum omnes creaturæ propter tuam sanctitatem, & prudentiam, quia inuenisti modum, quo Deum tibi deuincires, & obstringeres!

§. III.

Conuenienter factum, quòd Maria fuit Filia Sanctæ Annæ, vt euaderet *omnem* culpam, præcipuè originalem, & esset fortis inter *ærumnas*.

AGamus in hoc discursu de cœlesti desponsatione Sanctorum Ioachim, & Annæ, eaque tam vetere, quàm nobili, quæ inter ipsa cœli, ac terræ primordia iam tunc præuisa fuit. *In principio creauit Deus cœlum, & terram*, & ambo quodam velut matrimonio copulauit (quæ fuit philosophorum quorundam opinatio) verùm *terra erat inanis, & vacua*, eamque ob causam cœlum, maritus eius, triste erat, tantùmque non contabescebat mœrore, atque ad contestandum suum luctum tenebris vultum suum velut obnubebat: *Tenebræ erant super faciem abyssi*. Et reuerà quis non doleat, non lugeat maritus, qui sterilem, & infæcundam suam videat vxorem?

Sic omninò accidit beatis his coniugibus Ioachimo, & Annæ, quorum ille cœlum erat per suam puritatem, hic terram suâ sterilitate referebat, ex qua plurimus illis mœror nascebatur, fiebatque, vt luctuosam in tristitia vitam agerent.

Volo hîc laudum, quæcunque sanctæ Annæ tribui possunt, maximam aduertaris. Res longo vsu comperta est, quòd lapidosa est terra, quæ non fœcunda frugum. Superuacaneum est cõmemorare loca, quæ cùm alioquin sint sterilia, saxorum tantùm sunt feracia. Magna hæc Matrona Anna sterile solum fuit, sed fœcundum lapidum. Christus lapis fuit. *Petra autem erat Christus*, inquit Apostolus 1. Cor. 10. Lapis fuit & Maria, vt dixit Isaias expetens incarnationem & aiens: *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ de petra*, Isa. 16. siue ex latomia, vel lapicidina Mariæ. Vt ergò lapides suum robur, duritiemque à sterili solo habent: Sic Christus, & Maria sui roboris partem magnam inde habent, quod sunt nepos, & Filia Sanctæ Annæ.

In rem, qua de agimus, peraptè cadit, quod Ouidius de sterili terra canit his verbis:

Magna parens terra, lapidesq; in corpore terræ
Ossa reor dici, iacere hos post terga iubemur.

Magna parens illi terra dicitur, quia Mater communis omnium est. Sed hoc velim notetis in verbis profani poetæ, quod ait, *lapidesq; in corpore terræ ossa reor dici*. Ossa ergò terræ lapides vocat, eò quòd suum esse accipiant ab eius sterilitate.

Fructus, quos infœcunda Sanctæ Annæ humus protulit, fuerunt lapides, Christus, & Maria. Itaque hi fuerunt illius ossa, fortitudo & consequenter Sanctæ Ecclesiæ.

Et ne hic conceptus solo talis poetæ dicto nitatur, loquatur Guerricus Abbas, & quid de hac re sentiat, edicat: *Si petra Christus, vt ait Apostolus, non degenerat à Matre Filius, quando & ipsa petra nomine censetur*, de qua paulo post subiungit: *Aduersus*

uersù illecebras peccati tota insensibilis erat, & lapidea. Sic ille ser. 2. de Annunt.

Beata illa sanctæ Annæ sterilitas, quia fructus, quos produxit, lapides fuerunt, & lapides tales. Respondeamus nunc titulo discursus, & ostendamus, congruè factum, quòd Maria Annæ Filia fuit, vt absque originali culpa nasceretur, & omni peccato vacua esset.

Est quidam in Prouerbijs Salomonicis locus, qui plurimùm pro purissima conceptione facit Mariæ, & hinc perspicuus fiet. *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro, Viam aquilæ in cœlo, Viam colubri super petram, &c.* Hæc ille Prou. 30. qui hoc minimè omnium capiebat, quomodo serpens suprà petram reptaret, nec tamen aliquod vestigium relinqueret.

Relinquamus eorum verborum corticem, & nucleum scrutemur, atque ad sensum mysticum transeamus, quem S. Ambrosius in lib. 1. de Salomone sic enodat: *Diabolus in ipsis natalibus mundi inuenit corruptibilem terram Adam, & Euam libenter audientem, quæ ei locutus est. Fecit in auribus semitam, fecit in pedibus, quibus interdictum fuerat iter ad arborem, fecit in manibus, à quibus contrectata sunt poma.* Protoparentes nostros inter ipsa recèns nati mundi primordia fraudibus suis, & tentationibus veterator dæmon apperijt, inciditq; in mollem semitam aurium, quas illi faciles ad omnia, quæ dicebat, præbebant, & pedum, quibus promptè ibant, quo ille volebat, & manuum, quas in vetitum fructum leuiter, prælicenterque extendebant.

Posthæc eodem ausu, inquit Ambrosius, adijt Christum, & Mariam, præfidens, hoc in eis posse efficere, quod in Adamo, & Eua fecerat. Sed per Ioachimum, & Annam (quæ quòd sterilis terra esset, duros lapides nepotem, filiamque genuit) factum est, vt viam in eis non reperiret. Et propterea infert S. Ambrosius. *Ideò serpens in terra vestigium non fecit.* Hinc iam clarus euadit ille Prouerbiorum locus, apertumque quod tantam adferebat Salomoni admirationem, cùm intelligere non posset *Viam colubri super petram.* Conueniens ergò fuit, quòd Maria esset filia Annæ, vt libera esset ab omni culpa.

Nota Lector. Quod hic autor Ambrosio tribuit, dixisse, quòd serpens diabolus post circumuentos primos parentes adierit Christum, & Mariam, id secus habere, nam Beatissima Virginis, quod ad eam rem attinet, prorsùm non meminit, sed c. 3. libri de Salomone sic tantùm ait: Hanc petram Dominum nostrum esse ambigere non debemus. Serpens autem ex ipso nomine, quòd sit callidior omnium bestiarum, apparet, quòd est diabolus, qui in corpore hominis, quod Christus induerat, nulla malitiæ suæ potuit imprimere vestigia, quamuis illud ausus fuerit sæpè tentare. *Hæc ibi. Et posthac in fragmento, quod capiti quinto subijcitur.* Tunc serpens potuit in primitiuum hominem quasi in puluerem vestigium facere, peruenit ad petram, quæ est Christus (talis enim factus erat Adam ex limo, qualis & Christus est ex Virginis vtero) vidit hominis similitudinem, sed copertam corpore cognoscere non potuit maiestatem. Potuit & ipsum tentandum aggredi, sed Christus nec obtemperauit, nec iratus est, quia ira opus est diaboli. Sed quia diaboli contempta sunt verba, serpens in petra vestigium non fecit. *Hæc ibi iterùm. Quid ibi de Maria ab originis peccato seruata? Volo ergò interpretari lapsum memoria, quòd de Maria eruditus autor addidit. Nam si meditatò adiecisset, parùm honorificè pro magna Dei Parente fecisset, quæ cùm infinitis Patrum encomijs perspicuè celebretur, non requirit ad sui commendationem Verba Vel Ambrosij, Vel alterius falsata, assumentisq; alienis aucta. Et sententia ipsa, quæ pro Immaculata Virginis Conceptione pura militat, Validiora habet argumenta, quàm Vt autoritatum Vitiatarum adminicula adhibere necessum habeat.*

Intelligemus iam (quod velut in parenthesi dixerim) quare dæmon lapides ad tentandum Christum adhibuit. Si periclitari omnipotentiam Christi voluit, mille alijs modis satisfacere suo illi desiderio potuit. Cur ergò lapides conquisiuit, attulitque, & obtulit, vt eos in panes verteret, inquiens: *Dic Vt lapides isti panes fiant?* Res est, quòd Christus, & Maria cùm essent lapides, erant ab omni culpa liberi, propterea dæmon sic irâ exarsit aduersùs lapides, vt omnes in aliud quiduis transmutatos, prorsùmque confectos, & perditos cuperet, eamque ob causam lapidibus ad tentandum est vsus.

Reuertamur ad Sanctam Annam, inter cuius præcipuas laudes hæc vna, quòd Parens Mariæ fuit, nam & causa fuit, quòd illa sine labe originalis peccati concepta. Diximus iam ex S. Epiphanio, quòd Ioachim idem est, quod *præparatio Domini.* Idem nomen tribuere possumus gloriosæ huic Matronæ, nam intrà eius vterum Deus omnium salutem præparauit. Poterat, si dicere fas est, queri Spiritus S. de alijs duabus Sanctissimæ Trinitatis Personis superatus, quòd ab illis processionibus fuisset. Pater generat Filium, Pater & Filius simul spirant Spiritum

tum Sanctum, hæc verò tertia Persona nec generat, nec spirat. Cùm autem Spiritus Sanctus cupidus esset etiam se communicandi, traditus ei fuit Sanctæ Annæ vterus, vt illum præpararet, & Filia fœcundaret, in quam exornandam posset se copiosè ad stuporem vsque exonerare, & effundere.

Vnum è plurimis beneficiis, quæ in illam contulit, istud fuit, quòd in beato Annæ vtero quibusdam gratiæ vallis eam obmuniuit. Ibi enim dæmonis arrogantia, & peccatum originale oppressa fuêrunt. Neque exigua est hæc beatæ Annæ commendatio.

Fortean hoc est illud, quòd sancto Ioanni occurrit, quando in sua Apocalypsi c. 12. vidit mysticam illam vestitam sole mulierem, post quam draco flumen aquæ fudit, vt eam ad se raperet? Euasit illa tamen libera, terra enim ingenti hiatu totam, quæ incommodare poterat, aquam hausit. *Misit serpens ex ore aquam post mulierem tanquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine.* Hæc ille ibi v. 15. vbi mox subdit: *Et adiuuit terra mulierem, & aperuit terra os suum, & absorbuit flumen, quòd misit draco ex ore suo.*

Anna mater, quam grandæua senectus iam terram fecerat, tantum auxilium habuit à Spiritu sancto, vt eius vtero fuerint euersæ, & dissipatæ culpæ originalis machinationes, quæ filiæ ipsius minabantur. Illa fuit, quæ absorbuit flumen aquæ, quòd ex ore draconis erumpebat, & in certam Mariæ pernitiem vertebatur, ni haustum fuisset, priùsquã ad eam perueniret.

Hæc est veritas, quam Spiritus sactnus c. 6. Canticorum docuit, cum de Maria loquens ait: *Vna est matri suæ, electa genitrici suæ.* Duas hic illi matres assignat, vnam quæ genuerit, de qua dicit, *Electa genitrici suæ*, alteram remotam, quæ est terra, siue sepulchrum, cuius matris fuit vnica filia.

Quòd cuique nostrum sit duplex mater, id Iob his verbis indicat: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* Iob. 2. 21. Ad vterum matris, quæ illum enixa erat, redire non poterat. Ad quem ergo? Ad sepulchri, siue matris terræ ventrem, de quo dicit: *Nudus reuertar illuc.* Ex his iam perspicuus erit sensus illorum de Canticis verborum: *Vna est matri suæ, electa genitrici suæ.* Duas matres habuit Maria. Vna fuit Sancta Anna, quæ vitam illi dedit, altera sepulchrum. Et sicut filia sepulchri vnica fuit eò quòd sepulchrum neq; corruptione, neque serpentibus ipsam offendit, velut alias filias Adæ fœdauit, & inquinauit: Ita & fuit vnica matri suæ Annæ, quæ vitam dedit; nam cùm aliæ filiæ aluos suarum matrum faciant sepulchra animarum Originali peccato mortuarum, Virgo suæ matris vterum fecit paradisum delitiarum, & thesaurum gratiarum, vt propterea meritò de illa dicatur: *Vna est matri suæ, electa genitrici suæ;* vnica tumulo, in quo à vita recepta, vnica Annæ, à qua in vitam concepta.

Conceptus liberorum fuit primæ matri nostræ datus pro supplicio, cui dictum: *Multiplicabo ærumnas, & conceptus tuos, in dolore paries filios;* Gen. 3. 16. Istané verò maledictio fuit, quòd editura esset liberos? Omninò & quidem grauis maledictio. Cùm enim filios procreatura esset, venter eius futurus erat quidam infernus, vt qui nonnisi in peccatis concepturus. Vterus fœminæ grauidæ est sepulchrum infernale, quamuis enim corpus viuum intus habeat, habet & animam mortuam originalis noxæ veneno. Venter autem beatæ Annæ thesaurum absconditum, Mariam dico, includebat.

Sanctus Iob ait: *Quare data est vita his, qui expectant mortem, & non venit, quasi effodientes thesaurum?* Iob 3. 20 21. Erant, qui ibant inuestigatum thesauros, cùmque in vterum grauidæ fortè incidissent, arbitrati reperisse thesaurum, inueuerunt sepulcrum, atque in illo animam conceptam, & mortuam in originali peccato. At qui aluum sanctæ Annæ explorabant, opulentum inuenerunt thesaurum, hoc est, filiæ illius animam sine illa genitali labe conceptam.

Nonne hoc est, quod sanctus Dauid de conceptione Mariæ loquens ait: *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me & cum gloria suscepisti me?* Psal. 72. Quando mundus intrà tenebras suas excepit cæteros posteros Adæ in principijs natiuitatis eorum, tunc beatissimam Virginem, quo momento concepta fuit, in gloria excepit fecitque Deus ex vtero S. Annæ pulcherrimum quendam montem Thabor. Sanctus Remigius ea verba sic declarat: *Tenuisti manum dexteram meam, id est, meam potentiam vinxisti* (fortè iuuisti) *ad hoc, vt esset in dextera acquirens potiora, cælestia videlicet, & non terrena.* Semper fuit Virgo à dextris Dei, sic vt nihil ei terrenæ contagionis adhæserit. Cùm ergò in sua conceptione suscepta fuerit in gloria, ista gloria necessariò est partus gratiæ præseruantis.

Ex Ecclesiæ more mors hominum sanctorum vocatur natalis eorum, quia mori in gratia est nasci ad gloriam, ac propterea Sanct. Petrus Chrysologus

serm.

serm. 127. de sancti Ioannis Baptistæ decollatione ait: *Ioannes de morte sua natus est, de natali suo mortuus est Herodes.* Percunctor. Quorumnam sunt partus ii natales dies, quibus sancti admittuntur in gloriam? Palàm est dici debere, esse partus gratiæ. Ergò si Virgo cum Deo de sua conceptione loquens dicit: *Et cum gloria suscepisti me*; manifestum est, quòd & hæc gloria sit partus gratiæ præseruantis. Felix, & beatus vterus sanctæ Annæ, quia factus quasi cælum quoddam.

Videamus illud, quòd Ecclesia de sancta Anna canit dicens: *Sicut spina rosam genuit Iudæa Mariam.* Duas matres habuit Regina cœlorum, vnam remotam, quæ fuit Iudæa, alteram proximam, sanctam Annam. Itaque verba illa cantici Ecclesiastici, *sicut spina rosam genuit Iudæa Mariam*, de ambabus matribus intelliguntur, sed specialiùs de S. Anna, ea enim ipsam ex se enixa est. Scitis verò quãobrem dicitur, quòd Iudæa sic genuit Mariam, vt spina rosam.

Mihi difficultatem ea verba pariunt. Spina enim non gignit rosam, sed minacibus suis aculeis venustatem illius propugnat, ne quæ illam auidæ manus licentiùs carpant, pulchritudinemque eius delibent. Itaque flos iste, qui rosa dicitur, esse suum à radice, & astrorum influentiis accipit, spina rei alteri non seruit, nisi vt elegantiam eius aduersùs liberas manus defendat. Et nihilominùs Ecclesia, quæ nunquam fallitur, dicit: *Sicut spina rosam genuit Iudæa Mariam.*

Respondetur, tantum esse beneficium, quod spina rosæ suâ protectione præstat, quantùm foret, si illam generaret. Sic & Ecclesia tanti facit defensionem, quâ Maria per gratiæ præseruantis auxilium inaccessa facta est peccato originis, quanti partum Annæ matris, per quem esse vitæ humanæ accepit.

Ex dictis habetur, conuenienter factum, quòd Maria fuit filia S. Annæ, nempè vt absque originali culpa nasceretur. Hinc etiam perspicuè intelligitur, quàm multis gratiis, & eximiis donis Deus adornauerit animam, & corpus huius matronæ, quam auiam sibi delegit.

Hunc conceptum alibi dedimus, verùm hic est locus proprius. Sancti Hieronymus in historia de ortu Deiparæ, & Epiphanius de laudibus Virginis Mariæ affirmant, quòd beatissima Virgo triennio suxit vbera matris suæ. Permirum est, quia insolens, quòd tam diu vixit lacte materno. Quando enim pueri non sunt infirmi, aut non ægræ conditionis, primo statim anno abdicari consueuerunt. Quid ergò sibi velit, quòd beatissima Virgo, quæ integerrimam naturam sortita fuit, tam longo integri triennii tempore lacte materno potata & nutrita fuit?

Responsio facilis est, nempè quòd lac matrum, moresque simul combibimus. Videndus hac de re Galenus de alimentis, & Plinius lib. 15 c. 13. & Aulus Gellius lib. 12. c. 1. qui ait, tam efficaciter mores cùm lacte hauriri, *vt si ouium lacte hædi, aut caprarum agni alerentur, in his lanam duriorem, in illis capillum gigni duriorem constet.* Cùm ergò cum lacte mores infundantur, noluit Maria, quo tempore domi apud parentes fuit, aliud quàm lac suæ matris bibere, vt omnem illius sanctæ vitæ consuetudinem combiberet.

Superiori sermone, qui est de sancto Ioachim, euidenter demonstrauimus, esse illum sanctorum omnium maximum, eò quòd sit Pater Mariæ, & auus Christi. Itaque ex coniunctione necessitudinis, quam habet cum Maria, probauimus, primas illum inter omnes sanctos obtinere. Si ergò nunc ostenderimus, quòd Anna propinquiore cognatione attingit Mariam, etiam satis comprobatum dabimus, quòd illa post Christum, & Mariam supremum inter omnes beatos locum teneat.

Loquatur pro hac re sanctus Vincentius Ferrerius, qui in serm. 2. de Natiu. Virginis sic ait: *Anna habuit maiorem participationem cum Virgine Maria, quàm pater, quia patres propter negotium temporale parum curant de pueris paruis, sicut fasciculus violarum plùs redolet in illo, qui diu eum portat, quàm in eo, qui solùm tangit. Sic est in proposito, quia pater in generatione filii facit, ac si daret fasciculum violarum matri, & recedit, sed mater portat in vtero, & post natiuitatem lactat, tenet in brachiis, osculatur, ideò Ioachim parum fecit, & sanctior est Anna.*

Plùs habuit Maria ex sanctissima matre sua Anna, quàm ex venerabili patre Ioachim. Arctiùs fuit illa semper coniuncta sanctæ Annæ, quæ illam nouem mensibus in vtero suo circumgestauit, & posthæc suis vberibus lactauit, semperque in sinu, & brachiis siue dormientem, siue vigilantem habuit. Hæc sanctæ Annæ excellentia tanta est, vt neque Angelus quidam satis illam pro dignitate prædicare posset.

Fuit hæc gloriosissima sancta martyr spei iam velut perditæ conceptus liberorum. Abraham quoque fuit martyr spei, sed non quantùm Anna, quia de illo ait Apostolus ad Rom. 4. quòd *contra spem in spem credidit.* Sara, & formosa Rachel similiter fuerunt

runt

runt martyres spei toto eo tempore, quo fuerunt improles. Sed quando earum rogatu mariti ingrediebantur ad ancillas, atque ex illis generabant liberos, habebat earum spes illud interim qualecunque leuamen, & fulcrum, quo nitebatur. Verùm sancti Anna, & Ioachim tam diuturno fuerunt torti desiderio liberorum, quàm longum fuit tempus, quo caruerunt prole. Exhibeamus nos deuotos ergà hanc sanctam, quia qui erga hanc, idem erga Deum, & Mariam pius fuerit, & sic plura habebit subsidia gratiæ, quæ est pignus gloriæ, *ad quam nos, &c.*

In Solennitate Sancti Patriarchæ Ioseph, Sponsi Beatissimæ Virginis Matris Dei.

Autore Ad. R. P. M. CHRISTOPHORO *de* AVENDANNO *Carmelitâ.*

Interprete F. Ioanne Freylinck Ord. Prædicatorum.

Cùm esset desponsata mater IESV MARIA IESEPH, antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. Matth. 1.



Nter multas metaphoras, & similitudines, quibus Diuinus Spiritus in Canticis voluit declarare suæ Sponsæ excellentiam, & gratias, hæc vna fuit, quòd illam *fontem signatum* vocauit Cant. 4. Sanctus Ambrosius exponens ea verba ait, fuisse Sponsam signatam sui sponsi figurâ, & repræsentatione. Vt enim in aqua clara, & crystallina fontis repræsentatur vultus eius, qui se in ea aspectat: Ita sponsa debet esse talis, vt in ea reluceat viua illius sponsi imago, sic vt qui eam intuetur, in illa videat sponsi veram effigiem.

Secundùm hæc cùm beatus Ioseph sit Sponsus Mariæ, qui hanc aspiciat, conspiciet in ea Iosephtis imaginem. Et si per illum sponsum volumus intelligere Spiritum sanctum, Maria fons erit, in quo hunc spiritum, simulque sanctum Iosephten intueri licebit. Et cùm Maria sit fons pellucidus, in quo hi duo Sponsi elucent, necessum est dicere, quòd Ioseph quidem non est Deus, magnam tamen habet cum illo similitudinis affinitatem, eamque tantam, vt eadem Virgo & Spiritus Sancti effigiem, & Sancti Iosephtis referat imaginem. Accedamus ad pulchrum huius fontis marginem, vt nobis repræsentet Deum, atque hoc modo cognoscamus, quis sit sponsus illius Ioseph. Vt verò quæ dicturi sumus, in gloriam Dei, & commodum nostrum resultent, rogemus Virginem gratiâ plenam, vt gratiam nobis obtineat, quod faciet, si eam cum Angelo salutauerimus, dicentes: *Aue Maria, &c.*

§. I.

Sanctitas Iosephtis videtur habere aliquid immensitatis, quæ scilicet meruit, vt esset Sponsus Mariæ, quod tale est, quale si fuisset innumerabilium reginarum, earumq; superarum, & magnificentissimarum coniux.

Cùm esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph, &c.

VT de his tam mysticis, & eximijs sponsalitijs agam, percommoda mihi videntur ista ex Isaiæ c. 4. verba: *Et apprehendent septem mulieres virum vnum in die illa, dicentes, panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur, tantummodò inuocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum.* Literæ sensus hoc volebat, quòd Ierosolymorum vrbs tam miserè vastanda esset, tantamq; stragem passura, virorum maximè, vt septem mulieres fortunatas se putaturæ essent, si vni communi marito copulari omnes possent.

Sancti Cyrillus, & Cyprianus in lib. de exhortat. martyrij intelligunt eum locum de Christo Domino nostro, & septem donis Spiritus Sancti. S. Augustinus in qq. Vet. Testamenti q. 407. exponit de Saluatore nostro, & septem ecclesijs Asiæ.

Ego accipio ea verba de felicissimis sponsalitijs Mariæ, & Iosephtis. *Septem* ergò *mulieres*, quæ *apprehendent virum vnum*, Maria est, quæ cùm vna esset, instar innumerabilium reginarum fuit, quando viro vni desponsata. Et volo vos scire, quod hic sensus non est allegoricus, sed literalis, meâ quidem opinione, aioque, Isaiam, cùm illa dixit, fixos in hæc fortunatissima sponsalitia habuisse oculos. Vocat Mariam septem mulieres, quià scriptura consueuit personas regias, quarum merita plurima, &

virtutes singulares, non vulgari, sed septenario nomine donare, eò quòd hic numerus determinatus pro indeterminato accipiatur, & denotet pluralitatem, quâ reges se efferre seu verbo, seu scripto solent. Rex cùm vnus sit, de se tanquàm de multis loquitur, cùm dicit: *Nos Don Philippus per Dei gratiam rex, &c.* Ita Virgo cùm esset reginarum, quas solum, cœlumque vnquàm nouit, maxima, vna innumerabilium reginarum instar erat, ac propterea *septem mulieres* eam Propheta nominat, inquiens: *Apprehendent septem mulieres virum vnum;* quod perinde fuit, acsi dixisset: Vna, quæ valet quantum innumeræ, nubet cuidam viro.

Et quod hoc mos loquendi scripturæ habeat, vt magni meriti hominem vnum septenario numero, & nomine multitudinis donet, videre licet in Samuele, de cuius sterili matre ait, quòd *peperit plurimos*, 1. Reg. 2. quando solum illum enixa est, qui tam insignis Propheta futurus erat. Et quod noster vulgatus textus habet, *peperit plurimos*, id LXX. transtulerunt, *peperit septem.* Idem videre licet in Dauide, qui tametsi vnus esset, dicebat de illo tamen quidam consiliarius 2. Reg. 18. *Tu vnus pro decem millibus computaris.* Et cum Moyse loquens Deus Exodi 3. inquiebat: *Ingredieris tu, & seniores Israël ad regem Ægypti.* Et cùm eos, qui regem illum adierunt, recenset scriptura, sic habet: *Ingressi sunt Moyses, & Aaron, & dixerunt Pharaoni, &c.* Erumpit hîc Caietanus, inquiens: Vbi sunt isti seniores populi Israël, quos Dei iussu comites adhibuit Moyses, quando Pharaonem conuenit? Respondit quæsito ipse Caietanus, dicens, istos seniores fuisse Aaronem, qui cùm magnorum meritorum vir esset, scripturæ multorum instar fuit. Verba Caietani sic habent: *Loco seniorum subrogatus est Aaron ad legationem.* Hæc loca sufficiunt ad probandum, quòd vnus quidam magnæ existimationis, & præclari nominis homo nomine multitudinis effertur.

Reuertamur iam ad prima Isaiæ verba, *Apprehendent septem mulieres virum vnum*, hoc est, Maria electa Dei Mater, & significata per septem illas mulieres, desponsabitur viro. Et diligenter notandum illud, quod dicitur, *apprehendent*, quo verbo Apostolus vtitur ad exprimendam coniunctionem hyposthaticam Dei, & naturæ humanæ, dicens Hebr. 2. 16. *Nusquàm Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Ergò Isajas, vt indicaret verum & reale fuisse inter Mariam, & Iosephum coniugium, vsus fuit eodem verbo, dicens: *Apprehendent septem mulieres virum vnum.* Atque vt videatur altitudo, in quam Deus Iosephum euexit, legunt LXX. *Apprehendent septem mulieres hominem vnum*, scilicet ex omnibus hominibus, & omnium maximè vnicum, ad hoc vnicè, ac singulariter delectum, vt ei Mater Dei nuberet. Ex quo colligitur, virtutes, & merita, & gratias Iosephtis habuisse quædam vestigia immensitatis, vt qui dignus fuerit matrimonio copulari Reginæ, quæ vna innumeris Reginis qualibuscunque antecellit.

S. Isidorus in lib. Etymolog. ait coniugium deriuari à iugo, & esse conuictum duorum, qui commune iugum ferant. Supposito autem, quòd Deus vno cummuni iugo constrinxit Mariam, & Iosephum, certum est omnium Sanctorum Sanctissimum, & eminentissimum delegisse, vt qui vnum cum Maria iugum ducturus esset, eam, quantùm fieri posset, exæquaret. Nisi enim talis illi socius datus esset, sola totum iugi onus Virgo portasset.

Ad confirmationem huius veritatis facit, quod Deus Deuteronomij 22. 10. præcepit, ne vni aratro bos, asinusq; iungerentur, dicens: *Non arabis in boue simul & asino.* Bouis altior est, humilior asini statura. Itaque bos solus totum pondus tolerasset, si coniugatus asino fuisset. Sic & iniuria Mariæ fuisset, nisi sponsus illi, cuius sublimis vitæ sanctitas, datus esset, qui partem matrimonialis oneris excepisset. Sed nulla illi facta est iniuria, quia Sponsus illi datus qui omnium hominum optimus esset.

Illud Ecclesiastici 24. 18. *Quasi Palma exaltata sum in Cades*, alij sic transtulerunt: *Quasi Palma maritata sum in Cades*; tanquàm Virginis verba sint, quæ se velut palmam adstrictam matrimonio dicat. Cui verò? Alteri palmæ, nempè Iosepho, de quo Ecclesia in officio Sacrosanctæ Missæ ait: *Iustus vt palma florebit in domo Domini*, vt despondeatur alteri palmæ, quæ est Maria. Alij Sancti, si cum hoc tam sublimi Patriarcha conferantur, sunt velut perpusillæ quædam arbusculæ, ideòque iugales manus dare tam magnæ Dominæ formidassent, quia coniugum debet ea esse paritas, vt idem pariter ferre iugum possint.

Pergunt illæ apud Isaiam: *Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur, tantùmmodo inuocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum*, quæ si tanquam à Virgine ad Iosephum dicta accipimus, hunc habent sensum: Habeo meum ego mihi victum, vestitumque, neque mihi quidquam eorum, quæ ad illa spectant, deesse potest. Aliud proinde nihil volo, nisi vt coniunx tua Iose-

phtis

phtis appellari queam, *tantummodò inuocetur nomen tuum super nos.* Sat mihi fuerit, si tanquam vxorem maritus inumbraueris.

Dicit illa Domina, habere suum victum. De illa affirmat S. Germanus in orat. de oblatione Virginis: *Ambrosiam nutrimentum per Angelum accepit,* & Andreas Cretensis in com. de dormitione Virginis: *Non autem cummunem cibum accepit.* Itaque si Ioseph eam nutricari noluisset, habuisset illa cibum, quem è cœlo Angeli adferebant. Vestem vnam habuit, qua cum in templo à Sancta Anna oblata fuit. Hæc cum crescente creuit, eâque ad mortem vsque vsa fuit. Similis ergò hæc vestis erat tunicæ Christi, quæ cum etiam creuit. Idem priuilegium concessum fuit ijs, qui annis quadraginta per desertum ambulârunt, vt eorum vestitus cum humanis corporibus æqualiter augesceret, nec diuturnitate tanti temporis inueterasceret, & consumeretur. Multò ergò magis nobis persuasum esse debet, id gratiæ præstitum etiam beatissimæ Dei Parenti. Ita dicit sapientissimus Idiota in lib. de laudibus Virginis Mariæ: *In Maria omnia priuilegia Sanctorum congesta sunt.* Et hoc est, quod ibi dicitur: *Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur, &c.*

§. II. *Qui eandem telam pertexit.*

EXpendamus verba sequentia: *Tantummodò inuocetur nomen tuum super nos,* quæ eiusmodi sunt, ac si Virgo beatissima apertiùs diceret. Alium, quàm Iosephum, qui me vt sponsus inumbret, nolo: Huc facit illud ex Canticis: *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios, sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi.* Cant. 2. Sancti Bernardus, Apponius, Rupertus Abbas exponunt hunc locum de Maria Sponsa, & Sponso Iosepho. Premenda verò in illis verbis ista: *Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi.* Ad sensum scripturæ sedere in vmbra, siue inumbrari, idem est, quod marito copulari, siue desponsari. Sic notant Interpretes in illud Lucæ 1. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi,* quod perinde est, ac si dixisset: Sponsus erit tibi, & officium mariti exhibebit, atq; ex illo intra viscera tua concipies.

Cum his congruit verbum *nubo,* quod propriè significat, integro, aut inumbro. Itaque cum Sponsa ait: *Sub vmbra illius, quam desideraueram, sedi,* perinde id est, acsi Virgo Mater dixisset: Inueni in Iosepho Sponsum, qualem animus meus expetisse te sciuit, cum illo legitimi matrimonij nexu copulabor.

At si vmbram Sponsa quærebat, apud alias arbores malo magis frondosas, & opacas inuenire eandem poterat. Cur ergò cum pomo potiùs, quàm arbore alia dilectum suum comparat? Respondet Philo Carpathius, cæteras arbores, quæ ex vmbra sunt celebres, in quibus platanus, & populus, & aliæ tales, esse in fruiferas, pomus verò & vmbram facit, & fructus. Ratio verò spiritualis, cur Sponsa Sponsum non cum sterilibus arboribus confert, ea est, quòd arbores feraces sunt symbolum iusti, de quo Dauid ait: *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secùs decursus aquarum.* Iam cùm soleant ad margines fluminum nasci platani, salices, & populi, quarum grara est vmbra, non loquor de talibus, inquit Dauid, se de ligno, *quod fructum suum dabit in tempore suo.* Fructifera enim arbor esse debet, quæ inditium iusti.

Sed quandoquidem cum arbore fructuosa comparatur iustus, quare cum vna maximè pomo? Causam reddit Philo Carpathius hanc, quòd arbor ista fuerit hieroglyphicum amoris coniugalis, quorum symbolorum pleni sunt autorum profanorum libri, & vnus hic Canticorum liber habet plures versus, in quibus eandem significationem videre liceat.

Id verò in vmbra, quâ S. Ioseph vt Sponsus Mariam inumbrauit, plurimam laudem meretur, quòd eosdem effectus habuit, quos vmbra, quam eidem Virgini Spriritus sanctus tanquam Sponsus fecit. De hac posteriore obumbratione, siue desponsatione (quod idem est) dicebat Angelus ad eam: *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.*

Tres expositiones habent ea verba. Prima est, quòd illud, *obumbrabit,* ita debet accipi, vt significet idem, quòd Spiritus Sanctus in se suscipiet officium Sponsi, quia ille solâ suâ virtute, nullâ viri accedente operâ, incarnationem verbi operatus fuit. Hunc modum inumbrandi imitatus fuit S. Ioseph, quanquam cum nonnullâ differentia. Ambo fuerunt Sponsi Virginis absque detrimento, vel offensione Virginitatis illius. Spiritus S. formauit humanitatem Filij Dei intra secretum vteri Sponsæ suæ. S. Ioseph auxit illam humanitatem in publico, nutriens puerum Deum.

Secunda expositio est S. Augustini ser. 50 dicentis, illud *virtus altissimi obumbrabit tibi,* tale fuisse, quale si dixisset: *Ne timeas Maria æstum libidinis, quia potentia Dei tanquam vmbraculum te ab ardore*

libidinis defendit. Iussa ergò fuit non timere iacturam Virginitatis,eò quòd Spiritus S. cum omni puritate formaturus esset in vtero eius Filium Dei, inumbraturusque & integram seruaturus eius Virginitatem. Tantundem suâ vmbrâ fecit S. Ioseph, ac propterea S. Augustino, & Bernardo dicitur *custos Virginitatis Mariæ.*

Tertia est S. Bernardi, dicentis, quòd Spiritus S. obumbrauit Virgini, quia per illum factum est,quòd mundanorum oculi nullum acceperunt ex ea offendiculum. Tantundem fecit & Ioseph. Hunc ergò accipio, quàm ingens sit sanctitas Iosephi, quæ suâ vmbrâ idem potuit tegere,quod Spiritus S. hoc est, magnitudinem Mariæ.

De celebri illa muliere Debbora dicit liber Iudicum c. 4. *Iudicabat populum in illis diebus & sedebat sub palma.* Tribunal ergò illius vmbra palmæ erat. Tostatus de hac muliere ait, collocasse ibi suum tribunal, & quià viuebat ex illa palma voluisse ibi subsistere, vt omnes, quotquot illam consilij ergò requirerent, scirent ibi inuenire posse.

Hugo Cardinalis aliam reddit rationem, inquiens, quòd tunc adornabatur bellum aduersùs Sisaram, consilium autem belli sub palma conueniebat, vt bono prognostico esset, quòd palmam à suis hostibus essent reportaturi.

Si quis me interrogaret, quamobrem Virgo sederit sub vmbra Iosephi, responderem id fecisse, primùm, quià Ioseph illam sui laboris fructibus sustentaturus erat,deinde vt qui Mariam quærere vellent, scirent propè Iosephum reperire semper eam posse. Volo dicere, mi frater, quòd pietatem ergà Mariam reperire queas in deuotione ergà Iosephum. Sicut enim filius per Mariam indagandus, ita per Iosephum quærenda mater.

Hinc colligitur, quòd mulier debeat esse vmbra viri, vt sicut vmbra corpus, ita maritum vxor sequatur, quocunque pergat. Eam ob causam Angelus Iosepho, non Mariæ loquebatur, cùm aiebat: *Fuge in Ægyptum;* Matth. 2. 13. Sed quare vel non hoc dicit Mariæ, vt eat cum marito suo? Non fuit necessarium hoc dicere. Palàm enim erat, Mariam esse vmbram Iosephi, cùm esset illius Sponsa, & sic eum secutura, quòcunq; præiret. Perquàm decens est, vt quemadmodum vmbra corpus sequitur, ita maritum vxor comitetur.

Iam vt reuertamur ad locum Isaiæ, quidquid de vmbra diximus, tantundem est, quantum si diceretur: *Tantummodò inuocetur nomen tuum super nos,* nec aliud à te, quàm Sponsi vmbram volo.

Denique illæ apud Isaiam aiunt: *Aufer opprobrium nostrum,* velut mater Dei alijs verbis idipsum apertiùs ita dixisset: Si Ioseph fuerit Sponsus meus, ab ingenti me seruabit probro, vt ne ex vago concubitu concepisse putari queam, quod fieri potuisset, si me innuptam, simulq; grauidam vidissent. S. Ambr. in lib. de instit. Virg. c. 6. ait: *Maluit Deus aliquos de suo ortu, quàm de Matris pudore dubitare.* Maluit videri filius fabri lignarij, humillimoque tali patre ortus, quàm suspectam fieri Matris suæ integritatem si innupta gestare vterum videretur. Addit ibidem Ambr. *Sciebat enim teneram esse Virginis verecundiam, & lubricam famam pudoris.* Sciebat quàm vitrea esset puellaris integritas, quàm facilè pudoris viror marcesceret, quàm facilè puritatis fama etiam falsâ aliorum opinione contabesceret. Volens ergò Dominus pretiosam matrem ab omni mala suspicione procul abesse, fecit vt Ioseph acciperet eam coniugem, atque ita omne opprobrium amoliretur, quod incurrere potuisset, si cœlebs fuisset, & prægnans. *Aufer opprobrium nostrum.*

§. III.

Tanta fuit sanctitas Iosephi;vt de primo occursu eam consideranti videri queat præiudicare honori trium personarum Sanctissimæ Trinitatis. Certè omnes illæ velut certatim illum magnificârunt.

VIdetur non satis decuisse cœlum, quod Ioseph tam Sanctus fuit. Nam merita illius tam & multa & sublimia, atque excellentia, si de primo aspectu ea arbitreris, videntur incommodare honori trium personarum diuinarum, & existimationi Virginis Dominæ nostræ officere.

Primùm videtur non decuisse Patrê æternum, quòd similem sui patrem in terris habuit fabrum lignarium. Nam illud patris nomen nulli vnquam, non Angelis, ac ne Spiritui S. quidem voluit permittere. In Concilio Toletano vndecimo decretum fuit, vt Spiritus sanctus non appellaretur Pater Christi, sed autor incarnationis, & cooperator illius mysterij. Idem affirmat S. Augustinus in suo Enchiridio c. 38. Quale ergò illud est, quòd nomen patris fabro lignario conceditur? Quis non obstupescat, videns fabrum lignarium similem fieri æterno Patri. Quis non præ admiratione ad illum conuersus dicat: Vide, Domine, quòd existimationi tuæ officere videtur, quòd compatrem habeas hominem tam vulgarem, & abiectum. Si Christo Filio tuo, Domino

mino

mino nostro diceretur, Pater tuus hoc, siue illud præcipit, de quo Patre id accipiendum, cùm duos habeat Patres, vnum in cœlis, in terris alterum? Vide proinde, Pater æterne, conuenienterné fiat quòd tanta sit sanctitas Iosephi, vt Filij tui Pater dici in terra mereatur.

Deinde videtur etiam Filio Dei non satis honorificum, quòd Patrem habeat Iosephum. Nam cùm in mundum venerit, vt illum redimeret, & tanti semper duxerit esse Filium Dei, meliùs quadrare videtur in negotium redemptionis, si magnificentiæ insignem apparatum & luculentam ostentationem fecisset, quàm quòd fabri lignarij filius videri voluit, quod tale fuit, vt hostes illius per contemptum dicerent: *Nonne hic est filius fabri, & Mariæ?* Vide ergò, Christe Sancte, vtrùm maiestati tuæ conueniat vocari filius Iosephi.

Ad hæc Spiritui Sancto nonnimis honorificum videtur, in tantam sanctitatis celsitudinem extulisse Iosephum, vt suæ Sponsæ Sponsus esse mereatur. Nam cùm Spiritus Sanctus suam Sponsam amore prosequeretur infinito, cur ei secundum voluit addere Sponsum riualem in amore, qui generare zelotypiam possit? In Canticorum libro zelus comparatur cum sepulchro, quod omnia corrumpit, & consumit, dicens: *Fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* Cur ergò admittere voluit socium Sponsum, qui inflammare ad æmulationem queat? Et quis vnquàm in mundo vidit duos Sponsæ vnius Sponsos? Id nimirùm monstro bicipiti simile est. Viro vni vxores duas, tresué multæ nationes permittunt, mulieri vni maritos plures nulla concedit lex, aut patria. Videtur itaque id etiam Spiritum Sanctum minimè decere.

Demùm etiam Virgine Dominâ nostrâ non satis dignum videtur, quæ tanti æstimauit suam virginitatem, & puritatem, & recessùm studiosissimè coleret, & latere vnicè amaret, ne quid in publico de integritatis illius existimatione decerperetur, *suisq;* vt Ambrosius ait, *non alienis moribus defendebatur.* Iam verò cùm Sponsum accepit, per quem occultaretur mysterium Incarnationis, ex viro concepisse, adeòque per illum virginitatis detrimentum passa existimari cæpit. Ergò & illi parùm conuenire videtur, quòd Sponso est copulata.

Vultis videre quanta sit Iosephi sanctitas, qui talibus incommodis apud Sanctissimæ Trinitatis Personas effecit, vt ad ipsum ornandum excitarentur, dicerentque tum ipsæ, tum Regina cœlorum, Beatissimi illius Patriarchæ virtutes nihil officere suo honori, adeòque velut certatim illum magnificare studerent.

Pater æternus ait, aptum esse Iosepho nomen Patris Filij sui, quod tamen Spiritui Sancto concessum non fuit, vt ex Concilio Toletano vndecimo, & Sancti Augustini enchiridio paulò antè diximus. Hoc ergò tam honorifico nomine donauit Iosephum, vt Pater Filij Dei vocaretur, eamque paternitatem voluit non in terra solùm esse in admiratione, sed etiam in cœlo suam habere existimationem. Sic enim ait Paulus Ephes. 3. *Pater à quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur.* Quis non miretur, quòd in cœlo præter æternam paternitatem sit alia, & coram illo Patre alter vocetur eiusdem Filij Pater? Hæc est ergò dignitas, quâ cohonestatur S. Ioseph, quòd in cœlo quoque eius splendicat paternitas, & coram Patre æterno Angeli eum tanquàm Patrem Christi venerari debent, ac suspicere. *Pater, à quo omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur.*

Atque vt intelligamus, quanto honore cumulare Iosephum Pater æternus voluit, notandum quòd Spiritui Sancto, cùm desponsata Maria fuit non alia dos, quàm verecundiæ, ac virtutum illius data fuit. Sic enim ait Sanctus Ambrosius: *Dos Virginitatis Verecundia.* Beatissimæ Virginis tanta fuit verecundia, vt turbata fuerit, & totum vultum rubore perfusa, quando Angelum sub suo tecto vidit. Beato Iosepho desponsata fuit cum eadem dote, sed hac re aucta, quòd etiam Deo grauida erat. Hoc enim est, quod monuit Euangelista, dicens: *Cùm esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph.* In ea verba sic disserit S. Petrus Chrysologus serm. 46. *Sufficerat dixisse*, cùm desponsata esset Maria. *Quid sibi vult sponsa mater? Si mater, non sponsa, si sponsa, non adhuc mater.* Immò & Sponsam illam accepit, quià Virginem intactam, & Matrem Dei, vt non solùm verecundiæ, & virtutum opulentissimis copijs dotatam, sed etiam toto Deo ditatam acciperet coniugem.

Nec qualecunque hoc beneficium est, quod Pater æternus S. Iosepho præstitit, quando illum coniugem fecit illius, quæ simul est purissima Virgo & Mater intacta esset. Hanc enim excellentiam sola ex omnibus mulieribus Regina cœlorum habuit singularem, quando Iosepho vxor venit. Inter benedictiones, quas Iacob Patriarcha Filijs suis sub horam mortis reliquit, quædam talis fuit. Gen. 49. *Omnipotens benedicat tibi benedictionibus vberum, & vuluæ.* Glossa interlinearis arbitratur, quòd Iacob

habuit oculos fixos in Mariam, cum ista precatus fuit, vt quæ his duabus rebus nempè Virginitate, & Maternitate ornanda esset. Verba Glossæ sic habent: *Vbera Mariæ benedicta potum lactis Domino ministrantia, Vulua Virginalis, quæ Dominum edidit nobis.* Harum duarum gemmarum præstantior, & pretiosior fuit virginitas, quòd custodiendam tradiderunt Iosepho, cùm Spiritui Sancto, maternitas seruanda relicta fuerit.

Filius Dei ait, benè habere, quòd Ioseph tam sit sanctus neque suo honori derogare ipsius sanctitatem, & perlibenter vocari ipsius filium, non solum quòd sit purissimæ matris suæ sponsus, verùm etiã quià ea iure illi conueniat appellatio. Apud Iurisperitos quiddam tale quæritur. Moritur vir relinquens vxorem à trimestri grauidam. Nubit illa quàmprimùm alteri, & post sex menses enititur filium. Quis pater illius dicetur, mortuusné maritus, an coniux viuus? Nescio quid iura nostra de hac re decernant. Atheniensium statuta habebant, viui filium dici debere, vt refert Herodotus, idque quòd vxoris, simulque omnium, quæ vtero gestabat, possessionem acciperet, qui eam duceret. Ioseph ergò simul Mariæ possessionem accepit, & filii illius, quem iam conceperat, & viuum in suo vtero habebat, & iure factus est pater adoptiuus Christi Domini nostri.

Filium hominis persæpè seipsum vocauit Christus. Nec matris tantùm hominis filius fuit, sed etiam viri hominis filius dictus à matre, cùm ad filium ait: *Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*, Luc. 2. 48. Pater ergò Christi erat Ioseph, quamuis non naturalis. Quidquid filius, quo tempore est in potestate patris lucratur, id patri acquirit. Ita leges decernunt, *l. placet de acquirenda hæreditate, §. igitur liberi Vestri.* Iam Christus voluit subiectus esse Iosepho, erat enim, vt Lucas ibid. ait, *subditus illis.* Itaque meritis suis primo loco, & ante omnes Mariam & Iosephum locupletauit.

Et quamuis Ioseph reapse, & effectu non fuerit Christi parens, fuit tamen affectu. Et velut rex, quando ducibus, ac magnatibus scribit, omnes cognatos suos vocat, non quòd tales sint, sed vt ostendat quàm eos amet, & honorare cupiat, & quia gaudet, quòd tali sint erga se animi affectu, qualis cognatorum erga se mutuò esse solet: Sic Ioseph non fuit effectu pater Christi sed affectu, quia tam vehementer illum diligebat, vt Christus propterea titulo patris eum donaret, quibuscunque modis id fieri posset.

Meruit etiam hanc appellationem, quia fuit beneficium curatum Mariæ. Habet quidam beneficium simplex, vult illo se abdicare, traditque alteri Ecclesiastico, qui illi seruiat. Id beneficium respectu primi est simplex, respectu secundi autem, qui suam operam ad illud vertit, est curatum, recipitque pro suis officiis partem fructuum. Virgo respectu Spiritus sancti fuit opulentum beneficium. Tradidit illa se Iosepho, vt sibi seruiret, & gauderet prouentibus, hoc est, fructu ventris illius, qui erat puer Deus, qui hoc titulo fuit vocatus filius Iosephi.

Spiritus sanctus ait, sibi honorificum esse, quòd in tam sublime sanctitatis cacumen exaltatus est Ioseph, nec quidquam suæ existimationi, aut magnitudini officere. Itaque voluit etiam cum Iosepho partiri opus incarnationis; velut ille facit, qui domum ædificat in vrbe Veneta, quæ constructa est in aquis. Respublica illa namque ædificat id, quod est sub aquis, ciuis autem quod suprà eminet, in præiactis fundamentis excitat. Sic Spiritus sanctus cum Iosepho diuisit opus incarnationis. Quod intùs in occulto vteri virginalis faciendum erat, hoc Spiritus sanctus operatus fuit, construens humanitatis fabricam, vt propterea Beatissima Virgo Arnoldo Carnotensi in lib. de laudib. Virg. dicta sit officina *Spiritus sancti.* Quàm primùm autem natus fuit Deus infans, cæpit sanctus Patriarcha suam operam ad illum adhibere in manifesto, & sacram eius humanitatem nutricari, vt paulatim exurgeret fabrica redemptionis, *quem constituit Dominus suæ matris solatium, suæ carnis nutritium, solum deniq; in terris magni consilii coadiutorem fidelissimum*, quod optimè, & appositissimè in rem præsentem dictum à Sancto Bernardo homil. 2. super *missus est.*

Ad furtum duo latrones pergunt. Vt illis suum malefactum cedat benè, dum alter res depeculatur alienas, alter illum tegit, vt furari secretiùs, securiùsque valeat, & mox partiuntur furtum. Conuenerunt Spiritus sanctus, & Ioseph, vt dæmoni adimerent notitiam mysterii incarnationis, vt ne si illud intelligeret, impedimentum afferret morti filii Dei, & redemptioni mundi. Hæc est doctrina sanctorum Ignatii martyris, & Basilii Magni & Hieronymi. Spiritus sanctus furtum fecit, hoc est, illam diabolo notitiam eripuit, vt illi acceptum ferre debeamus opus incarnationis: Béatus Ioseph autem ad eandem rem suo studio concurrit, tegens furtum, cùm enim esset maritus Virginis, dæmon ex illo, & muliere per illum corrupta natum: Christum arbitra-

bitra-

bitrabatur, & hoc fuit Spiritum sanctum in hoc opere iuuisse. Diuiserunt lucrum & Spiritus sanctus quidem sibi gloriam accepit, quam inde habuit, quòd autor mysterii incarnationis fuit, Iosepho autem hoc datum fuit, vt sponsus Mariæ esset, & pater Christi adoptiuus.

§. IV. *In eandem rem differit.*

POstquàm Spiritus sanctus Virginem suâ omnipotente virtute grauidam Dei filio fecit, videbatur etiam debuisse tanquam sponsus principalis carnem assumere, idque primùm, vt Virgini prægnanti patronus, & comes in omnibus necessitatibus adesset, deinde etiam vt puerum Deum enutricaret. Cùm autem hoc non fecit, sanctum Iosephum pro sua persona subrogauit, vt is omne illius officium in eo mysterio obiret, & exequeretur: Hac de re sic ait Rupertus Abbas: *Ad omnes calamitates, & ærumnas, quas ipse Spiritus sanctus ferre non poterat, pignorauit sanctissimum Iosephum.* Pignorare Ciceroni est alium pro se submittere. Vnde in IV. Philippica dicebat: *Mars in bello fortissimum virum pignorare solet*, nimirùm quando Mars ipse castris adesse non poterat, strenuum quempiam pro se exercitus ducem subrogabat, qui aciem instrueret, & in hostes moueret. Cùm ergò non conueniret, vt Spiritus sanctus incarnaretur, pro se Iosephum suffecit, vt ille Mariam inter omnes ærumnas consolaretur, & nutricaretur, quod alioquin Spiritus sanctus velut ex officio facturus erat. Itaque Ioseph fuit quidam velut incarnatus Spiritus sanctus, & quasi talem suspicere illum debemus.

Verba superiora Ciceronis in autographo correcto sic habent: Mars ipse ex acie fortissimum quemque pignorari solet, hoc est *obsidem, siue pignoris loco accipere. Mendosum igitur fuit exemplar, vnde Auendanno ea exscripsit, qui si illa qualia verè sunt, integra reperisset, nunquam huc attulisset.*

Hæc ergò faciebat Ioseph in publico, at in occulto non obliuiscebatur Virginem Spiritus sanctus, cùmque illa duos haberet sponsos, hoc ei eueniebat, quod domicellæ, quæ duos habens procos ab vtroque certatim & colitur, & lautè habetur. Spiritus sanctus, & Ioseph congerebant in Reginam cælorum bona, quæcunque poterant, & velut ex contentione illam honorabât. Spiritus S. diligebat Mariam amore infinito. Ioseph è contrà cùm videret tanto amore prosequi, & exæquare Spiritum S. non posse, hâc re seipsum consolabatur, quòd Spiritum S. eo superaret, quòd amore operoso ergà Virginem ferretur, qui faceret vt pro ea colenda, & sustentanda sudaret, ac defatigaretur, quod Spiritus sanctus fecere non poterat.

Et velut puella, quæ duos habet amatores, quorum alter diues, alter tenuis, sæpè depilat opulentiorem, vt habeat quod det pauperi: Ita beatissima Virgo Dei mater cùm duos haberet amantissimos sui sponsos, quidquid illi à Spiritu S. veniebat, eius participem faciebat Iosephum. Hoc est, quod sanctus Bonauentura vult, cùm in suo speculo ait: *Quæ sunt vxoris, sunt viri, ideo purissima Virgo totum thesaurum sui cordis, quantùm Ioseph capere poterat, ei libentissimè effundebat.*

Vt finem huic discursui imponam, dico etiam Virgini multum decoris, & ornamenti attulisse, quòd Iosephum habuit sponsum, tantùmque abest, vt existimatio eius quidquam detrimenti passa sit per hoc, quòd illi nupta, vt etiam fortunatam se arbitrata fuerit, quòd ex illo autoritatem suo nomini conflare potuerit.

Sapiens Prouerb. 22. 1. ait: *Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.* Ego dico, hoc nomen esse sponsi, vel sponsæ, Virginemque Deiparam maioris æstimasse hoc nomen bonum, quòd sponsa, & coniux Iosephi appellari potuit, quàm thesauros, quoscunque illos terra produxit. Virgo se honoratissimam putabat tali sponso, illiusque nomine, & sanctum Iosephum felicitabat, beabatque aspectus tum pueri, tum sponsæ matris.

Cum Iacob magni Patriarchæ nostri magnitudinem in altero illo Iosephte filio suo, qui huius figura fuit, vaticinaretur, dicebat Gen. 49. 22. *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens.* Santes Pagninus legit: *Ramus Ioseph iuxtà fontem.* Alia versio habet: *Iuxtà oculos.* Omnia Iosephi nostri incremēta ex eo nata fuerunt (de potioribus, & præcipuis loquor) quòd semper Mariam præsentem habuit, quòd semper ob illos elegantissimos oculos versatus fuit, quorum tanta erat suauitas, & beneuolentia tam singularis, vt omnes illius labores leuarent & mitigarent.

Sacra Scriptura memorat, quòd post ærumnarū tempestatem, quâ sanctus Iob tam miserè iactatus fuit, Deus illi tres filias dedit, sed omnium, quas mundus habebat, venustissimas. *Non sunt inuentæ speciosæ mulieres in vniuersa terra, sicut filiæ Iob*, Iob 42. 15. Catena Græca dicit, tam liberali fuisse specie, *vt earum aspectu omnis superioris ærumnæ memoria funditùs interiret.* Quomodo ergò potuit qualemcunque in quantocunque labore sentire labo-

rem

rem Ioseph, quem non leuissimè, lætantissimèque ferret, cùm beatissimæ Virginis sponsæ incomparabilem pulchritudinem oculis haberet semper expositam?

Procopius Gazæus in Genesin de elegantia Saræ loquens inquiebat: *Sara habebat potentissimum pulchrum*, hoc est, tam eximiâ erat facie, vt videntes exhilararet, sed illa formæ venustas, tanquam radius fuisset, aut mortale venenum, insinuabat se per oculos aspicientium, tantâque vi penetrabat in corda quantumuis firma, & obturata, vt eâ suæ potestati subigeret. Hoc est, quod dicitur habuisse, *Sara potentissimum pulchrum*. Non erat talis pulchritudo Reginæ cælorum, ea namque consolabatur aspicientes, & sic peruadebat oculos, vt animos redderet castos illorum, à quibus videbatur. *Filius* ergò *accrescens* erat *Ioseph iuxtà oculos*, & quòd in oculis habebat Mariã, attentusq; era illius spectator, id non imminuebat, sed augebat eius virginitatem. Sic aiebat sanctus Hieronymus scribens contrà Heluidium, qui Mariam fuisse semper virginem negabat, dicens: *Tu dicis Mariam Virginem non permansisse, ego plùs dico, etiam ipsum Iosephum Virginem fuisse per Mariam.*

Fit vt quis in vniuersitate aliqua inferiore inauguratus Doctor veniat Salmanticam, ibique per occasionem cogatur in illa celeberrima mundi vniuersitate lauream eandem iteratò accipere, & titulum titulo repetito cumulare. Ita Ioseph a Spiritu sancto semel Virgo renuntiatus, quando in vtero suæ matris sanctificatus, vt affirmat Gerson in sua Iosephina, post hunc gradum virginitatis recepit alium nouum ex conspectu, & familiari consuetudine Mariæ suæ sponsæ. Et hoc sibi vult illud Hieronymi: *Ego dico, Iosephum Virginem fuisse per Mariam.*

Et Amphilochius Episcopus Iconiæ in hom. de Purificat. loquens de hoc Mariæ, & Iosephi connubio sic ait: *Est coniugium ipsum tanquam planta quadam pulcherrima, ex qua Virginitas ipsa nascitur.* Augescebat in dies flos virginitatis in Iosepho, castiorque ex eo fiebat, quòd maritus esset Mariæ.

Tertullianus in lib. de velandis virginibus c. 10. ait, hoc differre virginitatem à castitate, quòd virginitatem gratia sustentet, castitatem verò gratia simul, & virtutes tueantur: *Virginitas gratiâ constat, continentia verò virtute.* Videbatur illi, plura necessaria esse, vt quis castus sit, quàm vt sit Virgo. Ita exponit hunc locum doctissimus Tertulliani interpres Cerda. Nam vt Virgo nunquam degustauit carnis voluptates, ita leuiùs eius titillatur cupiditate: At verò castus, qui blandæ Veneris aliquando expertus est delitias, acriùs illius torquetur recordatione, grauioresque patitur insultus, adeò indiget tum gratiæ præsidio, tum virtutum adminiculo, vt perseueranter repugnet, timeatque perdere castitatem, quàm semel labefactari. Virginitas aliâ quàm gratiæ opitulatione nullâ eget, nec enim tam vehementer irritatur perlecebris voluptatum, quarum nullum habuit gustum, vel experimentum.

O quàm secura incedebat virginitas Iosephi, quamdiu vehebatur curru gratiarum tantarum charæ suæ sponsæ! Nihil illi officiebat, quòd illam fixis etiam oculis spectabat, immò omnis illius intuitus virginitatem virginitate cumulabat. Et hoc est illud, quod dictum. *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens iuxtà oculos.*

Admodum certum est, quòd egregia forma, & eximia gratia Mariæ habebat in occulto, quod non videbatur, radicem aliquam plantatam Spiritus S. in purissima ipsius conceptione, ex qua pulchritudo illa tanta nascebatur.

Tertullianus in lib. de cultu fœminarum c. 2. venustatem his verbis describit: *Accusandus decor non est, vt felicitas corporis, vt diuinæ plasticæ accessio, vt animæ aliqua vestis vrbana.* Vocat corporis felicitatem, quia multa corpora venierunt sæpè multò pluris, quàm valebant, propter decentiam suæ formæ. Deinde nominat *diuinæ plasticæ*, hoc est, facturæ, siue operis *accessionem*, quasi dicas adiectionem, incrementum, & nostra vernacula, ein Zusatz. Plasticæ nomine pro opere sæpè vtitur Tertulliani diligens lector S. Cyprianus, qui in lib. de habitu Virginum ait, quòd *opus Dei, & factura, & plastica adulterari nullo modo debeat.* Denique appellat *Vrbanam animæ vestem*, hoc est, ciuilem, quæ argumento sit, nobilem esse animam, cui tam spectabilis à Deo datus amictus.

Secundùm hæc, cùm tanta esset formæ præstantia, quâ naturæ autor insignierat Mariam, pretiosam animam illius velut intento digito demonstrabat. Et pulchritudo, quæ tam sanctam habebat originem, incommodi aliquid Iosepho adferre non poterat. Vt fortunatissimum se ille tali vxore & illa felicissimam tali marito arbitraretur, quæ & Deo dicebat, nihil detrimenti, sed bona plurima ex illius contubernio, & coniugio sibi accidere.

§. V.

Nullas habet mundus ærumnas, quæ comparari possint cum his, quas patiuntur coniugati, & calamitates, quas subierunt Ioseph, & Maria, pœnale martyrium illis fuerunt.

Antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.

DIonysius Carthusianus ait, quòd Ioseph statim à celebratis sponsalib. traduxit Mariam in domum suam: *Ioseph desponsatâ sibi Virgine accepit eam in domum suam*, inquit ille in c. 1. Matthæi. In hac domo ergò salutauit eam Archangelus Gabriel, in hac domo confectum est mysterium incarnationis, sed Iosepho totius rei ignaro. Post conceptum Dei filium petiit mox Virgo mater veniam inuisendi S. Elizabetham, quam intellexerat esse prægnantem. Trium mensium licentiam illi concessit Ioseph, post quos reuersa cùm tumentem vterum præferret, attonitus ille inopinatæ rei nouitate interrogauit num prægnans esset. Non poterat veritatem inficiari Regina cœlorum. Dixit ergò grauidam esse fidem tamen, quàm illi dedisset, minimè offendisse. Accepit excusationem, & credidit nullâ ab ea offensam accepisse. *Dubium enim non est*, inquit Carthusianus, *quin interior gratia, castitasq; Mariæ mirabiliter, ac potenter refulsit non solùm in eius vultu, sed & in toto corporis gestu, & apparatu, in tantùm, quòd qui eius conuersationem diligenter aduertit, fornicationem, & crimen aliquod de ipsa suspicari non potuit.* Ex donorum, & gratiarum, quibus anima illius affluebat, copiâ tantus lucis splendor in vultum eius redundabat, vt qui eam videbat, sinistrâ qualiscunq; leuitatis suspicionē habere non posset. Itaq; & fidē ei habebat Ioseph, *magisq; credebat castitati eius, quàm ventri eius, magis gratiæ, quàm naturæ*, inquit rursum Carthusianus.

In hac ergò perplexitate suspendit iudicium. Sed cùm videret grauidam, & nesciret mysterium, humiliter, multaq; cum vrbanitate rogauit Virginem, vt ad paternam domum rediret, nec voluit sub tectum suum admittere. Quam in rem sic pergit Carthusianus: *Cùmq; reuersa fuisset ab Elizabeth, cernens eam Ioseph grauidam, noluit eam recipere in domo sua.* Hinc cæperunt anxietates, & ærumnæ horum sanctissimorum coniugum, & alter ex altero torqueri, sic vt ferre mutuò remedium non possent, atrocioreque martyrio vexari, quàm vlli vnquam Nerones, aut Diocletiani excogitârint. Afflictabatur Maria videns coniugis sui mœstitudinem, & quòd illi enudare secretum non posset. Legebat Ioseph videns inopinatam nouitatem, & quòd propter eam necessum esset diuortium facere ab illa, quam oculitùs amabat. Si hoc matrimonium tam sanctum talibus fuit perspersum amaritudinibus, non debemus mirari miserias, quibus vexantur coniuges alij. Ego has nuptorum calamitates existimo esse omnium, quas mundus habet, maximas.

Ostendamus hoc primorum exemplo coniugum, Adæ, & Euæ. Inter maledictiones, quibus Deus perculit Euam pro supplicio, quòd ad peccandum Adamum induxit, hæc vna fuit: *Sub viri potestate eris*, semperque subiecta marito. Et quanquam hæc non videatur maledictio, quia vxor semper debet esse subdita viro, immanis tamen maledictio fuit. Nam quod nostra vulgata habet: *Sub viri potestate eris*, id LXX. transtulerunt: *Ad virum tuum conuersio tua*; quod perinde est, ac si dixisset: Faciam vt fixis semper oculis maritum tuum aspicias. At neq; hæc speciem habet aliquam maledictionis. Nam cùm tam effictim mutuò amarent, vt S. Augustinus affirmet, quòd Adam de cibo vetito comedit certus sui inde secuturi exitij, id fecisse, *ne contristaret delitias suas*, & maluisse totius generis humani interitū videre, quàm mœrendi causam præbere mulieri, quæ illi omnis voluptatis instar erat: Si ita, inquam, illam demoriebatur, vt potius dixerit quoduis damnum subire, quàm illi luctus occasionem qualemcunq; ministrare, quomodo facere Eua potuit, quin auidissimè illum videre cuperet, à quo tam emedullitùs diligebatur? Quid ergò maledictionis sit, quod illi pro culpa dictum: *Ad virum tuum conuersio tua*?

Dicam. Cogita qualis Adam post peccatum relictus fuerit, ad tam varias damnatus miserias, quando terra maledicta, vt tribulos, & spinas illi germinaret, quando iussus in sudore vultus sui vesci pane suo, idque per omnem vitam, donec reuerteretur in terram, de qua sumptus erat, quando vestitus exuuijs animalium eiectus paradiso, & in mundum exturbatus, in perpetuo exilio, & labore tanquam vinctus, & ad ferri fodinam, aut marmora secanda damnatus fuit, quando *pellitus* (sic Tertullianus lib. de Pallio c.3.) *orbi vt metallo traditur.* Cogita nunc qualibus oculis Eua viderit suum Adam pridie tam felicem, postridie tam ærumnosum, pridie orbis dominum, postridie peccati mancipium, pridie in paradiso beatum, postridie in mundi ergastulo

ſtulo tam magnis, & multis modis miſerum, pridie tot delitiarum voluptatibus affluentem, poſtridie tot calamitatum ponderibus prægrauatum. Et cùm hæc, pleraque talia animo reuolueris, tunc ſimul tecum reputa, annon acerbiſſima fuit illa Euæ inflicta maledictio: *Ad virum tuum erit conuerſio tua*; in quo nimirùm videre nihil poterat, niſi quòd illam tam cruciabiliter exulceraret, quàm vehementer maritum ſuum deperibat?

At ſi acerba fuit illa Euæ pœna, nihilo mitius fuit Adæ ſupplicium. Tertullianus namque dicit, Euam illi datam *in complementum gaudij, & in complementum dominij*, & ad cumulum lætitiæ, quando ſe ob oculos mulieris, quam ardentiſſimè amabat imperare cernebat. Quoties ille conſiderabat, quòd illa mulier dæmoni pro verſatili ponte fuerit, vt penetrare in paradiſum poſſet, & quòd per illam Dei gratiâ exciderit, iuſtitiâque originali nudatus fuerit, non potuit non pro inferno ei illius aſpectus eſſe. Itaque inuicem torquebant, quoties mutuò intuebâtur, & nec Eua tam ærumnoſum videre Adamum poterat, nec Adam Euam aſpicere, quæ illi omnium calamitatum parens fuerat, quin acerbiſſimè lugeret. Sed hoc in iſtis coniugibus nihil mirum, pœna quippè peccati erat. Illud tamen ſtuporem adferre cuiuis cordato, & prudenti poteſt, quòd Maria, & Ioſeph, qui procul ab omni etiam veniali peccato aberant, atrociſſimæ afflictionis, & intolerabilis martyrij occaſionem mutuò præbuerint. Hoc dignum eſt miſeratione, & compaſſione.

Solet Deus præmij, & magnæ felicitatis loco concedere viris, vt videant vxores ſuas grauidas, iuxtà illud Pſalmi 127. *Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.* Quod alijs pro munere datur, id Ioſepho immanem pœnam, & intolerabilem cruciatum attulit. S. Fulgentius exponit ea verba de Matre Dei. Et Guernicus Abbas ſer. 1. in Nat. de eadem illud Eccleſiaſtici 24. *Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris*; dicens: *Maria genuit Saluatorem, ſicut vitis odorem.* Cùm autem beato Ioſepho ſingularem lætitiæ voluptatem conciliare deberet, quòd vitem ſuam domeſticam fructu grauidam alere terræ promiſſionis diu optatum racemũ videbat, id illi cruciatum doloremque grauiſſimum conſciſcebat, & viſcera illius tota depaſcebatur.

§. VI.

Idem argumentum perſequitur, & de Zelotypia Sancti Ioſephi differit.

VT hunc diſcurſum pertexamus, non debemus zelotypiam Sancti Ioſephi is præterire. Andreas Cretenſis in ſerm. de Natiuit. Virginis, cùm varijs eam encomijs ornet, tùm hac myſticâ verborum formâ dilaudat, & appellat: *Salue fermentum ſanctum, ac Deo gratum, ex quo totius generis humani maſſa fermentatur.* Proprietatum fermenti vna quædam eſt, quòd maſſam quæ ſubigitur, reddit acidam, facitque vt alium ſaporem accipiat, & augeſcat, & intumeſcat, & ocellata fiat. Maria ergò fermentum dicitur, quià maſſam Adæ, hoc eſt, naturam humanam ad ſuauitatem delitiarum, & vanam gloriam propendentem amarore, & acore aſpergit, & perficit, conquiritque illi dolorem, & contritionem, multoſque generat oculos, quibus culpas ſuas deploret. Hoc ergò eſt, quod ille dicit: *Salue fermentum, ex quo totius generis humani maſſa fermentatur.*

Fuit Maria fermentum Ioſepho, ocellatumque illum, & alterum Argum quendam fecit, non vt peccata ſua lugeret, quià nulla habebat, ſed vt Zelotypiam deploraret. Iuſtus erat, hoc enim nomine eum Euangeliſta donat, cùmque deberet arripere pugionem (quod alij mariti faciunt) ad vindicandam inopinatam ſuæ vxoris prægnationem, arripuit ſibi pœnam, & coniugis ſuæ fermento ſubactus in lachrymas amariſſimas à Zelotypia natas totus ſoluebatur.

Zelotypia inter nobiles coniuges inſtar barbarorum ſatellitum eſt. Et quid dico Zelotypia? Sola ſuſpicio eos vehementer perturbat, & conſumit. Cùm ſapientior vxorum Siſaræ tardiùs eum reuertentem è prælio reuerti cerneret, aiebat ſocrui ſuæ de eadem cunctatione ſolicitæ: *Forſitan nunc diuidit ſpolia, & pulcherrima mulierum eligitur ei*; Iud. 5. 30. Ægritudo animi erat ex eo nata mulieri, quòd cum alia eſſe ſuſpicaretur maritum, quem cum fœmina nulla vellet habere communem. At ſi ille metus tam procul inde proueniens tam acriter illam torquebat mulierem, quid fecerit vterus tumens, quem coram videbat Ioſeph, Virginis tam charæ, tam dilectæ?

Tam ſunt immanes cruciatus, quos mulier timido adfert marito, vt Scriptura vocet miracula. Quando Sanctus Iob vidit ſe tam attenuatum, & exhauſtum moleſtijs, quas illi vxor adferebat, dicebat:

bat Deo: *Mirabiliter me crucias*; acsi verbis alijs dixisset: Tam malis, & intolerabilibus modis me afflictat vxor mea, vt in miraculis numerem. Miraculum est, cùm aliquid præter ordinem consuetum, cursumque naturæ solennem accidit, quale fuit, quòd ignis Babylonicus, cùm deberet ex vi natiua adurere, refrigerabat tres illos pueros. Iam cùm officium vxoris Iob esset consolari virum inter suas ærumnas, illa verò hoc prætermitteret, immò verò inflammare illum aduersùs Deum magis studeret, præter debitum morem operabatur, adeòque Iob calamitates ab illa irrogatas, à qua consolationes venire debuerant, miraculosas, & portentosas vocat, dicens: *Mirabiliter me crucias*, talesque sunt miseriæ, quibus me vxor mea exagitat, vt recenseri in miraculis debeant.

Quoties fit, vt vir quærat vxorem, quæ illum augeat prole, quæ rem curet familiarem, quæ domum regat, & parte solicitudinis, ac laborum leuet, inueniatque aliquam, quæ magis in ruinam illum impellat? Quis credidisset, quòd talis maritus, qualis Ioseph erat, reperturus ærumnas in suo connubio esset, cùm vxorem haberet Mariam, mulierem omnibus virtutum, & perfectionum numeris absolutissimam?

O quàm benè dixit S. Gregorius Nazianzenus in orat. ad Olymp. *Marito marenti commodissimus portus est vxor!* Quod portus est naui ventorum furentium libidine grauiter iactatæ, hoc debet esse vxor coniugi extumultuariorum negotiorum turbulentis fluctibus, & causarum forensium feruentibus procellis domum redeunti, sic vt blandâ suâ consuetudine, & morum facilitate, & verborum suauitate, & officiorum sedulitate iucundam tranquillitatem dispulsâ omni tempestate ei adferat. Sed quot maritos videmus, qui sæuiorem in portu, quàm in alto mari experiuntur tempestatem, & ibi naufragantur, vbi quietem, securitatemq; maiorem sibi promittebant? Quot sunt, qui dicant, quoties ingredior ædes meas, nil nisi tumultuatio est, & omnia vocibus personant, & motibus vniuersa miscentur, & fluctus in cœlum vsq; exurgunt, & furunt vndæ quantùm maximè possunt, iamq; Zelotypiâ, iam liberioris vitæ licentiâ omnem domum concutiunt, atque perturbant?

Postquàm Abraham sepulchrum coëmit, cui defunctam vxorem suam inferret, *nunquàm ei amplius apparuisse Dominus legitur*, inquit Rupertus Abbas. Sed cur antè hæc tempora potiùs, quàm postea? Quia res est tam grauis, ac molesta vxor, vt crebrâ visitatione Dei refocillari, & subleuari opus habeat, qui eâ sit prægrauatus vt perferre queat, quanquàm sit sanctus.

Et velut sunt portus quidam tempestuosi, in quibus pereunt naues, vel malè custoditi, & confragosi, in quibus alliduntur, & confringuntur? Ita cùm *marito marenti commodissimus portus* debeat esse *vxor*, aliquæ sunt portus tam nudi, & aperti, & turbulenti, vt in ijs mariti omnis & quietis, & famæ iacturam patiantur.

Soleo comparare quasdam vxores cum gladijs inauratis, qui in vaginis pretiosis reconditi magno artificio ita sunt fabrefacti, vt exempti secretas quasdam exerant acies tam acutas, vt nullâ sit tam valida lorica, per quam non penetrare queant. Videre licet mulieres, quas si de vultus elegantia, & reliqui corporis concinnitate arbitreris, Angelos dicas, at si intùs aspicere possis, inuenias tam aspero, tetricoque esse ingenio, tam intractabili morum conditione, vt & ipsi dæmonio videantur intolerabiles.

Iam si coniugatorum turbatio de Zelotypia nascitur, ijque vehementer amant, & sunt nobiles, tormentum tormentorum est, quo vexantur. Quod nostra vulgata Gen. 2. habet: *Faciamus ei adiutorium simile sibi*; Santes Pagninus vertit: *Faciamus ei adiutorium, quod sit coram eo*; velut alijs verbis dictum fuisset: Demus vxorem Adamo, & quoniam nobiles sunt, ardenterq; mutuò amabunt, habeat semper præsentem, quam habiturus coniugem, *sit coram eo*, ne quam illi Zelotypiæ occasionem absens ministret, quia mortem illi adferet, si id faxit.

Maximum malum imprecari sibi Iob voluit, vt fidem inueniret, quòd coniugem nunquàm expetijsset alienam, & sic ferè ait: Si vnquàm mihi in mentem venit, eam, quæ alteri nupta esset, concupiscere, *vxor mea sit scortum alterius*, Iob 31. talemq; mihi Zelotypiæ causam de se præbeat, *quod est maximum malum* omnium, quæ mihi optare possim. Et Deus, vt ostenderet, quantùm succenseret Dauidi, quòd sibi Bethsabeam vsurpasset, maritoque eius mortem adferri iussisset, decreuit illum plectere Zelotypiâ, vt pœna culpæ responderet, dicens: *Eò quòd tuleris vxorem Vriæ, tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo*; 2. Reg. 12. velut dixisset: Zelotypiâ te mulctabo. Erat hoc acre per id tempus supplicium, quià multum veneni habebat Zelotypia, & occidebat. Verùm hodie Zelotypia similis est cotoneorum, quæ apud Persas sunt venenum, transplantata verò in Hispanios odorata sunt, & nutri-

nutriunt. Quo tempore Adam vixit, & Iob, & Dauid, lethalis erat Zelotypiæ morbus, verùm translata in has nostras oras nihil toxici hoc tempore habent.

Nam sunt mariti, neque pauci, qui sunt quales hortorum putei, in quibus plures absq; strepitu, & mutua collisione concurrunt antliæ & non strepunt, nec motus vllos excitant, tametsi amiculo vxoris occurrant, immò ad communem mensam admittunt, & suprà arcam dormiunt, & sunt deniq; velut mala cotonea.

Nec minor cruciatus est, quem vxoribus suis mariti complures inferunt, qui cùm vagam cum publico offendiculo consectentur venerem, & in turpes mulierum aliarum consuetudines palàm se ingurgitent, coniugum suarum pectoribus pro qualibet leui suspiciuncula pugiones intentant. Hos perstringit Seneca epist. 9. dicens: *Improbus est, qui ab vxore pudicitiam exigit, ipse alienarum corruptor vxorum.* Et lib. 6. c. 26. *Iniquum est id, vt exigas, quod præstare ipse non possis.*

Scitis illa apud Ezechielem c. 1. animalia, quæ vultus quatuor habebant, hominis, leonis, bouis, aquilæ. Cùm eadem animalia idem Propheta c. 10. enumeraret, boui Cherub subrogat. Quid mysterij? Quomodo qui paulò antè vultum præferebat bouis, posthæc faciem Cherub induit? Res est, quòd bos commune cum leone iugum ducebat. Eorum animalium sunt admodum contrariæ conditiones, Leo namque est rapidus, iracundus, incitatus, sæuus, bos verò tardus, & mansuetus. Quis hæc tam diuersa indolē coniugauit animalia? Deus. Bos autem coniugē tam imparem patienter tulit. Quomodo hanc Deus tolerantiam remunerauit? Dicam. Transformatione bouis in Cherubin.

Multoties Deus vni iugo adstringit virum ingenio leonino, & mulierem miti atque cicure indole, quæ bouis instar domus iugum, & omnem illius administrationem portat, & prudenter omnia facit, fertque æquanimiter, quia cogitat Deum ita ordinasse. At quo præmio eam donat, qui tali iugo alligauit? Auxiliares gratiæ copias illi submittit, vt cùm ex hac vita demigrat, Cherubin magis videatur, quàm mulier. Ferant ergò patienter vxores, quæcunque iugum ducunt cum viris asperis, tetricis, subausteris, prolixa enim, & diues eas expectat remuneratio. Hoc autem crebrò secum reputent, cùm in matrimonio Mariæ, & Ioseph fuerint ærumnæ, suum absque miserijs esse non posse coniugium, Deumq; velle, vt per eam viam ad cœlum tendant.

Quemadmodum autem si quis dormiens somniaret, violatam sibi ab vxore tori fidem, non esset necessum aduocare illius cognatos, vt ab iniuriæ vindicta, & cæde coniugis maritum prohiberent, quia euigilans ipsus videret, nihil perfidiosè contrà se actum à coniuge sua. Ita somnium fuit iniuria, quam Iosepho vterus tumens indicabat, à quo cùm per Angelum sibi redditus fuisset, vxoris suæ sanctam innocentiam, illabatamque integritatem cognouit, de quo prolixè agemus discursu proximo.

§. VII.

Sanctus Ioseph docet, quàm cautè prospicere debeamus honori proximi, eaq; in re Deo, quàm homini similior fuit.

CVm grauidam videret vxorem suam Beatissimus Ioseph, *noluit traducere eam*, id est, *noluit in damnum suum ducere*, vt exponit Hugo Cardinalis. Mos obtinuerat, vt si maritus adulteratam fuisse vxorem suspicaretur, ad iudices rem deferret, à quibus illa in templum adducebatur, ibique tunc periculum fiebat transgressionis, & sacrificio Zelotypiæ veritas detegebatur, de quo Num. 5. S. Ioseph suspendebat iudicium, nec mali quidquam de coniuge sua apud se statuebat, cùmque ex altera parte videret prægnantem, voluit occultè eam à se dimittere.

Hugo Cardinalis monet in vna hac causa tres considerare virtutes, quæ in sancto Ioseph vehementer eluceant. Eæ sunt, *iustitia, pietas, & prudentia. Iustitia notatur in hoc, quòd volebat innocentem seruare ab infamia.* Quanquam lex iuberet prodere eam, quæ aliunde quàm à marito suo grauida vterum ferret, ille in partem meliorem omnia interpretatus, hoc maluit cogitare, cadere tale peccatum in coniugem suam, non posse, itaque noluit eam traducere, sed magis ab omni probro seruare. Et pietatem suam eo probatam dedit, quòd noluit eam oblatione Zelotypiæ, & aquæ amarissimæ haustu probandam coram conferta hominum multitudine offerre, quòd id citra grauem offensionem virginalis verecundiæ illius fieri non potuisset. Prudentiam demonstrauit, quia *voluit occultè dimittere eam.*

Nescio cui sanctum istum in ea occasione positum comparem, nisi optimo Deo, & Domino nostro, qui eò plurimùm propendet, vt nullius errata euulget, sed omnes honoret. Turpe certè est videre, quàm leuiter hodie defectus proximorum in pu-

blicum efferuntur, & in medium forum producuntur.

Velim notetis quòd in libro testamentorum duodecim Patriarcharum filiorum Iacob dicitur, cuius meminerunt Tomus V. Biblioth. Vet. PP. Origenes, & Sixtus Senensis. Gad in suo testamento dicit, se, & Iudam fuisse illos, qui fratrem suum Ioseph tradiderint Madianitis, & vendiderint triginta argenteis, ex his autem decem inter se retinuisse, solosque viginti manifestasse suis fratribus, de quo textus sacer Gen. 27. 28. *Vendiderunt eum Ismaëlitis viginti argenteis.* Quòd si ita est, cùm Deus sciuerit furtum, cur furtum non aperit amborum, cùm venditionem refert, sed solùm viginti argenteis vendidisse narrat? Vultis scire causam? Secretum peccatum erat, ideò noluit illud Deus enudare, sed id solùm, quod publicè constabat, referri volens, Moysen, qui Genesios scriptor erat, inspirauit, vt sic memoraret, docens nos eâ re, quàm solicitè honori proximorum attendere debeamus.

Adiungamus his ex Abulensi, qui in c. 37. Genesis quærit, quid causæ sit, quòd Iacob, cùm esset Propheta, non intellexit, quòd à fratribus venditus esset Ioseph. Respondet Hebræorum commentum esse, fratres illos, quando vendiderunt Ioseph, maledictionem Dei mutuò imprecatos fuisse illi, quisquis eam detegeret venditionem, ac propterea Deum, ne hi suum honorem perderent, ex hoc, quod ad hanc rem singulariter pertinet, subtraxisse Iacobi spiritum prophetiæ. Tantam curam habet Deus existimationis nostræ.

Quando filius prodigus rediit ad sui patris domum turpiter vestitus, & malè tectus, statim pater succlamauit: *Citò proferte stolam primam*; Lucæ 15. 22. Notate illud, *citò*, quod dicebat, nolens filium vel aliquantisper sic adstare, ne suam erubesceret nuditatem. Hanc in rem S. Petrus Chrysologus serm. 3. sic ait: *Vt soli patri nota esset nuditas filii, antè voluit vestiri, quàm à seruis videri.* Quòd tam properanter nouam adferri vestem voluit, id fecit, vt defectus obnuberet filii, ne de sua existimatione caderet apud seruos, & haberent abiectum, si fortè vidissent nudum. O bone Deus, quàm amas inumbrare defectus alienos!

De anima illa perdita, cuius memini. Ezechiel c. 16. ait Dominus: *Vidi te conculcari in sanguine tuo.* Et quid hinc factum? *Expandi amictum meum super te*, texi næuos tuos pallio meo, ne in oculos incurrerent prætereuntium.

Hanc consuetudinem obseruârunt etiam famulias Dei. Cœlorum reginæ Archangelus Gabriel dicebat: *Ecce concipies in vtero, & paries filium*, Lucæ 1. Innocentius III. Pontifex Maximus in serm. de natiuit. S. Ioannis Baptistæ subnotauit, quòd idem cælorum legatus dixit Zachariæ: *Vxor tua Elizabeth pariet tibi filium*; ibid. Cur non similiter dixit de Elizabetha, *concipiet, & pariet*, sed solùm ait, *pariet*, & tacet illud, *concipiet*? Respondet Innocentius Papa, conceptum æquè, ac partum Mariæ absque omni peccato fuisse, ideò dixisse, *concipies & paries*: At quia Elizabeth Ioannem in originali peccato conceptura erat quod est probrum à Protoparentibus hæreditariò ad nos transmissum, quid fecit Archangelus? Præteriit silentio illud, *concipiet*, quia parum honorificum erat cum noxa concipere, & solùm dixit, *pariet*, cùm Dei matri, quæ sine omni culpa conceptura erat, diceret, *Concipies, & paries.*

Et vt semel peruideamus, quàm cupidè Dominus noster nostra studeat occultare errata, quærit idem Pontifex, quamobrem Christus corporis, & sanguinis sui sacramentum ministrauit Iudæ, quem cùm tam immani peccato accumbere mensæ sciebat. Respondet, maluisse suo corpori tam insignitã adferri iniuriam, (talis est illius cum mortifero peccato susceptio) quàm subpudefacere Iudam coram toto illo Apostolico collegio: *Vt suo doceret exemplo, quòd Sacerdos non debet illi communionem negare, cuius crimen etsi sibi sit nutum, non Ecclesiæ manifestum, ne fortè non sit corrector, sed proditor.*

Et quando Iudas ipse suâ incuriâ scelus suum paulatim deoperiebat, obligabatque Saluatorem, vt diceret, vnum eorum, qui cum ipso in cænaculo erant, esse diabolum, inquit S. Ioannes: *Turbatus est spiritu & protestatus est*; Ioan. 13. Sed quid animam illam turbare, & commouere spiritum poterat, qui visione Dei occupatus continuò erat? Ipse ille Dominus dicebat Apostolis suis: *Non turbetur cor vestrum*, cor enim turbatum expeditè, & perfectè operari non potest. Cur ergò Dominus ipse sub noctem passionis suæ turbatus fuit? Haud dubium est, quin momentosa fuerit illius turbationis occasio.

Dicat eam B. Augustinus citatus à S. Thoma in catena in c. 13. Ioannis: *Turbatus est spiritu, quia proditorem iam fuerat expressurus, vt non lateret in cæteris, & quia ipse traditor iam fuerat exiturus.* Itaque quòd Iudas suam ipse proderet infamiam, tã vehementer doluit Dei Filius, vt ex mœstitudine turbatus fuerit.

O Sanctissime Ioseph, quomodo videre licuit quantum habuisti ex Deo in illo singulari cogitatu, quo deliberâsti prospicere honori Reginæ cœlorũ! Meritò dixit Euangelista, quòd cùm esses iustus, noluisti traducere eam?

Hac eo cogitante. Modum meditabatur, quo suam à se coniugem absque illius offensione dimitteret. O quomodo docuit, quàm maturo consilio ad res eiusmodi tractandas vti debeamus! A Pontifice Maximo, cui Spiritus sanctus assistit, nunquam aliquid petitur, quin respondeat, primùm discutere velle, atque antè discutiat, quod petitur. Et Virgo beatissima priusquam assentiretur incarnationi in se perficiendæ, *cogitabat quanam esset ista salutatio.* Et Deus ipse non antè constituit demoliri mœnia populi sui, quàm secum eam rem animo pertractâsset. *Cogitauit Dominus dissipare murum filiæ Sion tetendit funiculum eius*, inquit Ieremias Thren. 2. Magna ergò prudentia est, priùs speciem alicuius rei cogitatione effingere, quàm certum aliquid de illa definias. Ita sanctus Ioseph attentissimâ cogitatione solicitè inquirebat, quomodo solerter coniuge suâ, saluâ eius existimatione, se abdicaret.

Hac autem eo cogitante ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens, Ioseph fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Matth. 1. 20. Notate illud hîc primò, quòd Ioseph ita consueuerat benè fidere Mariæ, vt mali quidpiam illi irrogare non sciret, quantumuis grauidam illius ob oculos haberet aluum. Cur Dauid non confodit Saulem, quando illi chlamydis oram præscidit? Respondet S. Athanasius, tam assuetum fuisse illi benefacere, vt incommodare non nosset. Vnde colligimus, Eliam, & Enoch in paradiso morari, cùm id Scriptura non affirmet? S. Irenæus ait, inde colligi, quòd Deus semel Adamum constituit in paradiso, atque ex eo assueuit, homines alios in illo horto voluptatis collocare. *Manus eius assueta* sunt *baiulare suum plasma*, ait ille. Sic Ioseph in consuetudinem venerat beneficiis prosequi Mariam, vt consciscere malum nullum posset. Tum & istud velim animaduertatis, quòd *Angelus Domini in somnis apparuit Ioseph.* Dormiebat S. Ioseph, adeò insomnia erant illius iniuriæ. Quare S. Petrus Chrysologus loquens cum illo serm. 145. ait: *Non humanus lapsus est, sed diuinus illapsus est hic, præmium est, non reatus, incrementum cæli est non corporis detrimentum, non est hominis furtum, thesaurus est Dei, hic non est mortis causa, sed vita;* velut aliis verbis sanctum Patriarcham nostrum appellâsset: Quòd grauidam vides coniugem tuam, non id hominis flagitio, sed operâ factum Spiritus sancti, remuneratio est virtutum illius ista prægnatio, non lubricæ puellaris ætatis prolapsio, nihil Virginis pudori ablatum, sed illatum est vtero eius, vnde instaurari cœli ruinæ paulò pòst incipient, nihil huic homo eripuit, sed thesaurum suum in illa Deus abscondit, non exitium circumfert hic vterus, sed beatitudinis autorem breui est editurus.

Ita confessus est S. Ioseph, quia posita inter indubitatam prægnationem, & amorem, quo sponsam suam prosequebatur, amor veritatem extorsit.

S. Ambrosius in lib. de Elia c. 17. ait, olim in more positum fuisse torquere homines vino, quemadmodum in Castella per aquam in multis vasculis oblatam fit quæstio. *Plerique etiam vino vtuntur vt equuleo, & quibus tormentis non eliciunt vocem proditionis, eos tentant bibendo, vt patriæ statum, salutem ciuium, defensionis suæ prodant consilia.* Hæc ille. Itaque quod cruciatibus non poterant extorquere, hoc vino proliciebant, quia vt Sapiens Prouerb. 31. aiebat, *nullum secretum est, vbi regnat ebrietas.*

Scripturæ phrasi amor vinum vocatur, iuxtà illud Cant. 2. 4. *Introduxit me rex in cellam vinariam.* Iam amore non secus ac vino fit quæstio, & secretissima quæque extorquentur. Dicebat Christus discipulis suis: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò*; Ioan. 16. Nolebat illis cælorũ detegere secreta. Sed amor illum in quæstionem dedit, fecitque vt eloqueretur omnia. *Iam non dicam vos seruos, sed amicos, quia omnia, quæ audiuè à patre meo, nota feci vobis.* Amor illum expectorauit.

Ita S. Ioseph cùm inter euidentiam grauidationis, & amorem Mariæ versaretur, euidentia faciebat, vt hæreret animi dubius, sed amor suo cruciatu inquisiuit, & extorsit veritatem. Dicat hoc Carthusianus, qui sua verba mutuatus est ab autore operis imperfecti in Matth. eaque sic habent. *O inæstimabilis laus Mariæ! Magis credebat Ioseph castitati eius, quàm vtero eius, plùs gratiæ, quàm naturæ, Conceptionem manifestè videbat; & fornicationem suspicari non poterat. Possibilius esse credebat, mulierem sine viro posse concipere, quàm Mariam posse peccare.*

Postquàm vidimus prærogatiuas tam eximias, & sublimes magni huius Patriarchæ, dispiciamus nunc quem locum obtineat in cœlis. Ac mihi certum videtur, quòd cùm sua sponsa peculiarem suprà omnes

mnes

omnes Angelorum choros Hierarchiam constituat, & inter omnes sanctos proximè ad cœlorum reginam accedat.

Si filum vngui aquilino alligares, raperet illud secum aquila, quocunque volatu penetraret. Anima sancti Iosephi, & anima Mariæ nexu matrimonii constrictæ fuerunt, aliter ac coniuges alii mundani, hi enim cùm sint duo, fiunt vnum in carne vna: Ioseph verò, & Maria, cùm essent virgines, secundùm animas validissimo nodo constricti fuerunt. Itaque pariter exaltatæ fuerunt, alteraque alteram in eandem celsitudinem secum pertraxit. Felices ergò sunt, qui pii ergà sanctum Iosephum. Cùm enim tam vicinus sit Reginæ cœlorum, perfacilè obtinere potest per illius potentissimam intercessionem supplicibus suis perseuerantiam lucē gratiam, quæ est pignus gloriæ, *quam mihi, & vobis, &c.*

De Augustissimo Nomine MARIÆ DOMINÆ NOSTRÆ.

Autore Ad. R. P. M. CRHISTOPHORO *de* AVENDANNO *Carmelitâ.*

Interprete F. Ioanne Freylinck Ordinis Prædicatorum.

THEMA.

Ne timeas MARIA, *inuenisti enim gratiam apud Deum.* Luc. 1.



IN Archiepiscopatu Toletano initium dedit huic solennitati quidam plùs Angeli habens, quàm hominis, dignus, cuius nomen æri, aut marmori insculpatur, ne silentio aliquando sepeliatur memoria viri tam Seraphici, qui Reginæ cœlorum quidam secundus Archangelus Gabriel quodammodò fuit, vt cui tantum non continuo dulcissimi nominis sui thus adolebat. Hic sanctissimus homo fuit Reuerendissimus P. Magister frater Simon de Roias, gloria, & splendor Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, qui omnium religiosorum Ordinum lumen esse poterat, fuitque à sacris confessionibus Reginæ Hispaniarum vxori Philippi IV. Regis Catholici. Magna erat illius Patris ergà magnam Dei Parentem pietas, ingens illi obseruiendi cupiditas, cùmque nomen eius deuotissimè coleret, ope, & auxilio Excellentissimi D. Comitis de Monterey Don Emmanuelis Fonsecæ, & Zunniga, Præsidis consilij Italiæ obtinuit à Pontifice Maximo facultatem recitandi officium de hoc dulcissimo nomine, & celebrandi illius solennitatem, quæ in insigni Conuentu Sanctissimæ Trinitatis Madriti sua habuit primordia. Vt in Dei gloriam, & charæ Matris illius laudem redundet, quæ de hoc dulcissimo nomine sum dicturus, gratiam Dei requiro, eam ab autore gratiæ facilè exobsecrabit, ad quam & sermo, quem concepi, & solennitas præsens tota potissimùm spectat, dum ei modò cum Angelo adgeniculati dicamus: *Aue Maria, &c.*

§. I.

Attributa, quæ in Deo insunt per naturam, voluit ille reperiri in Mariæ nomiue ex priuilegio *vt plurima ex opere* operato patraret miracula.

SAnctus Bonauentura in suo Psalterio loquens de dulcissimo Nomine Mariæ sic ait: *Omnipotens post Deum nomen eius.* Omnipotentia ergò, quæ in Deo est per naturam, siue essentiam, illam dulcissimum nomen Dominæ nostræ habet ex priuilegio, & singulari concessione. Hanc veritatem testantur miracula, quæ hoc nomen continuò operatur, & lucra, quæ cœlo adfert.

S. Ambrosius in lib. de instit. Virg. c. 5. ait: *Speciale Maria hoc nomen Domini inuenit, quod significat, Deus ex genere meo,* sic nos dicere solemus, iste, & ego sumus eiusdem sanguinis, & ab eodem stemmate originem nostræ nobilitatis ducimus, ac propterea decet, vt factis, & moribus etiam assimilemur. Quod ergò Ambrosius ait, Mariam speciale hoc nomen inuenisse, quod significet, *Deus ex genere meo,* eiusmodi est, ac si dixisset, dulcia nomina IESV, & MARIæ habere parem virtutem, & esse eiusdem velut massæ, sic tamen, vt quod nomen Dei habet per naturam, nomini Virginis ex priuilegio singulari sit concessum.

Dixit Deus ad Abraham Gen. 12. *Magnificabo nomen tuum.* Rupertus Abbas ait, hanc nominis Abrahæ magnificationem in eo positam fuisse, quòd Deus coniunxit nomen suum cum nomine illius, & voluit vocari Deus Abraham. Verba sapientissimi Abba-

Abbatis lib. 5. in c. 5. Genes. ita habent: *Magnificatum est nomen Abrahæ videlicet cum nomine Dei magno, & tremendo, dum per orbem prædicatur Dei talis definitio, Deus Abraham.* Hinc Origenes l. 5. contrà Celsum accepit, quòd in veteri Testamento, quando per Dei nomen quidquam petebant, prolixiorem Deum experti fuerint, si ad illius nomen nomen Abrahæ adiungerent, faciliùsq; exobsecrauerint, & promptiorem ad benefaciendum Deum reperirent, si ita precarentur: *Adiuuet me Deus Abraham*, quàm si solùm dicerent: *Adiuuet me Deus.*

Quare rationi consentaneum est, vt multò magis adiungamus nomen Dei ad nomen Mariæ, cùm etiam Maria idem significet, quod *Deus ex genere meo.* Et si Deus in vetere lege copulabat nomen suum cum nomine Abrahæ, quòd is esset ipsius amicus, vt illum magnificaret, conueniens fuit, vt Mariæ Matris suæ nomini plùs tribueret, suorumque attributorum participatione longè ampliùs illud locupletaret.

Angelicus Doctor S. Thomas 3. p. q. 60. art. 2. ait: *Qualibet res nomen habet à suo complemento*, hoc est ab eo, quod perfectissimum in ea reperitur, per quod maxime nobilitatur, & in supremo virtutis apice collocatur.

Summa Reginæ cœlorum perfectio est, dignitas Maternitatis Dei, de qua idem Angelicus Doctor 1. p. q. 25. art. 6. ait, esse quasi infinitam. Hinc suam dulce nomen Mariæ trahit Originem, atque ita rationabile est, vt illud nomen virtutem velut infinitam contineat.

Ad huius rei confirmationem aduertit Theodorus, quòd tametsi Domina nostra vocabulo græco posset nominari *Iesutocos*, siue *Christotocos*, hoc est, Mater Iesu, vel Christi, non aliter tamen, quàm *Theotocos*, appellatur, quod Dei Matrem significat: *A maiore enim parte, non à minori appellationes fiunt, ac nomina imponuntur.* Cùm ergò à nobilissima perfectione suum cuique personæ nomen veniat, eapropter appellatio Mariæ ab ea dignitate accipitur, quam consecuta est, cùm Dei Mater affecta.

Hinc perspicuum efficitur illud S. Ambrosij, *Mariæ nomen idem significat, quod Deus ex genere meo*, & quod Doctor Angelicus dixit: *Qualibet res nomen habet à suo complemento.* Hinc etiam arripuit occasionem S. Bernardinus Senensis dicendi: *Maius hoc est donum, quòd sit Mater Dei, quàm quòd sit Domina creaturarum.* Hæc ille Tom. 1. Serm. 52.

Et Tertullianus in suo Apologetico ait: *Gratius est nomen pietatis, quàm potestatis.* Si ergò ex dignitate Matris Dei accipit suam virtutem nomen Mariæ, non debet mirum videri, quòd Deus, vt illud magnificaret in eo posuit sua attributa, vt ex opere operato dulcissimum hoc nomen miracula plurima faceret, & beneficia filijs Adæ sine numero conferret.

Indubitatum est, quòd nomen Mariæ ex opere operato faciat miracula, quæ indies experimur. Ad comprobandam hanc veritatem aduertite, quòd in Ecclesia sunt quædam ex institutione diuina, qualia sunt Sacramenta, quæ ex opere operato conferunt gratiam: Alia ex institutione Ecclesiastica, quæ vocantur Sacramentalia, quæ tametsi non iustificent, neque condonent peccata, ex opere operato tamen operantur admirabiliter, & plurima homini subsidia adferunt. In ea opinione sunt Bellarminus lib. 2. de imaginibus c. 30. Valentia Tom. 4. dist. 4. q. 4. puncto 1. Thiræus lib. 1. de dæmoniacis c. 11. & alij plures. Exempli loco statuo crucem Domini nostri, & aquam benedictam quæ ex opere operato agunt, & expellunt dæmones. Idem affirmare possumus de pane benedicto.

Ergò ratio postulat, vt dulcissimo nomini Mariæ non auferatur illa vis operandi ex opere operato. Habet enim illam tam insignem, eximiámq; prærogatiuam, vt non sit ex institutione Ecclesiæ, quemadmodum aqua, vel panis benedictus, sed ex institutione diuina, è cœlo enim venit, in terra inuentum non fuit. Hanc in rem eleganter S. Petrus Damianus, sic dicit: *De thesauro diuinitatis Mariæ nomen euoluitur*, quasi Deus dum thesauros suos excuteret, Mariæ inter eos nomen repererit. Propterea S. Epiphanius ait, Angelum è cœlo descendisse, quo tempore Ioachim orationi in monte operam dedit, eique denuntiasse, habiturum filiam, quam vocare Mariam deberet. Apud S. Hieronymum in historia de ortu Deiparæ, sic dicebat Angelus: *Anna vxor tua pariet tibi filiam, & vocabis nomen eius Mariam.* Et S. Bonauentura ait: *Benedictum sit, & gloriosum nomen, quod os Domini mirabiliter nominauit.* Dicere ergò debemus hoc nomen ex institutione diuina, non Ecclesiastica descendisse, velut & nomen Iesu, adeòque illius instar ex opere operato facere prodigia.

Videamus nunc quæ miracula dulce nomen Mariæ pro beneficio hominum operetur, vt inde intelligamus, quomodo illud honorare Deus & gratuitâ suorum attributorũ collatione magnificare voluerit.

Sapien-

Sapientissimus Idiota in lib. de contemplat. Virg. c. 5. plurima verbis enumerat illius nominis miracula dicens: *Mariæ nomen super omnia Sanctorum nomina reficit lapsos, sanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, recreat fessos, vngit agonistas, & iugum diaboli extrudit.* Quæ maiora his velis miracula? Facile ergò est intelligere, aliqua diuinorum attributorum participatione gaudere nomen, quod talia operatur prodigia.

Primum ergò, quòd dulcissimum MARIÆ Nomen suprà quàm aliorum quorumuis Sanctorum vocabula, operatur, est, quòd *reficit lapsos*, alterum, quòd *sanat languidos*. Sola Mariani Nominis inuocatio hos, quos vires destituunt, mundusque, & tentationes in periculum perditionis adducunt, roborat, & confirmat. Quid prætereà? *Illuminat cæcos.* Nonné hoc est facinus potestatis Christi Domini nostri? Nonné est opus prodigiosum omnipotentis brachij Dei? Est. Vide ergò, quomodo hoc dulcissimum Nomen assimulet omnipotentiam Altissimi, & magna illius efficacitas sese prodat.

Pergit porrò vltrà Idiota, dicens: *Penetrat duros*, & adamantina peruicacium peccatorum corda peruadit. Huc alludit illud difficile Sancti Epiphanij dictum, qui Beatissimam Virginem salutans ait: *Salue Cherubim transcendens.* Quià nullum cor est, quantumuis ferreum, & contumax, quod ei possit resistere, quod non soluatur in lachrymas, si Mariæ se tantùm commendet, dulcissimumq; eius Nomen inuocet. Et hoc est, quòd dicit Idiota: *Penetrat duros.* Quid ampliùs? *Recreat fessos*, eosque qui miseriarum & ærumnarum ponderibus prægrauati afflictantur, leuat, & refocillat. Denique concludit, dicens: *Vngit agonistas*, estque hoc dulcissimum Nomen oleum tam cœleste, tamque suaue balsamum, vt eo cœlorum Regina tingat, & confirmet eos, qui molestiis infestantur cogitationibus, vt non possit eos dæmon deprædari. Et quamuis totus contrà hominem vnum infernus coniuret, si inter ipsa conflictus primordia dicat, *Adiuuet me Nomen MARIÆ*, sic oleo illius vngitur, & roboratur, vt victor euadat, & hosti omnem posthæc nocendi aditum præcludat. Nam *iugum diaboli extrudit*, & si quis ab illo pressus Nomen Mariæ in medio suarum ærumnarum imploret, tam est potens illius opitulatio, vt rumpat iugum, & conterat. Quapropter multa Concilia, in quibus Constantinopolit. 2. & collat. 6. Chalcedonense 2. & Ephesinum decreuerunt, plurimùm obseruantiæ & reuerentiæ huic dulcissimo Nomini deferendum.

S. Bernardinus Senensis To. 2. serm. 49. exaggerat ampliùs hæc miracula, & magis viuis coloribus ea depingit, dicens: *Nomen MARIÆ est, quod dedit cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, sermonem mutis.* Quomodo potuisset hoc Nomen tam stupenda operari miracula, nisi attributa, quæ habet Deus à natura, fuissent illi ex priuilegio concessa.

Quemadmodum aurifaber pretiosum adamantem annulo aureo inserit, cumque minutioribus adamantib. ad maiorem ornatum velut splendido sepimento includit: Ita Sanctissima Trinitas Nomen Mariæ suis attributis insigniuit.

Obsignat demum S. Bernardinus sua verba tali commonitione: *Proinde si qua infirmitas tibi, vel tuis occurrat; non spreto remedio corporali, aut naturali, recurre ad inuocationem Nominis Mariæ.*

Illud verò miraculorum omnium mirabilissimum est, de quo S. Ioannes Chrysost. ho. 8. in c. 4. ad Rom. sic ait: *Sunt nobis incantationes spirituales ipsum Nomen Mariæ. Huiusmodi incantatio non solum draconem à speluncis abigit, atq; ita in ignem conijcit, sed & vulneribus quoq; medetur. Hoc igitur Nomine ornemur, & tanquàm muro nos muniamus.* Dicit ergò sanctus hic Doctor, esse incantamenta spiritualia, & animas effascinatas, intrà quas sese obmunit draco, siue dæmon, de quo Iob dicit: *Dormit in secreto calami*, Iob 40. 16. Hisce fascinis depellendis non sunt satis persuasiones prædicatorum, non inspirationes cœlestes, non iacturæ diuitiarum, non lethales morbi, solum Mariæ Nomen sufficit, & mirè potens est: *Ipsum Nomen Mariæ huiusmodi incantationis est incantatio.*

Et habet tantam efficacitatem contrà infernalem draconem, vt illum *non modò à speluncis abigat*, & omnia eius fascina dissipet, verùm etiam in ignem conijciat, ne quod tale malum rursùm intentet. Neque contentus hæc dixisse Chrysostomus, pergit extollere huius dulcissimi Nominis virtutem, addens, quòd *vulneribus quoq; medetur*, ijs quæ venenatus draco in anima reliquit, & quidquid ibi est rabiei, fugat, & quod debile, roborat. *Hoc igitur Nomine ornemur, hoc tanquàm muro nos muniamus.*

Lector. Vt horum Chrysostomi verborum pudendam corruptelam dissimulem, nec volo vel si possem nec possum, quià non debeo. Verba igitur S. Chrysostomi hom. illa octaua in morali apud Germanum Brixium interpretem Catholicum sic habent. Sunt nobis, sunt, inquam, incantationes, ipsum Nomen Domini nostri Iesu Christi, tum ipsius Crucis potentia. Huius-

modi incantatio non solùm draconem è splæis abigit, atq; in ignem conijcit, sed & vulneribus quoq; medetur. Et post aliqua. Hoc nomen & dæmonibus terribile, & perturbationibus, & ægritudinibus. Hoc igitur ornemur ipsi, hoc tanquàm muro nos muniamus. *Hæc ex correctissima Chrysostomi versione Brixiana, in quibus vides quàm malâ fide Nomen Mariæ magnæ Dei Matris, Nomini Domini nostri Iesu Christi suffectum fuerit. Quisquis Nomen alterum alteri subrogauit, ille insignis deprauator est, si meditatò hoc fecit, aut valde ignarus rerum, à quibus veraciter laudare tantæ Virginis Nomen posset, vt confingere encomia falsa debuerit, aut certè nimis quàm incuriosus, qui mendoso cuius exemplari cum periculo mentiendi credere maluit, quàm verba illa apud bonum autorem videre, vt Dei Matrem non alienis ornaret encomijs. Quare nemo ea verba aliter, atq; à nobis allata sunt, pro concione proferat.*

Præter dicta adiungit aliud S. Brigitta lib. 1. suarum Reuelationum, c. 9. quod magnam potest adferre admirationem, dicens: *Nullus est tam frigidus ab amore Dei, nisi sit damnatus, si inuocauerit hoc Nomen Mariæ hâc intentione, vt nunquàm reuerti velit ad opus solitum, quòd non discedat ab eo diabolus statim, & nunquàm amplius reuertatur ad eum, nisi resumpserit voluntatem peccandi mortaliter.* Ingentia sunt ergò mirabilia, quæ operatur pro salute eorum, à quibus imploratur. Nec mihi nouum est, quòd tam stupenda prodigia operetur Nomen Mariæ, est enim ex eadem massa, ex qua Nomen Dei, nobilitatum, & insignitum eisdem attributis, vt per illud tota cœlorum potentia ad beneficium Ecclesiæ elucescat.

§. II.

Tam est dulce Augustissimum Nomen Mariæ, vt ipsam adeò Virginem confortârit, & fidem illi adauxerit.

Ne timeas MARIA, *inuenisti enim gratiam apud Deum.*

SAnctus Gregorius Magnus in illa verba; *Missus est Angelus Gabriel,* dicit, illum Archangelum esse principem omnium Angelorum, & Seraphinorum supremum, ideòque vocat *summum Angelorũ,* qui non vnus è multis, sed vel caput cunctorum, vel certè ex summatibus aliquis fuerit. Sanctus Dionysius Areopagita in lib. de cælesti Hierarchia c. 4. & 8. vocat *diuinissimum Angelum.*

Hinc arbitrari licet quanti æstimauerit Deus virginem, ad quam talem sublegauit oratorum qui vocatur *fortitudo Dei.* Causam, ob quam ita dictus fuit nuntius ad virginem delegatus, hanc reddit S. Gregorius: *Per Dei fortitudinem nuntiandus erat, qui virtutum Dominus, & potens in prælio ad debellandas potestates aëreas veniebat.*

Sanctus Bernardus super *Missus est,* & S. Petrus Chrysologus volunt, illum Angelum fuisse appellatum fortitudinem Dei, eò quòd venerit confortatum virginem, quando illa admiraretur salutationem illius & obstupesceret, quòd mater Dei deposceretur, quæ tam humilis erat, & verecunda. *Vt virginem pauidam, & verecundam, ne miraculi nouitate expauesceret, tota Dei fortitudo, & virtus corroboraret.* Hæc Bernardus. Sancti Petri Chrysologi verba ex serm. 142. sic habent: *Audistis fragilem nostræ carnis naturam ad portandam totam Deitatis gloriam Angelicâ exhortatione roborari.* Ne virginem diuinitatis verbi, quod conceptura erat, pondus opprimeret, & exanimaret, è cælo Archangelus venit, qui animum illi, ac robur adderet.

Et cùm putaret virginem grauiter esse perturbatam, seque imparem esse illi erigendæ, quæ cùm humillima esset, laudes suas, easque tam magnificas absque vehementi concussione audire non potuit, ea propter quo potentissimo potuit remedio eam roborauit, & de suo nomine eam appellauit, dicẽs: *Ne timeas Maria.* Hic fuit sancti Petri Chrysologi cogitatus, & verba illius ista: *Ante causam dignitas virginis annunciatur ex nomine.* Quod Chrysologus dicit, hunc habet sensum. Voluit Angelus vt Virgo experimentum faceret efficacitatis sui dulcissimi nominis, quo exprimenda fuit, & declaranda dignitas matris Dei, & ex quiete quam animo eius attulerunt ea verba, *Ne timeas Maria,* voluit vt argueret dignitatem matris, ad quam extollebatur, simulque sui nominis suauitatem.

Vt commentationem suam magis explicaret Chrysologus, adiungebat: *Maria latinè domina nuncupatur. Vocat ergò Angelus dominam, vt Dominatoris genitricem trepidatio deserat seruitutis.* Itaque cùm potentius non inueniret remedium, suo ipsius nomine animum illius turbatum pacauit, & quòd dixit, *Ne timeas Maria,* id fecit, *vt vocis experiretur efficaciam,* inquit rursum Chrysologus. Præcipuus autem effectus, quem in ea operatus fuit, est, quòd fidem illius auxit, & illa propterea *cogitabat, qualis esset ista salutatio,* quia illi promittebatur, quòd & mater futura esset, & Virgo permansura, credidit-

que

que in virtute sui nominis, quæ fidem illius amplificaui, quam ob causam & sancta Elizabeth cùm illi congratularetur, inquiebat: *Beata quæ credidisti.*

Ad confusionem verò superborum expendamus nonnihil humilitatem Virginis cum S. Petro Chrysologo, cuius ea obseruatio, quòd Angelus, qui ad serenandum, roborandumque Virginis animum missus è cælo fuit, idem est, qui *apparuit* Christo Lucæ 22. *confortans eum.*

Quòd eâ occasione ad Christum descenderit Angelus in hortum ad consolandum eum, non miror, subtristis enim erat, & corde admodum afflicto, idque ex viua imaginatione cruciatuum, & dolorum, quos postridie subiturus erat, repræsentabantur namque illi quinque millia, & his plures sæuissimorum flagrorum ictus, & spinæ, quos capite excepturus, & sputa, & probra, & contumeliæ, & crux & mors quàm pænalis, tam ignominiosa, itaque opportunè veniebat Angelus, qui animum talium cogitationum nubilo obsitum fugato mœrore refocillaret. Sed hoc me attonitum reddit, quòd ad confirmandam, roborandamque Virginem eo tempore venit, quo illi tam gaudiosa nuntia adfert, matrem Dei salutans, & gratiâ plenam, benedictamque inter mulieres vocans. Quid tunc Virgo confortatione opus habuit? Sicut Christus per Angelum confortari voluit, ita debuit Virgo per Angelum animari. Quamobrem verò? Quia verò humili nemo acerbiorem adferre cruciatum, nemo atrociorem infligere colaphum potest, quàm si eum laudet. Nulla illum sic afflictare verbera, nulli sic transfigere aculei possunt, quemadmodum encomiorum propriorum auditus. Itaque ne Virgo deficeret animæ viribus sub tanto tantæ gratiæ pondere, necessum fuit, vt Angelus, qui fortitudo Dei diceretur, eam conueniret, ac roboraret. Cùmque Angelo videretur, etiam hoc satis non esse, nomine Mariæ ad eandem rem vsus dicebat: *Ne timeas Maria*, quæ quòd tam humilis esset, non vehementissimè turbari suarum laudum auscultatione non poterat.

Morale huius §.

FVit Virgo ex animo humilis, quemadmodum illius filius, qui dicebat: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*, Matth. 11. Plurimùm refert, vt suam in corde sedem humilitas, & patientia habeant. Multi filiorum Adæ habent externam virtutis speciem, studentque vt forinsecùs eam præferant, sed vt in corde radices vel aliquantulas agat, non curant. Horum symbolum fuit Simon Cyrenæus, qui cum Christo crucem portans videbatur concurrere ad redemptionem generis humani, & nullum inde habebat meritum, quia per vim coactus id faciebat, *angariauerunt*, enim *prætereuntem quempiam, Simonem Cyrenæum venientem de villa*, inquit S. Marcus 15.21. *Quòd* autem *per angariam facimus, non studio virtutis facimus*, inquit Magnus Gregorius lib. 8. Moral. c. 26. Qui siue per vim coactus, siue mercedis spe allectus aliquid agit, non habet præmium aliud, quod expectet. Exemplo rem illustrabo. Vult nobilis quidam in die Iouis sancto vexillum præferre his, qui voluntariâ castigatione corpus suum per flagra affligant, procuratque vt multos nobiles habeat comites, datque suis impendiis cuilibet eorum facem. Is omne meritum huius actionis perdit, quia mercedem suam iam recepit. Vnde? Ex vana illa ostentatione. Hoc est, *quòd per angariam facimus, non studio virtutis facimus.* Magna infelicitas hominis, qui cùm centum faces distribuat, ne ex vna quidem meritum qualecunque habet, quia omnibus illis mundo seruit. Si vnam solùm facem ad DEI cultum verteret, plùs meriti haberet ex ea, quàm ex centum: quas mundo succendit. Nam vt eleganter dictum à S. Petro Chrysologo serm. 25. *Vsura mundi centum ad vnum, Deus vnum accipit ad centum.* Is qui in suam carnem flagris sponte suâ animaduertens album sericum vestit, & sex seruos à famaduertens... cibus habet, qui lumen illi præferant ne ab inferorum via exerret, nullum inde acquirit meritum, vt qui suam habeat ex inani vulgi applausu remunerationem: *Quod per angariam facimus, non virtutis studio facimus.* Vt virtutes sint acceptæ Deo, debent suam habere in anima, non in vana gloria radicem. Dauid Psalmo 96. 11. ait: *Lux orta est iusto*, id litera originalis commodè in rem præsentem declarat, quæ sic habet: Lux sola est iusto quia diffundit se in animam iusti, vt ibi radices agat. Sic omnes virtutes in corde, non in exteriori specie fundari debent.

O supera cœlorum Regina, tuæ virtutes penitissimo animo insidebant, vt nos doceres, nostras quoq; vt sint efficaces, & Deo gratæ, cordi intimo debere esse infixas, sic vt extrà luceant & intus multò vehementiùs ardeant.

Quàm præclarè hoc docet Tertullianus, cùm ait, nostram patientiam non debere esse, qualis est canum. Verba illius ex lib. 2. de Patient. sic habent: *Nobis exercendæ patientiæ autoritatem non affectio humana animæ æquanimitatis stupore formata, sed viua*

Vita ac cœlestis disciplina dispositio diuina delegat, Deum ipsum ostendens patientiæ exemplum. Multi Christiani habent patientiam qualem canes. Contingit aliquando, vt in vnum catellum extrâneum prætereuntem quatuor immanes molossi inuehantur, misellumq; ex omni parte mordicùs inuadant, & sæuis dentibus attrociter appetant, & malè vexent, atque exagitent. Et quid ille? Non contra latrat, nec se defendit, sed omnibus humiliter, & patienter aduolutus, corporis eâ submissione velut obsecrat misericordiam, & libertatem, vt iter suum prosequi possit, verùm intus tantâ plenus est rabie, vt frustillatim concerperet omnes, si posset. Hoc est, quod vult Tertullianus, cùm hortatur, vt nostra patientia non sit *affectio humana canina æquitatis stupore formata,* qualis est eorum Christianorum, qui exteriùs præferunt tolerantiam, intùs gladios, & mille vulnera proximis intentant.

Cerda insignis Tertulliani commentator ait, quòd ille hoc in loco alludat ad eorum Philosophorum opinationem, qui dicebant, patientiam consistere non in animi interiore quiete & pacationes, sed in exteriore modestia, qui nulli malum reddat, nec vindictam inferat. Huius sententiæ autor fuit Diogenes Cynicus, qui vtinam nullos habeat sectatores Christianos, qui pro remuneratione vanam gloriam recipientes lucrum apud mundum habent, & iacturam apud Deum patiuntur. Hoc ergò est id, quod S. Gregorius Magnus dicit: *Quod per angariam facimus, non virtutis studio facimus.* Nemo autem expectet meritum, qui non eo animi consilio benè facit, vt colat Deum.

Meliùs fecit Rex Niniuitarum, qui sub cilicio purpuram abscondit, & coronam cineribus infodit, texitque; de quo S. Ambrosius ait: *Obliuiscitur se Regem esse, dum proijcit purpuram, dum diadema deponit, cilicio autem vestitur, & sacco. Mirares, dum se Regem esse hominum non meminit, Rex incipit esse iustitiæ.* O millies fortunati illi, qui sciunt abscondere magnificentiam suam, & prodere cordis humilitatem, ac patientiam! illi à Deo aliud, quàm fauorem, & gratiam expectare non possunt.

Hoc videtur mihi significasse Deus, quando Exodi vndecimo præcepit, vt qui post sexennem famulam liber ex seruo effectus esset, cum quali veste intrasset, cum tali exiret, vt cùm iam sui iuris esset, de veste recordaretur nuperam suam seruiturem, & non superbiret. O quanti æstimat Deus illos, qui norunt suam conseruare humilitatem! Hoc sola Angelorum Regina facere sciuit, quæ perfectissimè humilis in oculis Dei fuit, sic vt tunc, cùm in tantum dignitatis fastigium eueheretur vt Mater Dei esset, tam vehementer toto perturbata animo fuerit, vt idem eam corroborare Angelus debuerit, qui filium eius Christum in horto confortauit, & cùm hoc satis non esset, etiam suo eam Mariæ nomine confirmandam, pacandamq; prætereà putauerit.

Quod Chrysologus ser. 142. dicat ab eodem Angelo fuisse confortatum Christum in horto, & Mariam in sui cubilis recessu, id apud illum reperire non potui. Quare vereor ne & hoc tanto autori sit impositum, vt ab illo sua habeat momenta, quod à recentiore scriptore prolatum eâdem facilitate reijci ab alijs potest, quâ fuit ab illo assertum.

§. III.

Quàm acri supplicio digna sit mulier, quæ cùm vocetur Maria, obscænam ducit vitam.

NOn caret mysterio, quòd multæ mulieres donentur hoc nomine Mariæ, honorificumque arbitrentur sic appellari, postquam dulcissimum hoc nomen, vt diximus, idem est, quod *Deus ex genere meo*, & velut ex eadem massa, ex qua nomen Dei. Cùm ergò nomen Dei nulli detur, nec quisquam sit, qui eo vocetur, quare mulieribus datur nomen Mariæ, cùm id pretio nomen Dei tantum non exæquet?

Causa, cur nemo vocetur nomine Dei, ea, ni fallor est quam reddit Doctor Angelicus S. Thomas 1. p. q. 13. art. 8. dicens: *Deus non est nobis notus in sua natura, sed innotescit nobis ex operibus vel effectibus. Vnde hoc nomen Deus est nomen operationis, quantùm ad id, à quo imponitur, ad significandum, imponitur enim hoc nomen ab vniuersali rerum prouidentia.* Tale est, quod dicit Sanctissimus Doctor. Dei nomen deriuatur à perpetua benefaciendi occupatione, quâ commodis studet, & inuigilat cunctorum. Non decet ergò hoc nominis tribui homini, vt qui opere illi respondere non possit, maximè cùm & illud nomen sit ineffabile, nec seruire ad nomen substantiuo creaturæ cuipiam possit.

Hoc ipsum dicere possumus de dulcissimo nomine Mariæ, quòd nulla creatura eo appellari debeat, eò quòd nulla eius magnitudini respondere queat. Vnde ergò illa licentia, quòd tam multæ mulieres vocentur Mariæ? Non vacat mysterio. Idem Doctor Angelicus in Epist. ad Rom. lect. 1. ait: *Nomina diuinitùs imponuntur quibusdam à principio natiuitatis, ad designandum gratiam, quam à principio*

conse-

consequuntur. Nomina, quibus in baptismo donantur infantes, sunt bona omina gratiarum singularium, quæ conferentur puero, cùm sapere cœperit, aut quandocunque Deo videbitur. Non fit fortuitò, quòd hic Petrus, Paulus alter nominetur. Et quòd tam multæ mulieres vocentur Mariæ, non absq; peculiari prouidentia Dei accidit.

Quantùm ad illud, quòd multæ mulieres dulci nomine Mariæ donentur, dicam quod sciò. Primùm ergò magna felicitas est, & insignis Dei beneuolentia, illius ordinatione obtinuisse nomen Mariæ, quodque cœlum alio, quàm illo nomine vocari noluit eas, quæ Catharinæ Magdalenæ, Luciæ appellari poterant. S. Ioannes Chrysostomus homil. 21. in Gen. plurimùm celebrat nomen Enos filij Seth. Enos idem est, quod *Vir inuocatur Dei*, hoc est, qui Deum primus implorare cæpit. *Vidistis appellationem*, exclamat ille, *diademate clariorem, purpurâ meliorem?* Enos iste, qui ex nomine dicebatur is, qui Deum inuocabat, fuit magnificè à Deo honoratus, quia dignus factus, vt purpuram vestiret regalem, & diadema capite præferret. Quanto ergò maior est illius mulieris felicitas, quam cœlum ita beauit, vt Maria nominetur?

Adeamus mysterium quod hîc est inclusum. Quid est, quòd cùm nomen Dei quià ineffabile est, nulli concedatur, nomen Mariæ multis tribuatur, cùm sit ex eodem genere, & massa velut communi? Maria enim, vt sæpè iam dictum, idem est, quod *Deus ex genere meo*. Vt respondeam huic dubitationi, quæ grauis est, oportet aduertere, Virginem Dominam nostram tam esse sanctam, vt multæ virtutes in ea locum non habeant, quas scilicet non fert illius dignitas, & maiestas. Virtus confitendi peccata, & ea, quam contritionis vocant, & quâ culpas nostras deploramus, non cadunt in Matrem Dei sanctissimam. Nam sicut dulcissimi Nominis illius ea est efficacitas, vt excitet ad omnium virtutum vsum, exercitationemque, ita in ipsa nullius vtilitatis erat, nec enim facere poterat, vt doleret, confiteretur, deploraret sua peccata. Quid ergò remedij inueniemus, quo efficiamus, vt hoc Nomen Mariæ non sit infructuosum, ac velut mutilum, sed trium illarum virtutum vsum efficere possit?

Remedium esto vt quanquàm illud Nomen sit tale, quod mulier nulla mereatur, detur tamen multis, pluresque vocentur Mariæ, vt non maneat frustratum suâ virtute, vt quod efficere non potuit apud Dei Matrem, vt doleret, confiteretur, lugeret suas culpas, quas nullas habuit, hoc apud alias Marias agat. Et propterea illæ, quæ tali appellantur nomine, possunt dicere: Adimplemus ea, quæ desunt Nomini Mariæ in nominibus nostris, velut Paulus Col. 1. aiebat: *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea.* Apud nos enim appellatio, quam ab illa mutuatæ sumus, efficit, vt doleamus, & defleamus, & confiteamur peccata nostra.

Quòd autem dulce illud Nomen Mariæ excitet ad lachrymas de peccatorum recordatione natas, affirmat Idiota lib. 2. de contemplat. Virginis his verbis: *Tanta est Virtus tui Sanctissimi Nominis, ò semper benedicta Virgo Maria, quod mirabiliter emollit, & penetrat duritiam cordis humani.* Nullum tam saxeum pectus, quod illius nominis efficacitas non leniat, & resoluat. Et S. Bonauentura in suo speculo ait: *Beatus Vir, qui diligit nomen tuum, Maria, animam eius irrigabit nomen tuum*, Lachrymarum nempè fluenta in illo excitans, quibus peccata sua diluat. Petrus Blesensis serm. 23. loquens de Maria Dei Matre, & Maria Magdalena inquit: *Illa nobis est exemplum pudicitiæ, ista pænitentiæ.* Si lachrymas, totamq; Magdalenæ pœnitentiæ rationem consideres, videbis nomen Mariæ maiorem exhalasse fragrantiam, & suauitatem in illa, quàm in Dei Matre. Ex his duabus idem Abbas alteram *luminare maius*, *luminare minus* alteram vocat. Luminare maius, siue sol fuit Maria Dei Mater, quia sine originali peccato concepta, ideòque non habuit, quod defleret. Luminare minus, siue Luna quædam fuit Maria Magdalena, quia multos defectus passa, itaque habuit, quæ deploraret.

Verùm respondeamus titulo discursus. Graue supplicium merentur illæ mulieres, quæ cùm vocentur Mariæ, & hoc nomen semper ob oculos habeant, sunt nihilominùs vanæ, & non satis castè, honestèq; viuunt. Nescio cum quo has conferam, nisi cum Iuda, qui cùm vocaretur *confessio*, erat ipsa malitia, siue cum Absalone, qui cùm diceretur *patris pax*, fuit illius perturbatio, aut cum Salomone, qui cùm nominaretur *amabilis Deo*, erat Deo summè exosus, & horrori, quòd mulieres demoreretur alienigenas, siue cum Capharnaum, quæ ciuitas cùm appellaretur *ager pænitentiæ*, tam peruicax erat, & impœnitens, vt Christus eam damnaret, & minas in eam iactaret, cùm apud S. Lucam c. 10. aiebat: *Et tu Capharnaum Vsq; ad cœlum exaltata, Vsq; ad infernum demergeris.* Tantundem eueniet ijs, quæ nomen habent Mariæ, & sunt deditæ vanitatibus, & turpi consuetudini. Nomen quippè illud ab his, quæ illo vocantur, exigit, vt sint recessus studiosæ,

deuotæ, pudicæ, verecundæ, honestæ, quietæ, prolixæ in pauperes, pacis amantes, & pœnitentiæ. Nisi per eiusmodi virtutes respondeant Nomini Mariæ, quo appellantur, merentur vocari charisæ, aut Zaræ, quæ sunt Maurorum nomina, vt Venus Flora, Thais, quæ sunt propudiosarum apud Gentiles fœminarum vocabula, quià mores earum imitantur.

S. Petrus Chrysol. Serm. 146. de Nomine Mariæ sic dicit: *Hoc collegium sanctitatis.* Salmantica omnis bonæ literaturæ emporium quatuor habet Collegia maiora. Si quis in eorum aliquod cooptari velit, qui loco præest, inquirit in eius natales & mores, & vitæ actæ rationem, nec admittit, nisi ex omni parte sit nobilissimus & purissimus, nullam habens ab infidelibus, aut hæreticis, talibusque maioribus maculam.

Quòd ergò S. Petrus Chrysologus Nomen Mariæ vocat *collegium sanctitatis*, id fecit, vt indicaret, illam, quæ nomine Mariæ donatur, debere esse castam, honestam, quietam, ac libenter secum solam morari, & vacare deuotioni. Nisi talis sit, indigna est eo nomine, mereturque exturbari è collegio, vt quæ cùm pura, siue ingenua non sit, Maria tamen vocari velit.

Quando mundus carnis vitijs turpibus totus infectus, contaminatusq; fuit, Moyses Genesios scriptor fœditatem illorum temporum sic narrat: *cùmque vidisset Deus terram esse corruptam*, Gen. 6. 12. S. Ioannes Chrysostomus hom. 24. in Gen. ait: *Non dicit, homines corruptos, quià peccatum facit, vt homines suo nomine vocari non sint digni.* Ergò illa, quæ malè viuit, & vocatur Maria, digna est, cui hoc nomen adimatur, ne probrosæ vitæ, quam ducit, indignitas, & turpitudo in Sacrosanctum illud Nomen redundet, ipsumque despicabile reddat, vt deinceps non habeat reuerentiam, quam meritò deberet. Hoc verò magnam infelicitatem parere illis potest, quæ tam illustre Nomen infamis vitæ suæ turpi consuetudine obscurant. Velut enim locus sacer non adminiculatur illi, qui in eo peccat: Ita cùm eæ, quæ Mariæ vocantur, & malè viuunt, velut in loco sacro delinquant, subuereri debent, ne quando Mariæ Nomen inter extremas vitæ angustias implorabunt, nullum in eo inueniant subsidium, castigante nimirùm cœlo earum improbitatem, & temeritatem, vt nullum ijs veniat à benignissima Dei Matre auxilium, quæ cùm de illius Nominè vocarentur, flagitiosis illud moribus dehonestârunt.

Atque vt videas, quòd indigna est nomine Mariæ, quæ vitam nomine illo indignam viuit, memineris velim, quod S. Lucas, cùm describere conuersionem Magdalenæ instituereт, sic orditur historiam: *Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix*; Lucæ 7. Quænam mulier illa, Euangelista Sancte? Maria Magdalena. Cur ergò non eam de hoc nomine suo exprimis, dicisque, *Ecce Maria Magdalena, quæ erat in ciuitate peccatrix?* Mariæ nomen subticeo (diceret ille, si hîc adesset) quià *erat in ciuitate peccatrix*, adeò tam honorificam appellationem fœdâ suâ consuetudine iam demeruerat. Libet tamen hîc percontari aliquid. Nonné Magdalenam Dei amor iam sauciauerat? Nonné ibat perquisitũ Christum, vt apud illum noxarum suarum condonationem obsecraret? Nonné adhæc doluit, & ingemuit, & lachrymas fudit, deplorauitq; malè acta, & pœnitentiâ se diluit, atque emaculauit, vt digna fieret suo nomine? Quanquàm hæc omnia fecerit, Lucas illi nihilominùs eam appellationem negat, & peccatricem vocat, non Mariam: *Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix.* At si Lucas id nominis tunc illi iustis de causis negauit. Marcus posthæc meritò restituit, quando *valde mane vnâ sabbatorum venerunt ad monumentum Maria Magdalena, & altera Maria*, vt reciperet nomen vetus, quæ veterem sanctæ vitæ rationem iam resumpserat, alteraque effecta erat ab ea, quæ paulò antè fuerat.

§. IV.

Christus Dominus noster, & Sanctissima illius Mater, suis dulcissimis IESV & MARIÆ Nominibus simul benefacere volunt defunctorum animabus.

RVpertus Abbas inquirit, cur Dei Filius, cùm posset suam humanitatem ex terra virgine formare, quemadmodum & Adæ corpus inde finxit, voluerit fieri filius mulieris, & ex pulcherrima Virgine nasci. Causa, ob quam grauissimus hic Doctor putat, Christum non ex terra, sed ex Virgine sumere corpus voluisse, ea est, vt cognationem nobiscum contraheret, efficereturque hominis filius. Verba illius ex lib. 3. in Ioan. sic habent: *Poterat quidem de terra, quam sibi assumeret, plasmare nouum hominem, & esset quidem caro & sanguis, sed non nostra caro & noster sanguis, homo quidem, sed non proximus nobis, homo planè, sed non filius hominis.* Tanti fecit esse filius hominis, vt propterea nasci de Virgine

ginē voluerit. Et Richardus de S. Victore in Psal. 28. ait: *Felix homo est, cùm voluerit* (fortè *potuerit*) *habere filium, non qualemcunque sed Deum.* Fortunatum verè genus humanum, quòd eam beatitatem consecutum est, vt eam adipisceretur filium, qui saluator esset mundi.

Hinc accipiemus, cur quibusdam occasionibus Christus filium hominis seipsum appellauit, vt Matth. 20. cùm dicit: *Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum*, & Matth. 25. *Cùm venerit filius hominis in sede maiestatis suæ.* Quæro. Quis est iste homo, cuius se filium Saluator mundi appellat? Non alius, quàm genus humanum. Cùm enim constet ex nostra carne, & natus sit ex muliere, necessum est esse filium hominis.

Ipsa quoq; cœlorum Regina est filia humani generis, & primogenita omnium mulierum. Quare S. Athanasius in hom. de Deipara sic eam alloquitur: *Audi filia Dauid, & Abraham, inclina aurem tuam*; ac si alijs verbis dixisset: Recordare mundi Regina, quòd Dauidis, & Abrahæ, & consequenter generis humani sis filia, ne obliuiscaris nostri. In eadem homilia dicit idem S. Doctor: *Nostra filia est, quia ex nobis genita est.* Generis humani, & hominum omnium est filia.

Itaq; illud iam certò constitutum habemus, quòd Christus Dominus noster, & sanctissima eius Mater sunt proles generis humani, & propterea hæredes omnium bonorum, quæcunq genus humanum habet, eaque ad vtrumque eorum iure spectat. Id autem, quod Christus hæreditariò accipit à genere humano, est nobilitas sanguinis, adeò necessum est, vt cùm ipse, tum Mater illius hæreditent ab omnibus hominibus ea officia, ad quæ sanguis ille est obligatus. In hanc rem sic ait S. Paulus Heb. 1. *Nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem vniuersorum.* Translatio Syriaca apertior, & aptior rei præsenti, quæ sic habet: *Quem constituit hæredem omnium.*

Probatum dedimus, quòd Christus Dominus noster, illiusque mater sunt hæredes omnium, ob id, quòd sint proles generis humani. Hinc autem nascitur illis obligatio, quâ tenentur exequi testamentum, & subuenire defunctorum parentum animabus. Hoc est esse Filium Redemptorem, meritisq;, & sanguine, & probrorum, crucisque, & mortis tolerantiâ vindicare miseros captiuos, quod officium Mater Dei efficaci intercessione facit, diligentiâque, & solicitudine, quam salutis aliorum cura requirit.

Atque vt videatis, quòd ambobus illis incumbit iuuare animas mortui generis humani, hoc est, benè illis facere, & de loco salutis prouidere, adite legum volumen, in cuius multis locis hoc inuenietis, & inter aliâ l. de hæredibus, & falcidia, §. his igitur ista: *Sancimus eos, qui ab aliquibus scripti sunt hæredes, necessitatem habere quacunq; testator honorans eos disposuerit, omni modo ea complere.* Hæc in lege ciuili. Et in Canonica in cap. *si hæredes 6.* sic dicitur: *Si hæredes iussa testatoris non adimpleuerint, ab Episcopo loci illius omnis res, quæ eis relicta est, Canonicè interdicatur cum fructibus, & cæteris emolumentis, vt vota defuncti adimpleantur.* Itaque hæres obligatur benefacere animabus defunctorum. Christus, & illius mater sunt filij generis humani, consequenter & hæredes, obligantur itaq; supremis hominum satisfacere voluntatibus, & benefacere illorum animabus, & filius quidem redimere illas suâ passione, Mater verò iuuare suâ potentissimâ intercessione.

In hanc rem notauit aliquid Tertullianus, quo nescio an aliud magis ingeniosè excogitatum, in eius libris re[illegible]ias. Annotamentum illud est, quod primo miraculo suo, quo Filius Dei paralytici corpus sanauit, & peccatum condonans animam emundauit, voluit ostendere se filium esse humani generis, & habere in se aliquid, ex quo propenderet ad restituendam corpori suam bonam valetudinem, & expurgandam à culparum labe animam. Verba illius ex lib. 4. cont. Marcionem, c. 10. in fine sic habent: *Deniq; nusquam adhuc professus est se filium hominis, quàm isto loco primùm, in quo primùm peccata dimisit, id est, in quo primùm iudicauit, dum absoluit.* Hic ergò tanquam hæres generis humani iam mortui cæpit benefacere animabus, condonans illis peccata.

Nec satis fuit Christo redemisse, & in locum saluationis trãstulisse animas generis humani peccato mortui, meritisque suis, & passione mortis in libertatem vindicasse: Nec contenta fuit beatissima illius Parens suarum precum suffragijs adminiculo illis fuisse, sed nominum dulcissimorum suorum efficacitate præterea volunt earum salutem ampliùs procurare, innumeraque ab eis pericula depellere.

Rupertus Abbas ait, dulce nomen Iesu instar velocissimi cursoris esse, qui abeat, redeatque, & ad Deum quidem nostras necessitates perferat, inde autem nobis leuamen referat, sicque semper præstò esse, vt ærumnis nostris opituletur, & succurrat inopiæ. Verba illius ex lib. 17. in c. 16. Ioannis ita habent:

habent: *Solum huius Vnigeniti Filij Dei nomen, quod est IESVS CHRISTVS, necessarium vniuersæ generationis est vehiculum, quo in cælum directo per lata cursu consistat ante Patris conspectum, salutemq; de sinu eius, & gratiam sugere valeat remissionis peccatorum.* Et quoniam Christus, cumque illo sanctissima eius Mater semper coràm præsentes assistunt æterno Patri, reliquerunt dulcissima sua IESV & MARIÆ nomina in ore nostro, vt quoties labia ad illa exprimenda aperimus, affectuoseque ea pronuntiamus, ab innumeris periculis liberemur.

S. Germanus in Encomio, quod de Virginis dormitione fecit, sic ait: *Præsidium est nomen Virginis Mariæ*, præsidium, per quod omnes, quicunque deuotè illud appellant, sunt muniti non solùm aduersùs iustitiam Patris, verùm etiam contrà tentationes inimici, & malè agendi occasiones mundi. Subiungit autem hic Sanctus ibidem illud dignum attentâ obseruatione: *Neq; tantùm haustu animæ nostræ respirant, quantùm nominis tui protectione confirmantur.* Nunquam integra nobis quies, nisi quando singularis ergà nomen Mariæ pietas, & illius protectioni nos enixè commendamus. Cùm dubia est nobis alicuius cum extremo spiritu confligentis mors, conspicilia, seu speculum ori eius apponimus, vt videamus, vtrùm etiamnum respiret. Sic ergò peccator immersus vitijs, & in tot sese flagitia ingurgitauerit, vt omnes cùm iudicent mortuum, si tamen ore inuocat nomen Mariæ, habetq; illud in corde, ne illum in mortuis numerato, respirat enim adhuc, & per virtutem illius nominis dabitur ei robur, vt extricet se à suis miserijs, & ad Deum redeat.

Tam vehementer gaudet Filius Dei suum nomen IESV cum dulci nomine MARIÆ coniunctum ire ad benefaciendum omnibus, vt sancto Ignatio Martyri videatur, quòd Regina cœlorum debeat vocari *Mare Iesus*. Congruit hoc cum illo B. Ambrosij dicentis, nomen Mariæ idem esse, quod *Deus ex genere meo.*

§. V.

Nomen IESVS quodammodo vult accipere nouam efficaciam ex nomine MARIÆ Dominæ nostræ, & fuit ille vocatus IESVS Nazarenus, quia Mater Nazarena erat.

TAnti æstimauit Christus suam charissimam matrem, vt & ab ipsius agnomine honorem sibi accersere voluerit. Fuit illa Nazarena, ideòque Saluator mundi voluit dulci suo nomini IESV adiungi appellationem Nazareni; dans illi cum nouo cognomine virtutem nouam. Itaque quia mater fuit Nazarena, voluit etiam filius esse Nazarenus.

Quòd Christus Dominus noster fuerit Nazarenus non professione, aut deuotione, sed imitatione suæ sanctissimæ Matris, satis probatum dabo. Institutum Nazaræorum constat ex c. 6. libri Numerorum. Nazaræi erant quidam sexus alterutrius homines, viri, seu mulieres, qui se Deo consecrabant, vt illi primùm in tabernaculo, postea in templo seruirent. Erat hoc vitæ genus sanctissimum illius temporis, Nazaræus quippè idem est, quod *separatus, congregatus, coronatus, vel floridus.* Secedebant illi ex hominibus, eorumque conuictu profano, vt Dei officiis in tabernaculo, vel templo vacare impensiùs, & maiores in virtute progressus facere possent.

Philo Hebræus in lib. de sacrificiis ait, votum illorum fuisse sanctissimum, & maximum omnium, quæ illâ ætate Deo nuncupabantur. *Magnum hoc votum appellatur*, inquit ille. Et sanctus Cyrillus in l. de adorat. in spiritu vult illorũ votũ fuisse omniũ celeberrimum, quæcunque fiebant Deo. Quòd votis se obligauerint, palàm est ex c. 6. libri Numerorum vbi sic habes: *Cùm fecerint votum magnũ, &c.* Institutum, quod profitebantur, erat, non bibere vinum, quod constat ex eodem capite, viuere sobriè, non tangere mortuos, alere capillamentum in signum obedientiæ, & offerre Deo quædam sacrificia. Hoc ergò illos Nazaræos faciebat, quòd ad nouam in singulos dies perfectionem aspirabant.

Ex his omnibus fit, quòd Christus non potuit esse Nazaræus siue ex professione, siue ex obligatione religionis. Nam si finis instituti Nazaræorum erat contendere ad nouam virtutem, & ad maiorem sanctitatem conniti, repugnabat Christo amplecti eum viuendi morem, quia non potuit maiorem cum tempore comparare virtutem, vel gratiam, qui tantam quantam potuit, ab initio conceptionis suæ habuit, de quo Concilium Constantinopolitanum sic habet: *Si quis dixerit, Christum ex aliqua actione, vel ex aliquo opere melioratum fuisse, anathema sit.* Secundùm hæc ergò non potuit Christus Nazaræus esse professione, sed tantùm imitatione matris, quæ Nazaræa fuerat.

Quòd Regina cœlorum fuerit Nazaræa, id multi Patres affirmant. Sanctus Ioannes Damascenus lib. 4. de fide c. 15. sic ait: *Quemadmodùm vetus Anna sterilis facta, per votum & repromissionem habuit*

Samuelem, hunc in modum & hac per supplicatione, & repromissionem Deo Deiparam offert. Idem dicunt S. Gregorius Nyssenus, Simeon Metaphrastes in orat. de dormit. Virg. & Nicephorus lib. 1. histor. c. 7. S. Vincentius Ferrerius in serm. 1. de Nat. B. Virg. ita inquit: *Postquàm habuit tres annos completos, votum, quod fecerunt, exsoluerunt.* Tam grata fuit Christo Nazaræi appellatio, idque quòd & Mater Nazaræa fuisset, vt dæmones eo nomine illi assentarentur, Nazaræumque eum vocarent, vt ne ab illo torquerentur. Sic enim dicebant apud S. Lucam c. 4. v. 34. *Sine, quid nobis, & tibi, Iesu Nazarene?* Arbitrabantur enim posse illum tali appellatione mitigare, vt non exaggeraret illorum cruciatus. Tamque notorium erat Ierosolymis, quòd eo nomine Saluator mundi plurimùm oblectaretur, & gloriaretur, vt cùm in crucem ageretur, præciperet Pilatus, hunc in vertice ligni constitui titulum: *Iesus Nazarenus rex Iudæorum.*

Respondeamus nunc titulo discursus, ostendamusque Filium Dei, vt maiorem virtutem adderet dulci suo nomini Iesu, adiunxisse ad illud cognomen Nazareni, dictusque sit Iesus Nazarenus.

Plutarchus nonnullibi ait: *Multa nomina per cognomina supprimuntur,* & vilescunt. Multi habent nomina honorifica Petri, Pauli, Ioannis, aliaque, quæ magnam mereantur reuerentiam, sed ex quibusdam infamibus factis tam sordidas habent cognominationes, vt ex iis ipsa etiam nomina fœdentur, & deturpentur. Hoc est, quod vult Plutarchus, cùm ait: *Multa nomina per cognomina supprimuntur.* Non sic euenit Filio Dei, immò verò vt vim, efficacitatemque nouam adiungeret suo nomine Iesu, arripuit cognomen suæ purissimæ matris, vocatusque fuit *Iesus Nazarenus.*

Atque vt intelligatur, quo in pretio sit apud superos nomen Mariæ, & quantâ apud sanctissimam Trinitatem valeat autoritate, dicit San. Anselmus in lib. de excellent. Virg. c. 6. ista: *Velocior est nonnunquam salus inuocato nomine Mariæ, quàm inuocato nomine Domini Iesu Vnici Filii tui.* Et ne quis ea sinistrè acciperet, subiungit statim sanctissimus Doctor: *Et id quidem non ideò fit, quòd ipsa maior, & potentior eo sit,* aut efficacior virtus nominis Mariæ, quàm Iesu, sed quia suprà in cœlis decretum est, vt Christus sit præses iustitiæ, iuxtà illud Ioan. 5. v. 22. *Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio,* & Virgo domina nostra est præses tribunalis misericordiæ, vt omnes, qui infelicé ab altero tribunali expectare causę suę exitũ poterãt, primò illam in consilio misericordiæ tractent, vbi Regina cœlorum præsidet, vt hic mitigata transeat ad iustitiæ tribunal, illiusque iudicium iam fidentiùs subeat.

Hinc arripuit occasionem sanctus Germanus Archiepiscopus Constantinopolitanus in serm. de Zona Virg. vt diceret: *Nullus est, qui saluus fiat, nisi per te, ô Virgo sanctissima, nemo, cui donum concedatur, nisi per te, ô Virgo castissima, nemo, cui conferatur gratia, nisi per te, ô Virgo prudentissima.* Et quemadmodum si quis in aula annuam pensionem ambiens, pro ea impetranda consilium Indiarum de propaganda fide adiret, meritò audiret, longas, & inutiles ambages facere, ad consilium prouentuum regiorum pergere debere: Ita cum Deus statuerit, vt omnia gratiarum beneficia, quæ de cœlo huc deferuntur in terras, & causæ, quæ à terra transmittuntur in cœlos, transeant per manus suæ sanctissimæ matris Virginis dominæ nostræ, si quis rectà ad tribunal Filii eius contenderet, circuitum faceret, dicique ei posset, vt matris tribunal primò adiret.

Et hoc sensu loquitur B. Anselmus, cùm ait: *Velocior est nonnunquam salus memorato nomine Mariæ, quàm inuocato nomine Iesu,* non quia hoc nomine illud sit efficacius, sed quòd Filius Matri deferat, vt suis precibus misericordiam exobsecret his, quos illius iustitia damnare poterat.

Quòd autem Filius suo dulcissimo nomini Iesu adiunxit cognomen Nazareni, arripuitque appellationem Matris, id non ob aliud factum existimo, quàm vt duplo auctiores fiant census: Nam Iesus Nazarenus idem est, quod Iesus Maria; ea verò nomina coniuncta necessum est, vt maiora cælo pendant tributa.

Obseruatu dignum, quòd S. Ambrosius in Ps. 118. de nomine Iesu, deque prouentibus, & commodis, quæ nobis parit, loquitur, dicens: *Christi nomen tibi munificum, tibi fructuosum, tibi tributa dependit, & bona tributa, non pecunia, sed gratia.* Nota in his illa: *Christi nomen tibi munificum,* cumulat enim donis illum, à quo inuocatur, fructusque cælestes piis suis adfert cultoribus.

Magnus Tertullianus in suo Apologetico c. 13. dicit aliquid per ludibrium de Gentilium deastris, quod in nomine Iesu, & Mariæ optimè quadrat: *Dii quò magis tributarii, magis facti, immò quò magis S. magis tributarii?* Quòd per iocũ de illis diis fictitiis affirmatur, id verissimũ est, si de dulcissimis nominibus Iesu, & Mariæ asseras. Hæc namque quia sanctissi-

ſanctiſſima, ſunt etiam maximè tributaria, Ieſuque & Mariæ par eſt pietas, & munificentia, prolixitaſque ergà homines, à quibus religiosè coluntur, & ardenter inuocantur.

§. VI.

Omnia nomina Reginæ complectitur vnum illud MARIÆ, quod eſt ſcrinium cunctorum illius meritorum.

SAnctus Epiphanius in lib. de laud. Virginis ait: *Maria plurium nominum, & multocula effecta eſt.* Vt virtus omnium Dei nominum comprehenditur vnico nomine Ieſu, ita cognomina Virginis de Roſario, de Carmelitis, de Mercede redemptionis captiuorum, de Monte ferrato, de Rupe Franciæ, & quotquot alia eiuſmodi ſunt, per quæ illa ſuccurrit ſuis cultoribus, voluit Deus complecti hoc nomine Mariæ, quod eſt omnibus ſuperius. Iſidorus Peluſiota lib. 3. Epiſt. 408. ait, bona Eccleſiæ nomina eſſe illius ſcrinia, in quibus eiuſdem diuitiæ conſeruentur: *Ornamentorum ſuorum thecas, & arculas habent.* Si quis ſcire vellet, quàm ſit dulce nomen Mariæ, quàm efficax ad conſolandum, quàm potens ad expellendos dæmones, illi ſat fuerit dicere, eſſe ſcrinium, in quo merita illius recondita cuſtodiantur.

Sanctus Paulus ad Philip. 2. ait, Patrem æternum dediſſe Filio ſuo *nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Quomodo vocatur illud nomen, quod eſt ſuper omne nomen? Ieſus. Dicit nunc magnus Tertullianus: *Cuius tamen humilitatis ſtatim egregius fructus adeſt, accepit enim nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Quando Pater æternus vidit Filium ſuum ſe demittere, ac humiliare ad mortem vſque tam ignominioſam, quàm fuit illa crucis, mox decreuit illum remunerare nomine, quod dignitatis ſuæ præſtantiâ omnibus antecelleret, admirabilemque illum Angelis, & hominibus, ſuperis, & inferis redderet, vt *in illo omne genu flecteretur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Ad eundem modum, quando vidit Deus humilitatem illius, futuram, quæ futura erat mater ſua, voluit & illi dare nomen, quod eſſet ſuper omne nomen; hoc eſt Mariæ, cui, cœlum, terra, ipſi adeò inferi reuerentiam deferrét.

Sancta Brigitta lib. 1. reuelat. c. 9. de hac re ſic ait: *Angeli boni audito hoc nomine ſtatim magis appropinquant iuſtis, quibus dati ſunt ad cuſtodiam, & gaudent de profectu eorum.* Velut ad fauum mellis apes aduolant, ſic accurrunt Angeli ad eos, qui nomen Mariæ implorant.

Franciſcus Venetus in harmonia mundi Tom. 2. c. 2. ait: *Velint nolint dæmones genua flectunt, quando nomen Ieſu pronuntiatum eſt.* Tantundem dicit ſanctus Gerardus in lib. de laudibus Virg. his verbis: *Inuitus quoq; infernus inuocato nomine Mariæ vlulat, & procaciſſimi dæmones clamant.* Et ſanctus Bonauentura in ſpeculo ait: *Non ſic timent hoſtes viſibiles caſtrorum aciem copioſam, ſicut aëreæ poteſtates Mariæ vocabulum.* Habet id priuilegii hoc dulce nomen, vt omnes illud reuereantur, & metuant, tam Angeli, quàm dæmones.

Dicit præterea ſanctus Bonauentura illud de Mariæ nomine plenum conſolatione: *Glorioſum, & admirabile eſt nomen tuum, qui illud retinent, non expaueſcent in puncto mortis.* O magnificentiam nominis MARIÆ! Si in illa terribiliſſima mortis hora dulciſſimum iſtud nomen implores, ponere metum omnem potes, dæmones enim fugam capeſſunt, Angeli accurrunt, ſanctiſſima Trinitas ægroto ſuam benignitatem, opemque offert, & ſpem facit, quòd felici morte defungetur. Propterea S. Brigitta vbi ſuprà dicebat: *Omnes dæmones verentur, & timent, quia audientes hoc nomen Mariæ ſtatim relinquunt animam*, quam diu obſederunt, & acriter oppugnárunt.

O quo in pretio nobis omnibus eſſe theſaurus ille debet! Non dimittamus ex ore nec in vita, nec in morte tantæ efficacitatis nomen, in quod Deus virtutem omnium nominum ipſius transfundere voluit. Sanctus Bernardus lib. 1. de nom. Virg. ait: *Sicut Deum ipſum non vno tantùm nomine nominamus, ſed multis, & ſic eius incomprehenſibilitatem enuntiamus, ſic & glorioſam Virginem multis nominibus deſignamus, nunc lucem, nunc ſolem, & huiuſmodi nominare ſolemus, vt ſic ad ſublimitatem eius cognoſcendam veniamus.*

Vt cognitione attingamus magnitudinem huius dominæ, virtutumque illius heroicarum & potentiæ, quâ clientibus ſuis opitulatur, aliquando illam vocamus auroram, quæ ſit prænuntia Solis Chriſti, aliquando lucem, quæ illuminet, aliquando palmam quæ remuneret, aliquando platanum, quæ inumbret, aliquando roſam, quæ ſuarum conſolationum odorem exhalet, aliquando myrrham, quæ malarum conſcientiarum vermes mactet, aliquando balſamum, quia peccati vulnera ſanat. At qui vult nomina illius omnia vocabulo vno complecti, quòd habeat tantam virtutem, quantam omnia, is Mariam appellat.

Dicamus id, quod maximum dici de hoc dulci

Mariæ.

Mariæ nomine poteſt. Quæro, quid cauſæ ſit, quòd cùm hoc nomen tantam habeat confortandi efficacitatem, Chriſtus illo vſus in cruce non fuerit, quando ait: *Mulier ecce filius tuus?* Cur non dixit: *Maria ecce filius tuus?* Si enim ita locutus fuiſſet, habuiſſet forſan illam conſolationem, quam à Patre expectabat.

Non fuit obliuio, quòd nomen Matris proprium prætermiſit, ſed amoris artificium, qui voluit, vt Chriſtus abſque conſolatione, & leuamine aliquo pateretur, quidquid tolerare poterat, & ita ſi omnium Martyrum tormenta, & cruciatus in vnum cumulum congeras, & cum doloribus Chriſti componas, ad acerbitatem eorum peruenire non poſſunt. S. Iob c. 3. dicebat: *Pereat dies in qua natus ſum, & nox, in qua dictum eſt, conceptus eſt homo.* In catena Patrum Græcorum declaratur, quare Iob talia dixerit, quæ per contumeliam, & cum ſtomacho dicta videntur, & tamen animo malo non ſunt prolata. Catena Græca ſic ea verba reddit: *Pereat dies, in qua natus ſum, & nox, in qua dictum eſt, ecce maſculus.* Olympiodorus ſic exponit: *Deteſtatur etiam eos, qui eum marem nuncupárunt, quòd crederet eiuſmodi Dominum fuiſſe, eiq; maris nomina propriè conuenire*, eò quòd ille ſolus maſculo animo atrociores pœnas tulerit, quàm omnes ſimul martyres. Hinc intelligitis, cur Dei Filius, cùm eſſet in cruce, dixit: *Mulier ecce filius tuus*, & non dixit, *Maria*; nimirùm quià huius nominis ſuauitas omnem illi dolorem ademiſſet, nec quidquam pati permiſiſſet.

S. Epiphanius de hoc dulciſſimo Nomine ait: *Nomen Maria interpretatur myrrha maris*, ſcilicet paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Solebant veteres his, qui ad mortem ducebantur, propinare myrrham, quà illorum membra obtorpeſcebant, vt non ſentirent cruciatus. Si ergò Chriſtus in cruce poſitus dixiſſet: *Maria ecce filius tuus*; nomen hoc illi pro hauſtu myrrhæ fuiſſet, ſenſumque omnem doloris ſuſtuliſſet, & pati non ſiuiſſet, ac propterea cùm pati quantum poſſet, vellet, de nomine Matrem non appellauit, vt iſtam ſibi ſubtraheret confortationem.

O dulciſſimum Nomen! O quàm felices, & fortunati, qui te crebrò implorant, cordeque, & ore tuam deguſtant ſuauitatem, & ingentem virtutem! Centies, & millies beatus Venerabilis Pater Magiſter Frater Simon de Roxas, quem pro ſuæ inſignis ſanctitatis merito propediem videbimus albo Sanctorum adſcriptum. Ille fuit Angelicus Magiſter, qui nos omnes docuit iuſtam habere dulciſſimi huius Nominis æſtimationem. Offeratur corona Religioſo Ordini, cui à Sanctiſſima Trinitate, & redemptione captiuorum nomen, is enim primus fuit, qui in aula Regis Catholici Madritenſi publicum feſtum ad honorem dulciſſimi Nominis Mariæ inſtituit, Romæque obtinuit, vt celebrari, & feſtis adiungi cæteris poſſit.

Gloriemur omnes, quotquot piè ergà hoc Nomen afficimur, & ſerui tam potentis Dominæ ſumus, de qua ſapientiſſimus Idiota in tract. de laudib. Virg. c. 5. ait: *Maria doctrix, & magiſtra maris appellatur.* Ad Pharum Ianuenſem, credo alludit, quæ nocte nauigantibus portum oſtendit, quod alibi quoque diximus. Nemo ſperet portum ingredi ſalutis, niſi hanc Dominam curſus ſui habeat directricem.

In c. 3. eiuſdem tractatus dicit idem Idiota: *Tu doctrix fuiſti Doctorum, & magiſtra Apoſtolorum.* Apoſtoli Spiritu Sancto pleni, & ſcientiâ infuſâ ornati, vt faciliorem reperirent excitandæ Eccleſiæ rationem, Mariam elegerunt Magiſtram. Cùm ergò illi, qui è cœlo habebant ſcientias infuſas, non audebant officij ſui opus aggredi abſque inſtitutione Mariæ, ſi tu peccator infelix, qui tenebris ignorantiæ es inuolutus, vis eas euadere, & recto curſu pergere ad gloriam, & beatitudinem, ad quam es conditus, ingredere hanc ſcholam, & Magiſtrâ vtere Mariâ, illa enim tibi obtinebit lucem, perſeuerantiam, ſpiritus feruorem, & gratiam, quæ ſunt pignora gloriæ, *quam mihi, & vobis, &c.*

De Angelo Cuſtode Matris Dei.

Autore Ad. R. P. M. CHRISTOPHORO *de* AVENDANNO *Carmelitâ.*

Interprete F. Ioanne Freylinck Ordinis Prædicatorum.

Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph. Lucæ I.

§. I.

Vtrùm Mater Dei eguerit Angelo Custode, & quis ille tam fortunatus spiritus fuerit?

POno Matrem Dei fuisse absque omni originalis culpæ macula conceptam, simulque natam, & sanctificatam, tantâq; gratiâ à prolixo, & permunifico Deo exornatam, vt peccare, & culpam qualemuis contrahere non posset. Quæritur ergò, vtrùm Maria, quæ sic confirmata in gratia fuit, vt peccare non posset, opus habuerit Angelo Custode, à quo defenderetur, quemadmodum habuerunt omnes posteri Adæ, & quis fuerit ille tam felix Angelus?

Veritas est, quòd absolutè loquendo non indiguit Angelo Custode, quià non potuit deuiare à virtute, & inclinare in quamcunque etiam minimam imperfectionem. Nihilominùs ad maiorem pompam, & magnificentiam assignauit illi cœlum Angelum Custodem. Ita dicit Guilielmus in 2. d. 2. apud Pelbartum to. 2. aurei Rosarij, verbo *Angelus*. Verba illius sic habent: *Virgo etsi sanctificata, habuit Angelum Custodem.*

Sanctus Vincentius in serm. 2. de Natiuit. Virg. ait, quòd cùm hæc Domina suum esse accepisset, momentumque Conceptionis appetijsset, quo Deus creat animam, & infundit corpori, omnes Angeli per reuelationem acceperunt, quòd illa puella esset futura Mater Verbi, celebrâruntque Festum Conceptionis, cœperuntque tunc certatim ambire istam felicitatem, vt esse possent illius Custodes. *Statim Angeli fecerunt Festum Conceptionis Virginis Mariæ*, inquit ille, expectâruntque eam beatitatem vt illam stipare, & tutari possent.

Esse Angelum Custodem Mariæ tam magna, & honorifica res est, vt plurimi hanc vehementer ambirent dignitatem. Sed quis ille fuerit, sub varia Patrum est opinione. Sanctus Odon in expositione Canonis dist. 3. vult, quòd Spiritus Sanctus fuerit Angelus Custos Mariæ, dicitque, *Beatam Virginem custode Spiritu Sancto sine vlla culpa vixisse*. O magnitudinem Dei Matris, quam ipse Spiritus Sanctus custodiendam suscipere voluit!

Neque hoc miror, quià Rupertus Abbas exponens illa verba, *Spiritus Sanctus superueniet in te, &c.* dicit, Spiritui illi æterno nunquàm in sacris literis dari nomen *Sancti*, nisi post Incarnationem. Dicitur alibi *Spiritus Domini*, *Spiritus sapientiæ*, *Spiritus timoris*, sed Spiritum Sanctum ante Incarnationem appellatum in toto vetere Testamento non reperies.

Rupertus ait, tam admirabile fuisse Incarnationis opus, vt Spiritus Sanctus ex illo, & ex eo, quòd Virginis Sponsus fuit, effici Sanctus potuisset, nisi alioquin fuisset. Quid mirum ergò, quòd gauisus fuerit, quòd esset illius Angelus custos?

Sanctus Bernardinus Senensis tom. 1. Concion. art. 1. c. 6. ait, quòd Christus, quamdiu vixit, fuit custos Virginis Matris, & noluisse illam alteri curandam relinquere, & quamuis talium Angelorum officium sit seruire suis clientibus, Christum ipsum tamen lætanter ministrasse suæ Matri, eamque custodisse. Verba illius hæc sunt: *Ille enim, qui filius est, Virgini benedictæ famulabatur in terra, & erat subditus illi.*

Alanus in 4. Cant. ait, multos fuisse Angelos custodes Mariæ, dicens: *Maria hortus conclusus Angelorum custodiâ circumseptus.* Sepimentum ergò, intrà quod tuta latebat Dei Mater, ex multis Angelis conflatum erat.

Et Sanctus Bernardinus Senensis serm. 51. art. 3. ait, sine numero fuisse Angelos custodes Virginis. Verba illius repono: *Affuit Virgini Angelorum protectio, assidebant illi innumerabiles Angelorum multitudines in eius protectione, piè enim creditur, quòd plurimas legiones habuit Angelorum ad custodiam.*

Nec inelegantior est commentatio Gregorij Nicomediensis in orat. de oblat. Deiparæ, vbi sic dicit: *Oportebat non vnum solùm seruire Angelum, sed decies mille millia eam stipare.*

S. Ioannis Chrysostomi hanc in rem sententia grauissima est, quam his verbis expressit: *Infinitam militiam Angelorum ad gloriosissimæ Mariæ obsequium deputatam nullatenùs ambigimus, qui cauerent, ne præparatum æterni Regis hospitium hostes incenderent.* Si regem terrenum, & caducum plurimi semper stipant satellites, & bipenniferi, non quòd offendi à quoquam timeat, sed ad pompam, & luculentiorem suæ magnitudinis ostentationem, quid miremur, quòd Regina cœlorum, ac terræ innumeros ab officijs habuerit spiritus cœlestes?

Sed hæc generatim. Inquiramus nunc, quis ille seorsim, ac singulariter fuerit Angelus Custos Matris Virginis. Franciscus Ximenes lib. 2. vitæ Christi affirmat, Sancto Gregorio Nazianzeno per reuelationem indicatum, quòd Archangelus Michaël fuerit custos Mariæ. Eadem est sententia Sancti Bonauenturæ in speculo c. 3. vbi dicit: *Michaël dux, & princeps militiæ cœlestis cum omnibus spiritibus administratorijs tuis, Virgo, paret præceptis in defen-*

tendis in corpore, & suscipiendis de corpore animabus fidelium.

Verùm dicamus id, quod magis securum est, & certum. Angelus Custos Virginis fuit Archangelus Gabriel, illius tanta fuit felicitas, vt hæc illi præ alijs gratia tam singularis obueniret. Hæc est opinio S. Ildephonsi, & verba illius ista: *Gabrieli Archangelo eius tota causa commissa est.* Alij Angeli, qui stipabant Virginem, velut serui erant, S. Gabriel autem eorum Princeps, qui alijs imperabat, solicitusq; inuigilabat suæ Reginæ officijs, & custodiæ, & quanto studio eam custodiebat, tantò curabat, vt victum ei pararet, & omnia, quæ ad illius quietem faciebant, prouideret.

Idem existimat Sophronius in serm. de Assumpt. Virginis Mariæ, vbi sic habet: *Angelus Gabriel vt cœlestis paranymphus Virginem Mariam intactam custodiuit.* Postquàm hanc ostendimus veritatem, transeamus ad alium discursum.

§ II.

Vtrùm Beatißima Virgo vt habuit custodem Angelum, habuit etiam alium tentatorem?

ABbas Antiochus in homil. 61. ait, à primo conceptionis momento nobis duos dari Angelos, alterum bonum, qui nos custodiat, improbum alium, qui suis tentationibus nos semper exerceat, vt gloriosior sit nostra victoria, & insignitior triumphus. Verba illius sunt eiusmodi: *Duo Angeli dati sunt homini assessores, vnus quidem iustitiæ amantissimus, alter vero malitiæ omnis incentor malignissimus.* Ad hæc alludit S. Paulus 2. Corinth. 12 dicens: *Datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus satanæ, qui me colaphizet.* Maiestati ergò Christi datum est deputare nobis Angelum bonum, qui nos custodiat, & Lucifero concessum est addere nobis malum, qui tentet.

Hæc etiam est doctrina Tertulliani, nempè quòd Lucifer homini cuilibet mox vt conceptus est, assignat dæmonem tentatorem. *Cui hominum non adhærebit spiritus nequam ab ipsa etiam ianua natiuitatis animam aucupabundus?* inquit ille. Sanctus Hieronymus in Psal. 107. de malo dæmone nostro tentatore ait: *Quæstionarius Domini est.*

Res est, quòd Lucifer, cùm dubitaret, vtrùm Christus esset filius Dei, & Maria eius mater, quàprimùm illum vidit editum in lucem, statim illi, velut aliis hominibus, adiunxit dæmonem tentatorem. Id apertè videre licet apud S. Matthæum c. 4. vbi dicitur Christus fuisse tentatus. Et sanctus Lucas ait, quòd diabolus *reliquit* eum *ad tempus*, cùm superare non posset. S. Thomas exponens ea Lucæ verba dicit, reliquisse vsque ad tempus crucis, velut sibi persuasum habens, posse de illo in morte triumphare, quandoquidem id in vita facere non potuisset. Ex quo colligitur, cùm Filius Dei habuerit dæmonem tentatorem, Reginæ cœlorum etiam suum additum.

Quod verò ad tentationes attinet, magnum fuit Christum inter, & illius Matrem discrimen, quia Christus indubitatò tentatus fuit, vt constat ex dictis Euangelistarum, Maria minimè, nam quando illa contriuit caput serpentis in sua conceptione, sic is tunc debilitatus, exanimatusque fuit, vt ampliùs eam tentare ausus non fuerit nec in vita, nec in morte. Vide quæ hac de re dixi in sermone de Conceptione Mariæ.

Hinc accipitur, quo in pretio habenda virtus. Non potuit illius iacturam facere Maria, nihilominùs illi dati fuêre Angeli custodes ad tutelam, ad significandum, tam magnam rem esse virtutem, vt custodiri debeat, tametsi perdi nequeat.

S. Matthæus, ait, quòd post superatas à Christo tentationes, & deuictum dæmonem venerint Angeli, qui eius custodiæ deputati erant, & illi seruierint. S. Petrus Chrysologus in quodam sermone de tentatione ait, quòd tametsi per se solum poterat Christus obtinere victoriam, voluisse nihilominùs totos Angelorum exercitus habere in excubiis, & propugnatores. Indigebatné illorum opitulatione? Non indigebat. Voluit attamen Angelos habere custodes, & satellites, vt indicaret, quanti æstimanda esset virtus, sic vt illa, quæ perdi non potest, custodiatur, ac si eripi, aut perire posset. Verba illius sunt: *Quamuis solus posset obtinere victoriam, propter nos, & propter nostram formidinem adesse iussit tota præsidia de supernis.* Quò enim quis sanctior est, eò diligentiùs debet custodire virtutem. Quando sponsa etiamnum iuuencula erat, & similis tenero pampino, dormientem in sponso lecti sexaginta milites, & satellites stipabant. De qua re sic habes Cant. 3. *En lectulum Salomonis sexaginta ambiunt ex fortissimis Israël, omnes habentes gladios, propter timores nocturnos.* Adultior autem facta, cùm esset adornata virtutibus, & à sponso vinea vocaretur, non sat illi erant tot custodes, sed mille, & ducentos requirebat. Sic enim dicitur Cant. 8. apud S. Ambrosium lib. 1. de Virginibus: *Vinea mea est in conspectu meo, mille Salomoni, & ducentis iis,*

iis, qui seruant fructum eius. In quæ sanctus Doctor sic disserit: *Supra ait, sexaginta potentes in circuitu propaginis eius strictis armatos, & eruditos præliaribus disciplinis, hic mille, & ducentos. Creuit numerus, vbi creuit & fructus, quia quo sanctior quisq; eò munitior.* Quamdiu paruulus pampinus erat, sexaginta custodes illi sat erant, cùm autem vinea facta est, mille, ac ducentos requirebat. Itaque quò maior efficitur virtus, eò diligentiùs custodiri debet, enixiùsque & solicitiùs esse studium conseruandæ etiam illius, quæ perdi non potest, sed extrà omne iacturæ periculum est.

§ III.

De laude Angeli, qui custos Virgini datus, & quòd in sacramento dominicæ incarnationis voluit Deus velut in compendium redigere maiorem partem mysteriorum, quæ habet Ecclesia.

SAnctus Archangelus Gabriel custos Mariæ est quidam ex magnatibus, & supremis aulæ cælestis principibus, Deoque maximè vicinis. S. Bernardus vult esse Seraphinum, & summum eorum, colligitque hoc ex eo, quod Euangelista dicit: *Missus est Angelus Gabriel à Deo*, tanquam immediatè ab illo delegatus. Nisi enim ex summatibus, & Deo proximis fuisset, alius illum Angelus superior illuminâsset, destinâsset, nam in ordine Hierarchiarum à superioribus docentur, & diriguntur inferiores. Cùm ergò Euangelista dicat, Gabrielem à Deo, subaudi immediatè, missum, inde eruitur, fuisse illum supremum, vel ex superioribus quendam Hugo Cardinalis luculentè affirmat: *Gabriel est de supremo ordine.*

Magnitudo illius ex eo æstimari potest, quod dicit S. Petrus Chrysologus, fuisse illum ablegatum ad confirmandam, corroborandamque Mariam, ne sub onere beneficii, quod in illam conferebatur, succumberet, & corrueret, quia reuerà beneficiorum ingentium, & singularium pondus tantum est, vt nemo sit ferendo. Hanc in rem sic ait Tertullianus: *Quorundam bonorum, sicuti & malorum intolerabilis magnitudo est.* Cùm ergò beneficium incarnationis super omnia emineat, non habuisset Virgo vires illud ferendi, & propterea S. Gabriel datus est ei custos, & missus nuntius huius mysterii, vt eā confirmaret, & constabiliret. Verba illius ex serm. 142. talia sunt: *Audistis fragilem nostræ carnis naturam ad portandam totam Deitatis gloriam Angelicâ exhortatione roborari.* O magnitudinem Archangeli Gabrielis, qui electus in illa cœlorum aula fuit, vt excellentissimam creaturarum, præstantissimam hominum, omnibus gratiis ornatissimam, & cumulatissimam corroboraret, & iuuaret in ferendo beneficio illo, quod in visceribus suis, intràque vterum suscceptura erat, hoc est, verbum Dei incarnatum. *Deniq; ne tanto ponderi cælestis fabrica in Maria sub. tilis nostri corporis arena succumberet, & in Virgine totius generis humani portatura fructū virga tenuis frangeretur, fugatura metum vox Angeli mox præcessit, dicens: Ne timeas Maria,* adiungit idem Chrysologus.

Eminentissimo Cardinali Hugoni Gabriel idem est, quod *confortauit me Dominus.* O magnificentiam Archangeli tam potentis, vt confirmare Reginam cœlorum quiuerit, eamque quæ omnes corroborat, confortare! Ille sine dubio est maximus Angelorum omnium, quotquot DEVS creauit, & eorum, quos suprema hierarchia complectitur, perfectissimus, vt cui à Deo concessa virtus confortandi Virginem, & Christum adeò ipsum in horto.

Hic Archangelus Virgini nuntiauit mysterium Incarnationis, quod est Epilogus maximorum mysteriorum, quæcunque habet Ecclesia. Benè hoc expendit Habacuc Propheta c. 3. sui vaticinij, vbi de hoc mysterio loquens sic dicit: *Deus ab Austro veniet, & Sanctus de monte Pharan. Operuit cælos gloria eius, & laudis eius plena est terra. Splendor eius vt lux erit, cornua in manibus eius. Ibi abscondita est fortitudo eius, antè faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius, stetit, & mensus est terram.* Nescio an sit scripturæ locus alius, qui tam benè ponderet mysteria, quæ concurrerunt ad incarnationem, quàm iste, vt propterea plerique Sanctorum Patrum ingenij sui experimentum in eo explicando fecerint.

S. Augustinus lib. 16. contrà Faustum Manichæum, & lib. 18. de Ciuit. Dei, & Sanctus Irenæus lib. 5. aduersùs hæreses c. 23. volunt hunc locum iuxtà literam intelligi de mysterio Incarnationis. & S. Augustinus legit: *Deus ab austro veniet, & nascetur in Bethlehem.* Theodoretus ait, in his verbis inclusum esse mysterium incarnationis, & natiuitatis Filij Dei, Idem affirmat S. Hieronymus in lib. de locis Hebraicis.

Inhæreamus expositioni S. Augustini. Quod noster Vulgatus habet: *Deus ab austro veniet,* id ille sic legit, & exponit: *A meridie, à feruore charitatis veniet, ab austro, id est, contrà aquilonem,* aduer-

sus

sùs dæmonem, vt soluat, & euertat machinationes illius; quia *ab Aquilone pandetur malum*, vt habes Ierem. 1. 14. *Et Sanctus de monte Pharan.* Hic fuit mons vmbrosus, in quem se recepit cum Moyse Deus, vt illi præscriberet modum, quem in electione septuaginta seniorum obseruare deberet, qui fecerunt initium concilij Sanchedrim. De vmbroso ergò monte Pharan Deus descendisse fertur, quia Christus descendit ex pectore æterni Patris, in quo semper latuerat, vt verè de illo dixerit Isaias: *Verè tu es Deus absconditus.*

Pergit Propheta, & ait: *Operuit cœlos gloria eius.* Gloria in sacris literis sæpè accipitur pro gloriosè facto, & illo eximio, ac singulari incarnationis facinore *aperuit* Christus *cœlos* prædestinatorum.

Adiungit mox: *Et laudis eius plena est terra*, propter lætitiam, quam ex incarnatione percepit mundus, & addit: *Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius.* Regnis, & Imperijs solet Scriptura dare nomen cornuum. Dicit ergò Propheta: Assumat Dei Filius carnem ex Virgine, nascaturque ex illa, & *cornua in manibus eius*, cadatque regnum cùm temporale, tum spirituale in manibus eius. Ita exponit S. Hieronymus.

Dicit adhæc Habacuc: *Ante faciem eius ibit mors*, præcedetque Christum, vt mundus videat illum esse Dominum vitæ, qui ad omnipotentiæ suæ manifestationem voluit vt mors præiret. Qui pernicitate pedum valet, eamque vult ostentare, solet illi, quocum cursu certat, permittere, vt se passus tres, aut quatuor præuertat, quod vbi fecit, tunc contentis neruis quàm potest incitatissimè, celerrimè persequitur, præuenitque alterum, & constitutum præmium illi præripiens simul celeritatem suam prodit. Sic Deus voluit vt mors ante faciem eius iret, totq; passus præcedere permisit, quot fuerunt millia annorum à creatione mundi vsque ad incarnationem verbi, cùmque mors tam longè iam præcucurrisset, vt naturæ humanæ prædam abriperet, vita tam perniciter aduolauit, & præuolauit, vt illi prædam è manibus extorqueret.

Concludit Propheta dicens: *Egredietur diabolus ante pedes eius*, velut alijs verbis dixisset: Fiat Deus homo, videatur pedibus humanis calcare terram, sic enim fiet, vt calcibus dæmonem è mundo extrudat. *Stetit & mensus est terram.* Quod ait, *stetit*, idem est, ac si dixisset sedisse. O diuinum incarnationis mysterium! Quia per illud factus est Deus municeps noster, & ciuis terræ nostræ. Noster iam est, non habent Angeli Deum factum Angelum, nos verò habemus Deum factum hominem. Et propterea S. Augustinus vocauit hoc mysterium *gratiam gratiarum.* Benedictus Deus, qui voluit incarnari, vt daret nobis occasionem ipsum perpetuò exaltandi.

§. IV.

Spiritus Sanctus nunquam habuit illum titulum sancti in sacris literis, nisi à momento mysterij Incarnationis, datus autem illi fuit ob id, quòd esset Sponsus Mariæ.

SPiritus Sanctus, tertia summæ Triados persona, semper in seipso Sanctus fuit, non inuenimus tamen in sacris literis hoc nomine fuisse appellatum, nisi quando verbum Dei in vtero Virginis fuit incarnatum, & hic superus Spiritus Mariæ Sponsus fuit, isque fuit, cui hoc incarnationis opus attribueretur. Hæc est obseruatio Ruperti Abbatis in c. 1. Matthæi, & verba, quibus hoc affirmat, digna sunt notatu. Ait ergò, quòd diuinus hic Spiritus priusquam fuisset autor incarnationis, aliquando *Spiritus Domini*, aliquando *Spiritus Dei*, aliquando *Spiritus fortitudinis*, aliquando *Spiritus Sapientiæ* dicebatur, Sanctus autem nonnisi in incarnatione vocatus fuit, quando Angelus dixit: *Spiritus Sanctus superueniet in te* Noluit Deus illum vocari sanctum, nisi hac occasione. Verba Ruperti grauia sunt, & sic habent: *Maximè ex hoc opere, quod in Maria operatus est, claruit hic Spiritus Domini, quòd verè sanctus sit.* Concinnatio humanitatis verbi intrà vterum Virginis Spiritum sanctum, quis, qualisué esset, quàm maximè detexit. Hîc suam charitatem, sapientiamq; enudauit, hîc sanctum se demonstrauit constructione tam admirabilis operis, quod remedium totius mundi futurum erat.

Hinc elucet magnitudo sanctitatis, & puritatis Mariæ, quæ tanta fuit, vt Spiritum illum, tametsi sanctus non fuisset, facere sanctum illa potuisset, quòd Sponsus ipsius esset. O puritatem Mariæ viscerum singularem, quia in se continebant eum, qui Deus erat, virtutemque habebant sanctificandi in ordine ad creaturas Spiritum sanctum, eò quòd Sponsus illius fuit!

Magnus Tertullianus c. 3. libri, quem de baptismo reliquit, obseruauit, quòd Spiritus sanctus, quâ primùm vice mundo se manifestauit, in aquis velut conquieuit. *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, inquit Moyses Gen. 1. & quasi currum ex ea fecit.

Sciscita-

Scifcitari hic possumus, quamobrem Spiritus sanctus plùs illo quàm alio elemento oblectatus fuit? Respondet Magnus Africanus, cætera elementa fuisse inculta, & informia, aquam verò statim ab initio cum omni puritate conditam. *Habet homo imprimis venas aquarum, id est, elementum aquarum, quod diuini Spiritus, sed est gratior quidem cæteris*, inquit ille, moxque addit rationem, dicens, cætera elementa minùs grata fuisse, quia rudia erant, & impolita, Deus autem non amat quiescere nisi in rebus mundis & absolutis, perfectisque.

Et si volumus magis perspicuum fieri, cur Deus aquis tanquam curru vehi, & super eas ferri voluit, inueniemus non ob aliud voluisse, nisi vt experimentum faceret quietis, quam capturus erat in purissimis visceribus Mariæ.

Tria in hanc rē adfert Tertullianus valde notabilia in libro, quem de Christi carne fecit, c. 2. explicans illa verba Dauidis ex Psalm. 21. *Tu es, qui extraxisti me de vtero Matris meæ.* Hæc ille sic legit: *Tu auulsisti me*, statimque subiungit: *Ecce vnum*, velut dixisset. Esto hoc primùm mirandum, quòd verbum Dei tam erat validè adstrictum visceribus Mariæ, vt necessariū esset æterni Patris omnipotente brachio inde euelli, quo in mundum prodiret, ac nasceretur.

Dicit posthæc Psalmista: *In te proiectus sum ex vtero matris meæ*, legit Tertullianus: *super te proiectus sum ex vulua*, & addit: *Ecce alterum*, scilicet mirandum. Quare illud? Quòd Pater æternus Filium suum prodeuntem in lucem mundi suæ diuinitatis gremio excepit. *Super te proiectus sum ex vulua*; tam puris namque è visceribus egrediens non voluit alio sinu excipi, quàm sui æterni Patris, ita vt illius profectio non fuerit alia, quam ex vtero Mariæ ad diuinitatē, & à diuinitate ad vterū Mariæ.

Et propterea merentur diligentem attentionem illa verba Angeli: *Ecce concipies in vtero*, in quibus videntur redundare illa, *in vtero*. Nam si conceptura erat, id aliter quàm in vtero fieri non poterat. At non redundant, verùm Angelus id tanquam rem admirandam loquitur, velut si virgini verbis alijs dixisset: Verbum æternum tua viscera delegit, ex quibus sibi vestem acciperet humanitatis, & qui ab æterno conquieuit in pectore Patris, in illo æternitatis purissimæ sinu, putauit decenter exceptam tuam diuinitatem, quando in hospitium intemerati vteri tui diuertit.

Tertiò ad illud: *Ab vberibus Matris meæ Deus meus es tu*, extemplò adiungit: *Ecce aliud*, id scilicet, quod Christus ex ore Psalmistæ dicit: *Ab vberibus matris meæ Deus meus es tu.* Quæro. Nonné & ante Incarnationis tempus Pater erat talis, hoc est, Deus Christi? Erat. Quando illi ab æterno dedit esse, & adornauit suis attributis, nonné erat Deus illius? Erat. Quid est ergò, quod ait, *ab vberibus matris meæ, Deus meus es tu?* Ita dixit, quia non minoris fecit lactis nutrimentum, quòd suxit ab vberibus Virginis Matris, quàm illud esse, quòd accepit ab æterno Patre. Et à quo momento cæpit ali albo liquore pretiosissimi lactis Mariæ, ab eodem videbatur sibi incepisse esse. *Deus meus es tu ab vberibus Matris meæ.*

Et non solùm spiritus ille diuinus voluit sibi vsurpare titulum sancti ab eo momento, quo factus est Sponsus Mariæ, obumbrans eam in Incarnatione, verùmetiam Filius Dei appellationem magni accepit ex eo, quòd in visceribus eius conceptus fuit. Et hoc est, quod dicebat Angelus: *Hic erit Magnus, & Filius altissimi vocabitur.* Hunc magni titulum vult illi inde aduenisse, quòd in vtero Mariæ conceptus fuit. Id confitetur S. Augustinus lib. 1. de Symbolo ad catechumenos, vbi dicit: *Vnde humilis? Quia homo natus ex hominibus. Vnde excelsus? Quia ex Virgine.* Quòd Christus ex Maria Virgine natus fuit, id illi quendam magnitudinis modum dedit.

Non minùs eleganter loquitur Theodoretus expendens illa verba Psalmi 44. *Myrrha & gutta, & casia à vestimentis tuis.* Hic locus iuxtà literā intelligitur de humanitate Filij Dei quæ fuit vestimentum, quo tecta diuinitas. Dicit illud vestimentum fore odoratum, exhalaturumque fragrantiam tantam, vt homines post se abstraheret, postquàm illum ex visceribus Mariæ extraheret. O Regina cœlorum verè supera, quæ Spiritui diuino titulum sancti (*Spiritus Sanctus superueniet in te*) & Filio Altissimi das titulum magni! *Hic erit magnus!*

Obsignemus hunc discursum excellentiâ Custodis Angeli, qui nuntium Incarnationis attulit Virgini. Non absque singulari mysterio factum, quòd admirabili splendore vestitus aduenit, quando tanti mysterij nuntius Virginem accessit. Andreas Cretensis ait: *Diuinâ illuminatione responsum attulit.* Et S. Hieronymus: *Cum immenso lumine adstitit.* Illustris vestitus non obscurum inditium fuit summæ felicitatis, quam mysterium Incarnationis allaturum erat generi humano, quòdq; omnia in gloriam conuertenda essent. De illo Angelo, qui visus est Dauidi sanguinolentium stringere gladium, non

dicit

dicit Scriptura venisse vestitum splendoribus, sed indutum rabie, & furore, quia veniebat sublatum vitam. Verùm Gabriel cùm veniret nuntiatum, quòd Deus vellet dare vitam omnibus, & vitam gratiæ, non vestiat atrum colorem, sed splendorem gloriæ, vt inde eius magnitudo elucescat.

Guerricus Abbas in quodam sermone de Assumptione Virginis ait, quòd Angelus, qui per omnem vitam fuerat ipsius fidelissimus custos, appetente morte illi dixerit: Non habes quidquam, Domina, quod hoc transitus tui tempore timeas. Ego te omni debitæ seruitutis genere semper fideliter colui, & vt Reginam obseruaui, neque committam, vt curam tui in morte deposuisse videar. Nihil est, quod tibi molestiam adferre poterit, transitus enim tuus erit gloriosus, sicut pura conceptio fuit. Hanc nulla macula fœdauit, ita illam laboris angustia nulla occupabit. Respondit illi Virgo: Nihil horum mihi dubium est, postquàm tu hic ades Angelus meus, qui perquàm solicitus es, & diligens custos. Simus ergò pij ergà hunc tam fortunatum Archangelum Gabrielem, is enim deuotis clientibus suis certò impetrabit gratiam, quæ est pignus gloriæ, *quam mihi & vobis, &c.*

De Rosario Beatissimæ Virginis Matris Dei.

Cuius Festum primâ, quæ in Octobrem incidit, Dominicâ, per vniuersum orbem Ordo Prædicatorum solenni ritu vbique celebratur.



De hoc Sacrosancto, & facili, saluberrimoque, & omni acceptione dignissimo Deum, Beatissimamque illius Parentem orandi, & colendi inuento pluſculos, eosque longulos scribere sermones animus fuit, sed non permisit tempus. Quod ergò per illius angustias possum, dicam paucis. I. Quid sit Rosarium vniuersim. II. Cur Psalterium Marianum dictum. III. Quàm gratus Deo istius Psalterij sonus. IV. Quid Rosarium perpetuum. Et ne sit exsucca narratio, interseram, quàm sint efficaces Rosario-Marianæ apud Deum preces, quàm gratæ illius auribus, quàm vtiles nobis, quàm commodæ alijs, illis maximè, qui dum in confinijs dubiæ æternitatis, & supremo agone constituti sunt, tam vehementer requirunt opitulationis alienæ suffragia, quàm grauia, variaque sunt, in quibus tunc versantur, discrimina. Materiam Nissenus subministrabit, aliundè pauca accersam.

§. I.

Quid sit Rosarium.

Rosarium igitur Beatissimæ Virginis, vt summatim hanc rem perstringam, nihil aliud est, quàm pia, & breuis quædam recensio mysteriorum vitæ Christi præcipuorum, & compendiaria, ac religiosa commemoratio maximorum beneficiorum, quæcunque ille nobis & in Matre Virgine, & in carne, quam ex ea accepit, hoc est, ab eo, quo in mundum aduenit, vsq; dum in cœlos redijt, præstitit. Neque nuda solùm commemoratio mysteriorum præteritorum, & beneficiorum præstitorum, sed coniuncta cum obsecratione, vt per illa mysteria nobis vlteriora concedat beneficia, qui exhibuit priora.

Diuinum est ergò illud Rosarij inuentum, & precationis genus, idque à Spiritu S. primò inspiratum, deinde à Sanctissima Dei Matre excogitatum, vt quæ optimè nouerat, per ipsum posse homines sibi Deum ita demereri, vt facilem, promptumque semper inuenire queant, quoties eius opem per illius modi preces implorent. Dabo id luculentè probatum.

S. Chrysost. ait: *Si Dei beneficia commemoramus, ad maiorem eum beneuolentiam excitabimus.* (PPP. 227. c. 2.) Rosarium, vt dixi, atque vt res certa habet, est commemoratio summaria summorum beneficiorum Dei. Ergò quisquis ad precarios Rosarij calculos Deum rogat, & beneficia eius memorat, ille ad maiorem beneuolentiam eum excitabit, gratiasque ex illo posteriores prioribus ampliores sperare potest.

Dubitas an verum dixerit Chrysostomus, cùm ait, ad maiorem beneuolentiam Deum excitari commemoratione suorum beneficiorum antè exhibitorum?

Testem Chrysostomo accerso Dauidem, qui Psal. 56. aiebat: *Clamabo ad Deum altissimum*, hoc est, magnis vocibus dulcem Dominum, & pium Patrem meum appellabo, ac rogabo, vt inter angustias posito fortis opitulator succurrat. Quid verò habes, Propheta sancte, ex quo tibi certam precum efficacitatem & gratiam, quam suspiras, indubitatò obuenturam

uenturam ſpondeas? *Ad Deum, qui benefecit mihi*, inquit, *clamabo*, velut dixiſſet: Deus benefecit mihi, donis me cumulare cœpit, itaque dum hæc apud illum commemoro, nullus dubitet, quin ex eiuſdem manibus accipiam etiam beneficium, quod prætereà expeto. (Ib. p. 227. c. 1.) Deus nimirùm ſuis beneficijs, quæ erogauit, ad plura conferenda incitatur, aliter ac homines, qui eam non dandi occaſionem prætendere ſolent, quam ſemel dederunt. Ibid. o.

Multa habes in hoc cap. quæ paruo labore transferre ad commendationem precum Roſarianarum poſſis, vt ex ijs efficacitatem illarum euincas.

§ II.

Cur Marianum Pſalterium dictum.

Dicitur autem MARIANVM Roſarium ille peruulgatus, nec vulgaris tamen, ſed ſacerrimus, & quàm celeberrimus, tam ſaluberrimus, precandi mos, quo centies, & quinquagies recitatâ ſalutatione Angelicâ, *Aue Maria &c.* & ad quamlibet decadem interpoſitâ oratione Dominicâ *Pater noſter*, Ieſu Chriſti Domini noſtri totam in terris œconomiam, & pleraque quæ & in Virgine matre ſua, quando in eius vtero de Spiritu S. conceptus fuit, & in carne, quam ex ea ſumpſit, fecit, aut tolerauit, piis meditationibus inter precandum recolunt deuoti tantæ Virginis alumni idque inprimis ad Saluatoris noſtri Dei honorem, dein etiam ad benedictæ in mulieribus, hoc eſt auguſtiſſimæ Parentis eius inſignem gloriam.

Marianum igitur primùm vocatur, quia ſacra iſta precandi formula etiam ad ſingularem commendationem, cultumque Mariæ Virginis *omni laude*, vt Eccleſia canit, *digniſſima* vertitur, idque tam meritò, quàm certò conſtat, quòd eum orandi diuiniſſimũ morem toti mundo ſceleribus adoperto, & in cœno vitiorum vſque ad oculos defixo per S. Dominicum tradidit, vt per illum è limo ſuo euaderet, atque in Dei grauiter offenſi gratiam per ipſiuſmet patrocinium ſe rurſum inſinuaret.

At cur Pſalterium dicitur, quod Marianum Roſarium? Ob eandem credò cauſam, ob quam ſimile nomen ſuo Pſalmorum libro Rex pœnitens dedit. Cùm multa ſint inſtrumenta, ſiue organa muſicorũ, voluit Dauid ſuos Pſalmos à Pſalterio nominare, vt eâ appellatione indicaretur, quòd velut Pſalterium supernè pulſatur, atque inde ſuos habet ſonos, ita de ſuperioribus per Spiritum S. inſpiratam Dei gratiam, quam per omnes penè Pſalmorum verſus variè prædicat, & ſcribi generationi alteri, quæ tunc adhuc ventura erat, hoc eſt nobis, quos Chriſtus *voluntariè genuit verbo veritatis* per Euangeliũ optauit. Ita ferè S. Auguſtinus.

Vitæ Chriſti myſteria potiſſima ſunt quindecim (vt rudibus hoc dicam) ex his quinque ſunt gaudioſa quorum I. Chriſti per Angelum annuntiatio. II. Virginis Matris ad Elizabetham profectio. III. Chriſti Natiuitas in ſtabulo Bethlehemitico. IV. eiuſdem in templo oblatio. V. eiuſdem in templo inuentio: Quinque doloroſa, quorum I. Chriſti in horto agõ, & ſudor ſanguineus. II. eiuſdem ad columnam alligatio, & flagellatio. III. eiuſdem ſpinea coronatio, & illuſio. IV. crucis in Caluarium montem baiulatio. V. in cruce mors, & expiratio: Alia quinque glorioſa, quorum I. Chriſti Reſurrectio. II. eiuſdem Aſcenſio. III. Spiritus S. Deſcenſio. IV. Virginis glorioſæ Aſſumptio. V. eiuſdem in cælis ſuper omnes Angelorum choros exaltatio, & coronatio, in tres quinquagenas diuiduntur, quarum prima à myſteriis gaudioſis, quæ recolit, gaudioſa dicitur, ſecunda à doloroſis, quæ meditatur doloroſa vocatur, tertia à glorioſis, quæ animo recogitat, dum ore precatur, glorioſa nominat.

Roſarii ergò inuẽtores voluerũt illud Pſalterii nomine donare, vt quoties ad illius calculos precarios recogitam⁹, quòd æterni Patris Filius ex illa cælorũ amplitudine intrà obſcuras vteri virginalis anguſtias deſcendit, quòd vix conceptus, quando ad ſanctificandum Ioannem per montana Iudææ non humeris Cherubinorum, ſed alui maternæ lecticâ deportatus, quòd in ſtabulo inter pecora natus, cùm non inueniret locum in diuerſorio inter homines, quorum tamen ſaluti tantùm naſcebatur, & cætera, quæ iam commemorauimus, recurramus grato animo ad eum, qui hæc fecit, demuſque laudem, & gloriã ei, qui ex omnibus beneficiis ſuis, & bonis operibus noſtris ſibi ſolùm vult gloriam, nobis autem vtilitatem omnem, totumque emolumentum relinquit.

De hoc argumento vide in To. 1. Periochã 8. Dominica V. in Quadrageſima pag. 383. vbi multa inuenies, quibus erudire auditores fructuosè poſſis.

Itaque dum ad Quinquagenæ gaudioſæ primam decadem animo occurrit Archangeli ſalutatio, & cum Virgine collocutio, & verbi Dei incarnatio, laudemus incarnatum Deum, quia totum incarnationis beneficium ad nos tantùm deriuatum, *CHRISTVS IESVS enim in hunc mundum* per incarnatio-

nem.

nem *Venit peccatores saluos facere*, 1. ad Timoth. 1. & causam veniendi aliam nullam habuit, inquit S. Prosper. Et hoc suo nomine præferre, & omnibus palàm facere voluit, dictus IESVS, cuius rationem appellationis Angelus exponebat dicens: *Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*, Matth. 1, 21. Quando ad eiusdem gaudiosæ Quinquagenæ decadem secundam animo occurrit, quòd Virgo Mater Elizabetham visitauit, & Ioannem Christus, laudemus Dominum, qui illius suæ visitationis dignatione Ioannem ab originalis culpæ macula mundauit. Quando ad eiusdem Quinquagenæ gaudiosæ decadem tertiam animo occurrit Rex cœlorum in stabulo natus, cantemus cum Angelis: *Gloria in altissimis Deo*, Lucæ 2. 14. quia ille secum pacem nobis attulit, & ad hoc descendit, vt nos, qui in mundo, tanquam putida iumenta in stabulo eramus, in paradisum reduceret. Quando occurrit animo Christus in templo secundùm legem præsentatus, qui suprà legem, & legis Dominus erat, cum Simeone, & Anna religiosis senecionibus benedicamus eum, qui tali exemplo si nihil emolumenti attulisset, documentum tamen saluberrimum tradidit obseruandarum accurratissimè diuinarum legum, quibus ille, quanquam non teneretur, exactissimè obtemperauit. Quando ad eiusdem Quinquagenæ gaudiosæ postremam decadem animo occurrit, quòd Christus in templo in medio Doctorũ à parentibus inuentus redire, & viuere diuculè cùm illis voluit, magnificè laudemus illum quia insigni beneficio nostro annos suprà triginta inter nos commoratus fuit, nimirùm maledictam terram nostram longiturnâ suâ cohabitatione tamdiu sanctificauit, & suâ conuersatione tamdiu beauit, & diuinis suis exemplis tamdiu erudiuit, quousque salutis nostræ negotium in medio terræ Ierosolymis omninò consummaret. Quando ad Quinquagenæ dolorosæ decades animo occurrunt angores Christi in horto cum morte confligentis, & sudor in terram per totum corpus defluentis sanguinis, & columna, cui funibus adstrictus, & flagella, quibus concerptus, & sentes, quibus coronatus, & crux, quâ prægrauatus in Caluariæ montem anhelus ascendit, & mors, quam in cruce oppetiit, benedicamus eum, quia pro nobis factus maledictum tam variorum, & immanium tormentorum impendiis nos à tormentis æternis vindicauit. Quando ad Quinquagenæ tertiæ decades animo occurrit Christi Resurrectio, demus gloriam ei, quia per illam fiet, vt & nos in vitam meliorem resurgamus. Quando occurrit animo Christi in cælos ascensio, demus gloriam ei, quia cùm ille in cælos rediit, tunc nos, *qui & terrâ videbamur indigni, eleuati sumus ad cælum, & cælorum transiuimus fines, & ipsâ regali sede decorati sumus*, vt loquebatur S. Ioannes Chrysostomus. Quando animo occurrit Spiritus S. in terram aduentus, demus gloriam tum illi, tum Christo tam prodigo sui, qui & spiritum suum bonum huc submisit, tanquam non satis putârit, quòd se totum & vsui nostro impenderat, & esui quotidiano, ac semper paratæ alimoniæ in sacrosancto altaris Sacramento reliquerat. Quando animo occurrit, quòd Christus Matrem suam in cœlum efferre, & super omnes Angelorum hierarchias extollere, & incomparabili gloriæ coronâ ornare voluit, demus gloriã Deo, qui aduocatam nostram tam vicinam sibi constituit, vt causas exulum filiorum indulgentissima Mater è proximo semper agat, & quæcunque nobis necessaria procuret. Ad extremum demus gloriam Deo, quòd nobis Rosarium dedit, quia per illud innumera beneficia consequimur, quæ soli hæretici non credunt, experiuntur autem non soli pii, sed persæpè etiam perditi. Quotiescunque aliquod vitæ Christi mysterium animo, deuote orator versas, cùm Rosarii tui precarios calculos manibus tractas, da gloriam semper Deo & gratias age, quia totum mysterii beneficium ex illo in te redundat, qui *tibi rex, tibi Sacerdos, tibi pastor, tibi sacrificium, tibi ouis, tibi agnus; tibi totum factus est, qui te fecit totum*. Ita S. Petrus Chrysologus serm. 23.

Ille est, qui quod olim dixit, demùm postquàm homo factus est, magis dicere potuit: *Ego sum Dominus Deus tuus*, Deut. 5. Premit in his doctus Oleaster in annot. morali illud, *Tuus*, dicens, *sunt aliqui reges, & domini qui sunt sui, alii, qui sunt consanguineorum suorum & amicorum. Deus verò non suus, sed tuus esse voluit. Quid quæso habet Deus, quod non sit tuum? Si cælum habet, tuum est, cuius influentiis viuis. Si terram, eam dedit filiis hominum, si stellas, eas creauit in ministerium cunctis gentibus. Se nascens dedit socium, conuescens in edulium, si moriens in pretium, se regnans dat in præmium. Quidquid deniq; est, & habet, tuum est.* Hæc ferè ille: Ex his concionator rursum per omnia sacri mysteria Rosarii excurrere potest, & populo ostendere quòd omnia, & singula ad vnicam nostram spectant salutem. Atque vt tardioribus digito viam ostendam, expendant in primulo statim mysterio quare conceptus sit vteroVirginis filius Dei, inuenientque non ob aliud, nisi vt conceptos in peccatis fili-

os hominum saluaret. Quod ne cui dubium esse possit statim à conceptione deferri ad Ioannem voluit (quod est secundùm Rosarii mysterium) vt illum ab originali peccato emundaret, quod Origenes affirmat, & multò antè prænuntiauerat Angelus, qui Zachariæ dixit, replendum Spiritu S. eius filium in vtero matris, quod factum est, quando verbum caro factum ad illum venit.

§ III.

Quàm gratus Deo istius Psalterii sonus?

QVàm gratus sit Christo ille Psalterii sonus, & precandi modus, sequentibus expono. Macrobius cùm de loquendi more, qui in symposiis maxime obseruari debeat, dissereret, vt grata sint, suique salem habeant colloquia, ait de ea re cum vno quolibet loquendum, quàm tempus, locus & occasio potissimum requirere videantur. *Locis* enim, *& temporibus aptare sermones*, iucundum accidit conuiuis, inquit ille. Et monet præterea de eo cum quouis disserendum quo ille maximè oblectetur, quòd omnem è conuiuio voluptatem auferat, qui secus faciat? *Qui venatibus gaudet, interrogetur de syluæ ambitu*, inquit ille. *Religiosus si adest, da illi referendi copiam, quibus obseruationibus meruerit auxilia deorum. Si senex præsens est, eum interroga quæ ad illum pertinent.* Militem de armis, de canibus venatorem, agricolam de aratro, de sacrificiis Sacerdotem, senem de vetere historia, & gestis antiquis, & de ea re quemque interroga, quâ illum imprimis oblectari nouisti, sic enim comiter, & blandè oblectabis.

Pulcherrima doctrina, quam Moyses, & Elias in monte Thabor, & splendidissimo illo gloriæ conuiuio accuratè obseruárunt, quando cum Christo loquebantur de *excessu, quem completurus erat in Ierusalem*, Lucæ 9. hoc est, de crucis ignominia, de probro passionis, de mortis acerbitate, vt talium verborum sale condirent epulum, & festæ diei gaudia amplificarent. Quî istud? Quoniam nihil est aliud magis gratum, ac iucundum Christo, quàm de talibus cùm illo disserere. Talis enim tantusque est illius ergà homines amor, vt gloriam interpretetur quascunque pro hominibus accepit iniurias, & quietem putet omnem laborem, quo propter illos delassatus fuit. Id ex eo etiam videas, quòd ea nostri vulgati textus, *dicebant excessum eius*, in textu Græco apud Chrysostomum, & Euthymium sic habent: *dicebant doxan, id est, gloriam eius.* Hæc namque Christi gloria, hæc illius iucundissima festiuitas fuit pati, & mori pro homine, sic vt vehementissimè amet audire narrationem eorum, quæcunq; pro hominibus tolerauit. Quomodo enim de talibus in medio gloriosæ transfigurationis locuti cum illo fuissent Moyses, & Elias, nisi ea cupidissimis auribus illum haurire sciuissent? Tom. 1. p. 149. b.

Quisquis ergò vis Deum tuum oblectare, non dimitte ex manibus Rosarium, non ex ore sacras ad illius piaculares calculos precationes, vt quæ nihil aliud sint, quàm recensio eorum, quæ pro nobis ille fecit, & tolerauit. Loquere sæpè excessum, quem fecit in Nazareth, vbi sibi matrem elegit pauperem tenuis fabri coniugem, qui deligere poterat supremã, & opulentissimã orbis aliquã Imperatricem. Loquere excessum, quẽ fecit, quando intra Matris vterum cùm vix conceptus esset, abijt in montana Iudææ cum festinatione, vt inuiseret Ioannem, ad quem Ioannes originalis noxæ vulnere saucius deportari debuisset, cùm accurrere ipse non posset. Loquere excessum, quem fecit in Bethlehem, quando tulit, quòd non erat sibi locus in diuersorio, qui veniebat, vt etiam tam barbaris hominibus locum pararet in cœlo, & in sordido stabulo inter brutas pecudes nasci tolerauit, qui orbis terrarum Dominus erat, & primùm parentem eorum, à quibus tam rusticè, & inhumanè excludebatur hospitio, in admirabilissimo, & adornatissimo, & rebus omnibus affluentissimo condidit, & reposuit paradiso. Loquere excessum, quem fecit Ierosolymis, quando secundum consuetudinem legis offerri voluit, & redimi, qui nec legi subiectus, nec seruituti alicui fuit addictus. Loquere excessũ, quẽ fecit rursum Ierosolymis, quando è templo descendit cum parentibus domum, & erat subditus illis ipse supremus Deus, & Parens omnium. Loquere excessum quem fecit in horto Gethsemani sanguinem toto corpore sudans, quem fecit in regia Pilati flagella excipiens, & duro ex aculeatis sentibus serto caput suum sacrosanctum conuulnerari ferens, quem fecit in monte Caluariæ probroso crucis ligno clauis ferreis adfigi, mortem denique sibi adferri tolerans, vt nos tam infinito pretio redimeret, qui solâ voluntate, & absque omni passione totum nostrum oblitterare debitum poterat. Qui talia loquentes in monte Thabor libenter audiuit Moysen, & Eliam, is nunc è monte Sancto æternæ gloriæ suæ nos similia loquentes in terris, & inter precandum commemorantes maiore cum voluptate audit.

Quærit Plutarchus Problem. 18. quare virgines

Roma-

Romanæ, cùm Floræ deæ litarent, non adhibuerint myrtum ad cæteros flores coronarum, quibus sub id tempus se redimere solebant. Et respondet, id factum, *quia myrteis virgis à viro cæsa Flora fuit*, ne vulnera illius refricarent, si myrti gestatione flagra olim accepta in memoriam reuocarent. Quàm longè aliter, contraque Christus agit! Instituit ille diuinissimum altaris Sacramentum, vt in dies singulos æterno Patri offeratur. Et quamobrem istud? *Hæc quotiescunq; feceritis, in mei memoriam facietis*, inquit ipse, vt ait Apostolus 1. Cor. 11. Et Paulus ibidem Ibi. 149.c.1 *Quotiescunq; manducabitis panem hunc, & calicem bibetis; mortem Domini annunciabitis*. Ab illo inspiratus, & à Sanctissima eius Matre incitatus S. P. Dominicus Rosario totum orbem Catholicũ impleuit, quod nihil aliud est, quàm continua quædam, & distincta recensio vinculorum, sputorum, colaphorum, flagrorum, spinarum, clauorum, probrorum, quæ ille prò nobis tam lubens excepit, vt perpetuò, & vbiuis terrarum, in Ecclesiis, compitis, domibus publicè, priuatimq; commemorari gaudeat.

Neque propterea solùm totius vitæ, & passionis suæ commemorationem à nobis fieri amat, quòd sibi gloriæ ducat, propter nos in mundo vitam egisse, & plurima mala, vt nobis benè esset, tolerasse, verùm etiam vt recordatione beneficiorũ, quæ nobis præstitit, à malè agendo auocemur, & à peccatis coërceamur. Multa sunt, quæ nos à peccatis, & immunditijs retrahere debent. Ex his vnum, neque postremum est, meminisse nos esse filios Dei, Patris qui sit ipsissima sanctitas, munditieș, puritas. Propendebat olim populus Dei vt in alias improbitates, ita & in superstitiosum Gentilium morem, vt pro eorum consuetudine stigmatibus se profanis notarent, & capitis partem anteriorem, quæ fronti imminet, decaluarent, idque ad indicandum luctum, quo mortuos prosequerentur. Vt ab hac impij moris imitatione eos abstraheret, sic appellabat: *Filij estote, siue estis Domini Dei vestri*; Deuter. 14. 1. Et quid tum, Domine? Ideo *non vos incidetis, nec facietis caluitium super mortuo*; velut apertiùs dixisset: Quia filij estis verbi Dei, non debetis vos deijcere ad facienda opera Gentilium, nec enim decet, vt qui summo Deo patre sunt nati, imitentur mores hominum sordidorum, ac barbarorum. Commodam ex his conficit admonitionem Oleaster in illorum verborum expositione morali, dicens: *Cùm ergò, serue Dei, peccatum aliquod occurrerit faciendum, occurrat* simul *statim, cuius capitis, & cuius corporis sis membrum, & diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem degenere conuersatione redire vilitatem.* Sanctum Thobiam iuniorem validè coërcebat, vt nihil turpe facere vellet, ob id etiam, ne quid indignum parentibus suis ageret, cùm diceret vxori suæ: *Filij sanctorum sumus, & non possumus ita coniungi, sicut Gentes, quæ ignorant Deum.* Tob. 8. 5.

Alterum est, quod moltò validius nos infrenare, & cõtinere ab offensis Dei possit, si animo repetamus beneficia, quæ ab illo tum habemus, tum expectamus præterea. Vidit Moysis ætas falsos Prophetas. Non est hæc sola temporum nostrorum infelicitas. Si nostrates Lutheranos, Caluinistasque de ijs submouendis consuluisset quis, Dei verbo debellandos dixissent, vim talibus adferre crudelitatem clamassent. Sed occidi illos Deus iussit, vt videas, quàm rectè agant, qui talium vatum malorum pessimos pullos hæreticos ferro, flammâque extinguunt. Sed quibus modis populum inflammare voluit, vt talibus pestibus manus afferrent violentas? Hoc solo, quòd illi refricuit memoriam beneficij ab illo Deo accepti, à quo falsi isti vates auocare volebant, dicens: *Propheta ille interficietur, quia locutus est vt vos auerteret à Domino Deo vestro*, qui quàm vario prodigio, tam ingenti, & multiplici beneficio *eduxit vos de terra Ægypti*, Deuter. 13. 5. Acutè submonet in ista Oleaster in morali: *Pulchrè hic docet Sanctus Moyses, quibus modis omnem expellas tentationem, quæ te à Deo tuo auertere conatur, nempè reducendo ad memoriam omnia beneficia Dei.* Tali medio vsus est & castissimus Ioseph (commonente id ibidem Oleastro) qui cùm à salace fœmina, ad flagitium inuitaretur, mox animo pertractare omnia domini sui in se beneficia cæpit, eaque impudicæ mulieri opposuit, vt ijs sese ab illa defenderet, dicens: *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat quid habeat in domo sua, nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es, quomodo ergò possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Gens. 39. 8. 9.

S. Ambrosio apud Reuerendissimum Hieronymum de la Nuza homil. 41. Num. 33. expendenti illud, *Quomodo possum*, videtur Ioseph ita fuisse obligatus, & obligatus domini sui beneficijs, & sic omni offendendi illum facultate destitutus, vt irrogare ei iniuriam qualemcunque non posset. Quantò magis ergò nos, quoties hinc nobis mysteria vitæ Christi ad Rosarij calculos meditantibus occurrunt benefi-

beneficia, quæ nobis contulit, & mala, quæ pro nobis pertulit, & bona, quæ præterea promisit; atq; inde caro, dæmon, mundus ad illius offensas incitant, succlamare debemus: *Quomodo possumus, &c.* quia quidquid secum è cœlo detulit, quando in vtero Virginis Matris incarnatus fuit, nobis dedit, & quidquid mali tolerauit, à quo in horto captus fuit, pro nobis pertulit, & quidquid boni in cœlis repositum habet, id nobis post resurrectionem conferendum seruat? Quomodo possumus offendere eum, qui tot cruciatibus suis tantam nobis gloriam comparauit, tantâque paupertate suâ nobis tantam opulentiam, & morte tam amarâ vitam nobis tam gloriosam, & gaudiosam contulit?

Non sine causa ergò funiculis inseruntur calculi precarij, ad quos inter orandum animo percurrimus beneficia Christi pleraque, & præcipua, quæ ille nobis in terris præstitit, & post ascensum suum è cœlis submisit. Quid mysterij est in ijs funiculis? Illud, quantum ego de illa re assequor, quòd beneficia illa Christi validi rudentes sunt, qui cupiditatum nostrarum nauigia, quibus ad peccandum vehimur, retinere à cursu suo possint, si modò alligare illis beneficijs anchoras cogitationum nostrarum, & adfigere memoriam velimus.

Dauidem aliquando incessit cupiditas aquæ, quæ erat in cisterna iuxtà Bethlehem, & ab hostilibus copijs obsidebatur. Innotuit desiderium regis quibusdam illius satillitibus, ex quibus tres robustissimorum fortissimi, postposito omni vitæ discrimine, per aduersam aciem penetrantes attulerunt concupitam vehementer aquam. Vt illam vidit Dauid, & quædam secum animo reputauit, *noluit bibere, sed libauit eam Domino*, 2. Reg. 23. 16. Theodoretus q. 35. in 2. Reg. ait: *Piâ consideratione superauit cupiditatem.* Quânam illâ? Hac, quam talibus verbis expressit: *Num sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, & animarum periculum bibam?* ibid. v. 17.

Reuerendissimus Nuza homil. 42. num. 15. monet premere illud, *Hominum istorum*, vt cui magna subsit emphasis. Non dixit, *num bibam sanguinem hominum, sed hominum istorum*, hominum tam nobilium ex suo genere, quàm strenuorum ex periculo, quod pro me adierunt, hominum, qui mihi varia sæpè in bello, eaque insignita officia præstiterunt. Hæc est pia consideratio, quâ superauit suam cupiditatem, vt Domino libaret non tam aquam vehementissimè expetitam, quàm ipsam appetentiam.

Hoc fecit Dauid illâ incitatus consideratione, cùm isti homines non fudissent sanguinem, sed fundendi periculum solùm adijssent, quid fecisset, si reapse fudissent, & in aqua illa sanguinem eorum vidisset? Quomodo ergò pius Christianus, qui inter dolorosorum Rosarij mysteriorum considerationem recogitat, quod Christus non fundendi sanguinis discrimen subijt, sed illum vi magnâ fudit non solùm in horto, sed & cùm flagellatus, & cùm sentibus coronatus, & cùm clauis fixus, & cùm lanceâ vulneratus fuit, non multò magis dicat: Num sanguinem hominis istius bibam, hominis, qui est meus Deus, meus Dominus, meus pater, meus frater, meus amicus, qui pro me sua omnia erogauit? Quomodo piâ tali consideratione, non multò faciliùs omnem suam cupiditatem superabit?

§. IV.

Quid sit Rosarium perpetuum, & quis illius vsus.

ROsarium perpetuum est appendix, & additamentum superioris Rosarij, & accommodatissimum promouendæ tum pietatis ergà Deum, tum charitatis ergà proximos inuentum, quod paucis abhinc annis inspiratus à Deo quidam Ordinis Prædicatorij vir præmodùm religiosus apud Italos, vix in vsum publicum proferre cœpit, quando mirâ celeritate per totum latè terrarum orbem percrebuit, & incredibili auiditate, ac plausu Romæ, & vbiuis gentium acceptatum, & cum ingenti cultus Dei incremento, animarumque insigni fructu, & vtilitate passim frequentatum fuit.

Inuentum tale est. Cùm ibi maiore auxiliorum vi succurrendum sit, vbi grauiores necessitates opem enixiùs inclamant, quod vide plurimis argumentis demonstratum à Nisseno primùm Tomo 2. pag. 482. o. deinde PPP. pag. 278. o. denique PP2. pag. 651. o.

Nulla verò sit tanta necessitas, tamq; anceps fortuna, quàm eorum, qui in supremo cum morte conflictu positi de beata æternitate periclitantur, & plerique eorum vel præsentium dolorum magnitudine, vel peccatorum præteritorum tristi recordatione, vel dubio vitæ exitu, vel impendentis iudicij metu concussi aliênarum manuum adminicula inter illas malorum tempestates tam vehementer requirant, quàm non posse suis enatare vident; idcircò vir religiosus, quem dixi, annum in horas dispertijt, horas verò tam diurnas, quàm nocturnas per viros, ac mulieres cuiusuis status, & conditionis ità distri-

buit,

buit, vt nulla sit, quâ non Deus, & Beatissima illius Parens plures habeant varijs in locis supplices pro ijs, qui cùm pro se ipsis orare vix, ac ne vix quidem possint, aliorum obsecrationibus magis opus habent.

Nunc quanta sit religiosæ, & piæ istius inuentionis vtilitas, id sequentibus expono.

Obseruauit nonnemo, quòd tametsi inclytus Patriarcha Iacob omnium bonorum operum vsui, & exercitationi impensè addictus esset, & orationis, contemplationisque studium vehementer amaret, & studiosè coleret, frequentaretque, nunquàm tamen solicitiùs peruigilauit, nunquàm ardentiore contentione, & curâ enixiore Deo se commendauit, quàm tunc, cùm à Labano ad patriam tendens transiturus erat Iordanem. Tunc enim, vt sacer textus indicat, totam noctem duxit insomnem, & fatigato diurnis profectionis laboribus corpori consuetum, ac debitum negauit alleuamentum. *Ex hac mystica actione accipimus, vt discamus, cùm ad Iordanem, id est, ad mortem appropinquamus, fortiùs orare, & inuigilare, ne tunc impediamur à diabolo per omnes vias insidiante. Tunc enim vel maximè opus habemus Dei auxilio, etiamsi totâ vitâ in vijs Domini incessimus.*

Ita doctus Ioannes Ferus. Iordanis idem est, quod *fluuius iudicij*. Iordanem ergò transimus, cùm per amaræ mortis procellosas aquas ad terribile iudicium, & supremum Domini nostri tribunal pergimus. Quod cùm facimus, tunc preces precibus iungere, tunc iterare obsecrationes, & inter protractiores vigilias Deum obsecrare debemus, vt tanquàm amantissimus pater suo nos auxilio iuuet, & præsidio. Quanquàm enim diuinæ protectionis eius valido semper indigeamus scuto, sed tunc vel maximè, quando in supremo supremæ horæ versamur discrimine, tunc enim crudelis inimicus noster magis efferatur, tunc nos acriùs, atrociùsq; insectatur, & ferociùs oppugnat (de quo vide PP2. 537. o.) & quod caput est, error, qui tunc committitur, inemendabilis est, & quod sub id tempus rectè, ac prudenter agitur, id tam opportunâ occasione agitur, vt effectus illius totâ Dei perdurent æternitate, & morte bonâ bonum hominis Christiani omne nititur. PP2. 524. c. 1.

Verùm cùm illi, qui proximè Iordanem, siue fluuium iudicij sunt, & vicini supremo tribunali Christi, sæpè vel ex lethargo vigilare nequeant, vel ex acrimonia intolerabilium corporis dolorum, vel ex pusillanimitate spiritus, & tempestate tentationum mali dæmonis, vel ex timore iudicij illius verè tremendi, vel ex admorsione malæ conscientiæ, alijsque talibus tam multis rebus orare non possint, quantùm debet mundus illi, qui Rosarium perpetuum à Deo inspiratus excogitauit, illiusque preces inter Sodales Archifraternitatis Rosario-Marianæ ita distribuit, vt nulla sit in toto anno diei, noctisq; hora, quâ non plurimi per totum latè orbem terrarum Deum, illiusque magnam Parentem supplices obsecrent pro his, qui in supremo vitæ articulo, & mortis confinijs positi vel sui sunt prorsùm immemores, & impotes, vel præ dolorum acerbitate rogare pro se ipsi non possunt! Quantùm verò mortui debent ijs, quorum pijs obsecrationibus adiuti transierunt feliciter Iordanem, & fluuium iudicij, & facilem inuenerunt Iudicem, & diras Purgatorij vel non diu tolerârunt, vel prorsùm euaserunt pœnas? Quantùm porrò, quàmque insignitum misericordiæ opus est, illis succurrere, quos proprii sæpè sensus destituunt, vt seipsos iuuare vix, aut ne vix quidem possint?

A simili rem declaro. Contigit scapham hominibus onustam mergi. Fortuitò, sed peropportunè nauis altera præteribat, quæ hi funibus eiectis, illi porrectis manibus miseros fluctuabundos ex aquis simul, & mortis periculo eruebant. Omnes nauigiis per mundi huius mare circumferimur, & ad stationem vitæ alterius tendimus. Sed eorum, qui in mortis agone sunt positi, nauicula mergitur, aliorum præterit, quibus sua bona valetudo constat.

Qui ex hac prætereunte naui funem Rosarij gaudiosi, dolorosi, gloriosi triplicem eijciunt, & ardentes ad Deum preces emittunt, & supplices illi manus tendunt, vt moribundos à morte æterna seruet, & vitam illorum perpetuam sospitet, næ illi oppidò maius, tantoque excellentius beneficium ijs præstant, quàm alij his, quæ ex aquis eximunt, quantò vitæ temporali sempiterna præstat, & horribilior est mors æterna, quàm horaria.

Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet, dicebat S. Augustinus. Tantum valuit vnius hominis apud Deum oratio, vt tam sæuo Ecclesiæ persecutori gratiam conuersionis non mereretur quidem (primam enim gratiam mereri alteri nemo potest) impetraret tamen.

Et tam multi, quàm passim per totum mundum Christianum pro agonizantibus noctu, atque interdiu orant, non possint conuersionem multorum non tam malorum, vt Saulus erat, precar

re, vt liceat similiter dicere: Cœlum multos beatos non haberet, nisi pro eis Ecclesia militans, ea potissimùm, quæ Rosario-Marianum sodalitium facit, orasset.

Rex pœnitens cùm secum reputaret beneficia, quæ de liberalibus Dei manibus acceperat, hoc vnum in multis memorat Psal. 29. v. 4. *Domine eduxisti ab inferno animam meam.* Quid hoc audio! Ergoné anima Dauidis fuit aliquando in inferno, atque inde rursum eruta? Et vbi tritum illud: *In inferno nulla est redemptio?* Et quis fuit vnquam visus reuersus ab inferis? S. Thomas ait, hoc ad literam de Dauide intelligi non posse, vt qui non fuerit ex inferno eductus, quando hunc Psalmum fecit, sed metaphoricè dici, ab inferno, hoc est, à mortali periculo erutum. Lyranus vult, ideò dixisse, ab inferno eductam animam suam, quia propter adulterium, & homicidium dignus fuerit gehennâ, à qua tamen Dei misericordiâ saluatus fuerit. Similia sunt illa ex Ps. 85. *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*; addit Hugo: *Vbi sunt animæ damnatorum.* Sed quando iterùm ex illo damnatorū ergastulo Dauid fuit erutus? Tunc, cùm à peccatis seruatus, quæ sunt causa illius in infernum lapsus. Ita ferè Hugo Cardinalis. Sic diu antè exposuerat S. Augustinus, qui ait, ea verba esse vocem alicuius hominis, qui liberatus sit à talibus peccatis, per quæ potuisset deduci ad tormenta inferni inferioris in quibus diues epulo querulas ad Abraham de suis linguæ cruciatibus dabat voces. Dilucidat hoc magnus Doctor talibus exemplis: *Trudendus erat aliquis ob malam causam in carcerem, aut ob furtum in patibulum rapiendus. Venit alius & defendit. Quid dicit defensus? Eruisti animam meam è carcere, à suspendio.*

Itaque si Dauid dicere potuit, se à penitissima gehenna erutum fuisse, quia vel conseruatus, vel liberatus fuit à flagitiis, ob quæ merebatur mitti in gehennam: Cur ille, cui pius Rosarii perpetui Sodalis ardentibus precibus suis à Deo impetrauit, vt inter extremos illos mortis angores vel non desperaret, vel seriâ pœnitudine peccata malè acta vitæ damnaret, ob quæ alioquin damnatus fuisset, non possit dicere deuoto patrono suo, *Eduxisti ab inferno animam meam, eruisti animam meam ex inferno inferiori*, qui nisi opem per suas orationes tulisses, in inferni inferioris carcerem detrusus fuissem?

Ergò Rosarii perpetui preces cupidissimè, ac deuotissimè fundere debemus, vel vt animam vnam aliquando siue ab extremo vitæ æternæ perdendæ periculo, vel à morte peccati, vel à pœnis Purgatorii nostrarum orationum suffragiis seruatam lucremur. Idque tum quia hoc est officium veri Christiani, tum *quia sæpe vna anima, quàm lucrati fuerimus, potest innumerabilium peccatorum pondus abolere, animaq; redimendæ fieri pretium in illo die* (ita S. Chrysostomus in orat. 5. aduersùs Iudæos ad finem) tum etiam (quod hinc sequitur) quia nemo commodum propriū vllo artificio magis industriè, faciliùsque curare potest, quàm si vtilitati studeat alienæ, in domo enim Dei sibi emolumenta parat, qui aliis bona accumulat. PP2. 511. o. Quàm in rem vide etiam Tom. 1. Periochâ 2. feriæ V. post Cineres 27. o.

De illis quatuor animalibus mysticis, quæ Ezechieli ostensa fuerunt, ait ille c. 1. *Duæ pennæ singulorum iungebantur, & duæ tegebant corpora eorum.* Translatio horum extremorum verborum, quam S. Gregorius secutus fuit, sic habet: *Vnum quodq; duabus alis velabat corpus suum.* Itaque iuxta has versiones vtcunque differentes eisdem alis tegebant & sua corpora, & obnubebant aliena. Quomodo hoc? Respondet beatissimus Pontifex hom. l. 7. in Ezechielem. *Ipsæ erant pennæ alterius ad alterum, & ipsæ, quæ eorum corpora cooperiebant. Quod per figuram benè accipitur, quia illæ nos virtutes apud Omnipotentem Deum protegunt, quas ex charitate proximis impartimur, atque coniungimus.* Ibid. 512. c. 2.

Quoties ergò charitatis nostræ expansis alis cœlum pro moribundorum necessitatibus supplices petimus, eosque precibus nostris affectuosè protegimus, etiam nobis ad similium angustiarum æstum vmbraculum præparamus, certòque nobis polliceri possumus, quòd sicut nos orationum nostrarum pennis miserias periclitabundorum eiusmodi hominum ex dilectione inumbramus, ita alii pari officio, & affectu nobis in simili discrimine constitutis subuenient.

S. Gregorius Nyssenus dicebat: *Calamitate affectum vt aurum amplectere, infirmam pauperis valetudinem ita fore, vt in ea sanitatem tuam, & salutem vxoris, & filiorum, & seruorum, & totius deniq; familiæ sitam putes.* Ibid. c. 2. 513. Cuius tanta calamitas, quanta illius, qui in confiniis æternitatis beatæ, & miseræ, cælestis, & infernalis positus nescit à qua excipietur? Quæ tam infirma pauperis valetudo, quàm eius, quem sua ægritudo ad mortem vrget, ac latet, orcusné illum, an cœlum videbit hospitem, immò ciuem, eumque sempiternum?

rum? Eiusmodi calamitosos vt aurum amplectere, eiusmodi pauperum infirmam valetudinem fore, eiusmodi hominum extremo periculo eleemosy- nis tum corporalibus, tum spiritualibus, & quibus modis potes, succurre, & opitulare, sic vt in eo charitatis officio tuam, tuorumque incolumitatem, & salutem collocatam putes.

Habet Lucifer suas congregationes regnorum Aquilonis (de quibus Ierem. 1. 15.) hoc est, *malignorum spirituum multitudines*, vt exponit S. Petrus Damianus, *qui solium suum in introitu portarum Ierusalem vnusquisque ponunt, cùm egredientem de corpore infelicem animam circumpositâ, ne libera prodeat, obsidione custodiunt*. PP 2. 538. c. 1.

Quidni ergò Deus etiam habeat suas Rosario Marianas congregationes deuotorum vtriusque sexus hominum, qui animam è gurgustio carnis egressuram suarum precum præsidiis, & velut circumpositâ obsidione custodiant, vt libera prodeat, & euadat?

In vetere lege in altari semper ardebat ignis, quē nutriebat Sacerdos mane per singulos dies subiiciens ligna. Et lex holocausti erat, vt cremaretur in altari totâ nocte. Leuit. 6. Iugis in altari illo debebat esse ignis, quia iuge erat sacrificium, inquit Oleaster. Ara nostra cor nostrum, ignis, quem in illo vult semper arderre Deus, charitas. Et ille quidem materiatus ignis nutriebatur lignis, nostrum autem fouent opera bona, & flatus, siue suspiria. Qui ergò ab illo carnalium holocaustorum onere singulari Dei munere soluti sumus, & nemini quidquam debemus, nisi vt diligamus inuicem, foueamus strenuè charitatis, quâ mutuò iuuare debemus, ignem officiis orationum, Missarum, gemituum, suspiriorum, offeramusque diligenter, ac libenter holocausta labiorum pro fratribus nostris, qui in confiniis æternitatis positi nesciunt quam in partem sors illorum cadet, à dextranè, an à læua supremi Iudicis olim statuentur. Et quia eiusmodi sacrificia vnusquilibet nostrûm iugiter, continuèque offerre non potest, excipiamus alter alterum, & per vices hunc ignem nutrientes alternatim succurramus periclitabundorum necessitatibus, vt sicut nulla ēst hora, quâ non plurimi hinc inde grauiter laborent, opemque nostram ardenter implorent, ita & nulla sit, quâ non aliqui nostrûm amanter eis subueniant, vt vel sic dum ignem charitatis erga miseros fratres nostros iugiter fouemus, perpetuum Deo offeramus sacrificium.

Inter illas veteres leges etiam quædam sic habe-

bat Exodi 25. 30. *Pônes super mensam panes propositionis in conspectu meo semper*. Erant illi panes duo-
decim, tot, quot tribus filiorum Israël, vocanturq;
ab Hebræis panes facierum quia Deus ante oculos,
& faciem suam, vt aiunt eos semper habere volebat.
*Sed quid tibi, & panibus, Domine? Nunquid man-
ducabis carnes taurorum, aut panibus facierum ve-
sceris?* Ita Dominum Oleaster appellat, additque,
ob id voluisse panem semper coram se habere, vt in-
telligeremus, illum indigentiæ nostræ semper me-
morem esse, & facere, quod piæ matres solent, quæ
semper frustra panis coram se habent, vt paruulis
suis alimoniam crebrò exposcentibus subueniant.

At si tunc amauit Deus ob oculos habere panes,
qui ipsum & inopiæ, atque indigentiæ nostræ velut
moneret, & alimoniæ nostræ se offerrent, non po-
test non gratissimum habere, si frequenter intret in
conspectu eius oratio nostra, necessitatesque tum
proprias, tum alienas, eorum inprimis, qui in su-
premo discrimine versantur, illi exponat, eisque
ferre opem roget, & obsecret. Nam cùm expectet
Dominus, vt misereatur nostri, (quod est apud Isa-
iam 30. 18.) quomodo non lætantissimè videat a-
scendentem ad se orationem nostram, vt descendat
super nos misericordia eius, vt subueniat his, qui
tribulato sunt corde, & saluet de necessitatibus a-
nimas eorum, qui in extremo vitæ præsentis termi-
no positi de vita periclitantur æterna?

Denique quamdiu vetus illud tabernaculum con-
secrabatur, nullus abibat dies, quo non illarum du-
odecim tribuum Princeps aliquis sua tabernaculo
dona, altari holocausta offerret. Quo mysterio? Il-
lo, inquit rursum Oleaster in annot. morali in c. 7.
Numerorum, quòd *non debent templa Dei, aut alta-
ria vacua esse, sed plena, vt videlicet semper in Eccle-
sia sit aliquis, qui oret Deum, & in altari munera
offerat, quibus placetur Deus, & propitietur nobis*.
Inque sacrificium in cæna Dominica à Christo in-
stitutum offertur hactenus in altari, vbi illud Euan-
gelicorum, Reformatorumque ministri, Antichristi
præcursores non sustulerunt, & in omni loco Ca-
tholico sacrificatur nomini Dei oblatio munda, de
qua Malach. 1. 11. vt nunquam sint vacua altaria.
Et ne aliquando sint absque hominibus supplicibus
templa, id religiosi ascetæ faciunt, qui septies in
die, idque à crepera in creperam laudem dicunt no-
mini Domini, & alij quidem primâ, alij secundâ,
alij tertiâ, alij quartâ vigiliâ noctis surgunt ad con-
fitendum eidem nomini. At hi communem Deum
nomine Ecclesiæ communi pro communibus neces-


ſitatibus interpellant: Nouiſſimè autem diebus iſtis excitauit Deus Spiritum filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum Sodalium Roſarij Matris Virginis, qui priuatas agonizantium ærumnas ipſi lachrymabiliter exponant, proque earum leuamine & ſacras in altari hoſtias, & iuges in Eccleſia preces offerant. *Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & miſericordiam ſuam à me,* dicebat Sanctus Dauid Pſalm. 65.19. tanquam promptâ ſemper expertus miſericordiam Dei, quamdiu crebram deuotè coluit orationem, vt ferè exponit Beatus Auguſtinus. Benedictus ergò Deus, qui hanc nobis ſuggeſſit continuam Roſarij perpetui orationem, quia id nobis ingentem meritò fiduciam præbet, quod non amouebit miſericordiam ſuam ab ijs, pro quibus obſecramus, ſed viuificabit eos, & conſeruabit eos, & verſabit omne ſtratum in infirmitatibus eorum, vt miteſcant illorum labores, & dolores, & non tradet eos in manus inimicorum eorum, ſed educet in refrigerium, facietque vt oratio noſtra in ſinum noſtrum conuertatur, & quod illis precamur, idem nobis obueniat, quod eſt gloria cœleſtis, *quam mihi, & vobis concedat Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus,* Amen.

FINIS.

Benedicta ſit Sancta, & indiuidua Trinitas, quià fecit, & facit, & faciet nobiſcum miſericordiam ſuam, Amen.

Si quid his Niſſeni Tomis per meam ſiue ignorantiam, ſiue oſcitantiam incidit, quod non cum vero Eccleſiæ Catholicæ ſenſu quàm maximè cohæreat, id tanquàm ab illo erroris ſpiritu, qui tritico Zizania ſuperſeminare conſueuit, inſperſum ſit, deteſtor, & execror, expunctumque, & extinctum volo.





VITÆ PATRUM
R. P. NISSEM
TOM. III. & IV.